


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVI
D
7
NAPOLI

ANTONII
DE
POSSENTIBVS
FABRIANENSIS
SINGVLARIA
CIVILIA, CANONICA,
ET VTRIVSQVE IVRIS
CRIMINALIA.



SINGVLARIVM ANTONII DE POSSENTIBVS FABRIANENSIS

In aliquibus ex celebrioribus tum Laicis, tum Ecclesiasticis Italiæ Tribunalibus iudicando practicatorum,

CENTVRIÆ QVATVOR:

Quarum prima Ciuilem, Secunda Canonicam, & Tertia Vtriusque Iuris Criminalem materias Iuris, & Facti continent,
Quarta autem Ius tantum earundem materiarum complectitur.

Cum Indice Argumentorum ante, & Rerum, ac Verborum copiosissimo in fine.




BONONIÆ MDCLVII.

Typis HH. Euangelistæ Ducciæ. *Superiorum permissu.*

ALEXANDRO VII.
CHISIO
PONTIFICI OPTIMO.
Olim FABIO, ſemper
MAXIMO
Perennem deprecatur fœlicitatem

ANTONIVS DE POSSENTIBVS FABRIANENSIS.

NIL iucundius Bellorum fructibus Alexandro. Es Tu quoque Alexander Beatiſsime Pater. Sunt hi quoque Bellorum fructus, ex vmbratili Tribunalium paleſtra collecti, & quidem ſacri, ſi tu ſacer. Debentur vndequaque Sanctitati Tuæ ſacrarum Legum Parenti, & Mœcenati, Principi Optimo, & Pontifici Maximo à Legum Profeſſore, Subdito, & Clerico; & ſi terret Maieſtas iſta altiſsima, quam in Alexandro, verè Magno, totus veneratur Orbis: állicit benignitas incomparabilis, quam in Fabio, verè Maximo, ora concelebrant omnium, vt illos apponam ad Tuos Sanctiſsimos Pedes, ad quorum oſcula prouolutus, & Maieſtatem ipſam propè Diuinam venerabundus adoro.



AVCTOR AD LECTOREM.





ECCE humanifsime lector, quæ pluribus luſtris iudicando mihi pro ſingularibus annotaui. Ea legere ne dedigneris, quia in agibilium vniuerſitate ſelectiora deguſtabis (vt credo) ſine tædio. Quæ enim operando in decoctis (vt ita dicam) ebibi, eadem, vt tibi in extractis, ſeu (vt aiunt) in quinta natura proponerem paucis, breuibuſque, validis tamen auctoritatibus, & rationibus exaraui; omniaque Deo dante, ratione (vt videbis) duce feci ſi benè, imbecillitate mea allucinatus ſi malè, ſed ſemper recta intentione: Hanc itaque conſidera, præcipuè ſi quid minus rectè dixiſſem reſpectu Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ, cui me, meaque ſcripta humiliter ſubmitto, & Vale.



Ego

Ego Don Stephanus Seminus C. R. S. Pauli Pœnitentiariæ Rector, & pro Illustrissimo, ac Reuerendissimo Domino D. Hieronymo Boncompagno Archiepiscopo Bonon. & Principe librorum Censor, vt typis hoc demandetur opus non solum approbo, sed etiam pro communi profectu valde exopto.

Quæ per Virum tàm egregium elaboratè fuerunt congesta, & rectè trutinata ad publicam vtilitatem prælo comittenda censeo. Ego Federicus Calderinus I. V. D. Collegiatus, Metropolit. Canon. ac operum legalium S. Officij Bonon. Reuisor.

Imprimatur

Fr. Gugliemus Focus Inquisitor Bonon.

INDEX ARGVMENTORVM



ARGVMENTORVM CIVILIVM

CENTVRIA PRIMA.

ARGVMENTVM I.



IVramentum in supplementum plenæ probationis deferri non debet absque semiplena probatione, quę ad id nec sufficiens videtur.

II.

Confessio extraiudicialis facta parte absente, vel plenè probat, vel non est sufficiens, vt sit locus iuramento in supplementum.

III.

Sententia transit in iudicatum, si durante primo fatali non fuerit petitum declarari competere secundum, & ita postea declaratum non fuerit.

IV.

Tempus fatalium currit etiamsi fuerit conclusum in causa, & pronunciatum prout in cedula, nisi vlterius aliquid aliud fuerit factum.

V.

Exactio debiti etiam cum iuramento extraiudicialiter confessi non competit, si indiscretè, idest absque causa ipsa confessio facta fuit.

VI.

Testis deponens de ijs, quæ non cadunt sub sensu, si non reddat rationes etiam non interrogatus, non probat.

VII.

Testes inducti, & iurati per inducentem de necessitate sunt examinandi, & maximè si per partem aduersam expensæ examinis offerantur.

VIII.

Transactionem rescindere non licet, maximè quando in stipulationem ipsa fuit deducta, & res non est amplius integra.

IX.

Iudex executor potest cognoscere de nullitate sententiæ, saltem ad effectum remittendi partes ad Iudicem, qui sententiam tulit, faciendo interim supersedere in executione.

X.

Suspectus de fuga potest iurari etiam ille, qui in carceribus detinetur.

XI.

Confessio potest diuidi, quando præsumptionibus id suadetur.

XII.

Vxor in bonis mariti præfertur creditoribus eiusdem, quando ipse maritus ad inopiam vergit, & ipsa inopia aliqualiter tantum, & non plenè probatur.

XIII.

Sententia lata cum citatione executa, sed per nuncium adhuc non relata, est nulla.

XIV.


Confessio ficta in aliquo iudicio ex contumacia resultans in alio non præiudicat nec etiam inter easdem personas.

XV.

Probato mutuo, vel debito, eius quantitas, vel valor iuramento creditoris probari potest.

XVI.

Appellans alternatiuè dummodo coram Iudice iuferiore litem non contestetur, illo relicto, Iudicem superiorem, vel æqualem cum eadem appellatione adire potest.



ARGV-

ARGVMENTORVM CANONICORVM

CENTVRIA SECVNDA.

ARGVMENTVM CI.

ADhęrens parieti exteriori Ecclesię gaudet immunitate Ecclesiastica.

CII.

Reus in iudicio iuratus tuta conscientia delictum patratum negare non potest, si iuridicè interrogetur.

CIII.

Pupillo laico benè videtur assignatus tutor, & curator per Iudicem Ecclesiasticum.

CIV.

Decimæ Noualium debentur Parochiæ, etiamsi generaliter decimæ alteri ex priuilegio fuerint assignatæ.

CV.

Episcopi, seù alij Superiores Ecclesiastici non debent concedere facultatem examinandi vulneratos in locis immunibus, quando contra vulnerantes pœna sanguinis imminet.

CVI.

Patrimonij Clericalis alienatio sine licentia Episcopi fieri non debet, facta tamen tenet, si Clericus congruam sustentationem habet.

CVII.

Proprietas patrimonij Clericalis alienari regulariter potest absque licentia Episcopi, & in omnem casum alienatio facta tenet.

CVIII.

Damnati ad triremes, si fractis vinculis ad Ecclesiam confugiant, an immunitate Ecclesiastica gaudeant.

CIX.

Iudex laicus ad ordines saltem non initiatus non potest Iudicem Ecclesiasticum constituere, neque de mandato Superiores Ecclesiastici.

CX.

Bona Ecclesiastica de licentia Legati, & etiam Episcopi alienari possunt inconsulto Romano Pontifice, si necessitas vrget, vel euidentissima vtilitas resultat.

CXI.

Episcopus per se, si non est impeditus, & per alium, si non potest, totam suam Diocesim visitare tenetùr quolibet anno, vel saltem quolibet biennio, si annuatim ob latitudinem id adimplere non valet.

CXII.

Alienans res Ecclesiasticas inconsulto Romano Pontifice alienari prohibitas, si iustè, & bona fide alienet, est tutus in conscientia, qùamuis in iudicio dicta alienatio sit nulla, & sustineri nequeat.

CXIII.

Meretrix etiam de domo propria est expellenda, si scandalum omnibus vicinis affert, & maximè si in bona vicinia, vel in loco pulchro Ciuitatis, & propè Ecclesiam habitat.

CXIV.

Monialis rem sibi donatam cum conditione, quod nullum ius circa illam Monasterio acquiratur, & quod de illa ad sui libitum disponere valeat, non potest vendere, & prætio vti absque consensu Capituli, & debita Superioris licentia.

CXV.

Sponsalibus contractis siue cum, siue absque iuramento, compellendus est qui dissentit ad celebrationem Matrimonij, etiam censuris mediantibus; sed si postea persistit in negatiua, etiam ipso non petente, est absoluendus.

CXVI.

Res voluptuaria respectu Magnatum, & diuitum potest dici vtilis, secus autem respectu pauperum.

CXVII.

Capitaliter condemnatus, & bannitus licitè in foro conscientiæ occidi potest etiam in statu alterius Principis.

CXVIII.

Clerici necessitate vrgente possunt per Superiorem laicum compelli ad vendendum triticum, si requisito prius Ordinario Ecclesiastico, ipse renuat, & periculum sit in mora recursus ad alium Superiorem Ecclesiasticum.

CXIX.

Agens actione reali contra successorem in be-



ARGV-

ARGVMENTORVM CRIMINALIVM

CENTVRIA TERTIA.

ARGVMENTVM CCI.

Falconem domesticum occidens furtum committit, & pœna furti est puniendus.

CCII.

Testes infames nec etiam circa actum in prostibulo factum contrà infames ad testificandum admittuntur, immò sunt omninò, repellendi, quando pluribus exceptionibus laborant.

CCIII.

Vir graduatus, vel nobilis si in pœnam mortis est condemnandus, non furcis suspendendus, sed capite plectendus venit, quando delictum infame non commisit.

CCIV.

Pipiones sclopo occidentes non possunt condemnari ex depositionibus Birruariorum asserentium ipsos in flagranti cæpisse.

CCV.

Mendacium solùm ex variatione prætensi Rei resultans non facit indicium ad torturam.

CCVI.

Clericus publicus aleator etiam non monitus saltem mitiori pœna, quam sit ordinaria puniri potest.

CCVII.

Bona fama probata in genere præualet malæ famæ probatæ in specie.

CCVIII.

Res furata, quæ penès aliquem reperta regulariter contra ipsum vti suspectum furem facit indicium ad torturam, si non probat à quo illam habuit, idem facit contrà hominem bonæ vitæ, & famæ, vt suprà non probantem, non tamen tanquam contra suspectum furem, sed tanquam veritatis occultatorem.

CCIX.

Aggressus aggressorem fugientem percutiens mitiori pœna, quam ordinaria puniri debet.

CCX.

Pœna capitali indicta in resistentem, insultantem, percutientem, vel occidentem ministros iustitiæ in actu executionis, mitius exequi debet contra simpliciter resistentem & insultantem.

CCXI.

Forensis deferens arma prohibita in itinere puniri non debet.

CCXII.

Offensio, quæ personam tangere debet, non comprehendit minas, iniurias, & insultus, qui tamen insultus resultant, etiamsi ad actum proximum offensionis reduci non posse videantur.

CCXIII.

Homicidium ex calore iracundiæ committens excusatur a pœnæ rigore ipsius homicidij.

CCXIV.

Arma non apta nocere portans puniri non debet.

CCXV.

Ignorantia iusta, & probabilis excusat à pœnis bannimentalibus, etiamsi per ipsa bannimenta ignorantiam allegare fuerit prohibitum.

CCXVI.

Pecunias recipiens vt ad alium transferat, si non transfert furtum committit.

CCXVII.

Monetam tingens, itaut ex argentea appareat aurea, & illam expendens, si non docet à quo illam habuit, pœna arbitraria etiam triremium est puniendus.

CCXVIII.

Furem fugientem occidens, si ipse fur telo non resistat, vt furata non restituat, pœna extraordinaria est puniendus.

CCXIX.

Assassini, seù sicarij auxiliator extraordinariè torqueri non potest, nisi prius clarè constet de qualitate assassinij.

CCXX.

Captura prò debito merè ciuili in domo propria debitoris, contra eundem neque eum mandato suspicionis fugæ de iure committi potest, secus prò criminali.

Mu-

Oc-

CCXL.

Occisi ex corpore, quando ad præsentiam occisoris sanguis profluit, non naturaliter, sed ex miraculo id procedit.

CCXLI.

Arbores fructiferas in bonis emphyteuticis succidens, vel succidere mandans, pœnam caducitatis si sit emphyteuta, aliàs pœnam arbitrariam incurrit.

CCXLII.

Quærela, seù secreta denunciatio recipienda est cum conditione propalandi denunciantem in casu calumniæ, si ipse denuncians indubitata asserit, & ad aliquem actum denunciato præiudicialem procedi instat.

CCXLIII.

Quærelans nec ad fideiubendum de reficiendis damnis, & expensis est cogendus.

CCXLIV.

Clerici etiam prò grauissimis delictis regulariter pœna carceris puniri debent, & maximè Regulares, qui secretè, & non publicè puniendi sunt.

CCXLV.

Ecclesiastici etsi decentiori, non tamen mitiori pœna, quam laici sunt puniendi.

CCXLVI.

Inimicus solùm capitalis in testem non est admittendus.

CCXLVII.

Testi deponenti se audiuisse committi delictum non est ita fidendum, quod absque alijs adminiculis procedatur ad torturam.

CCXLVIII.

Plura indicia delicto proxima, & ad eundem finem tendentia faciunt indicium ad torturam, etsi non sint plenè probata.

CCXLIX.

Fuga tentata solùm ex fractione carcerum non facit indicium ad torturam super dicto, prò quo detinetur fugere tentans, sed operatur, quod si ex alijs torquendus est, acrius torqueri possit.

CCL.

Clericus prò furto graui ad triremes damnari debet, si extat consuetudo ita faciendi.

CCLI.

Iudicis arbitrio remittitur, an sint admittenda ea, quæ articulantur, & probantur contra iam deposita.

CCLII.

Suggestio nulla resultat, si solum indicia Reo obijciantur, pròut in processu iacent.

CCLIII.

Vxor nec prò Mariti innocentia testificari valet, si ipse maritus est grauiter indiciatus, & ad inuerisimilia deponenda ipsa vxor inducitur, condemnationeque Mariti etiam ipsius vxoris honor offenditur.

CCLIV.

Ex præsumptionibus falsitatis ex vitio patenti, & visibili resultantibus ad pœnam extraordinariam, & non ad torturam procedi debet.

CCLV.

Notario contrà Testem, & Testi contrà Notarium non creditur ad puniendum de falso, & idem videtur ad torquendum.

CCLVI.

Fideiussor de præsentando Reum debet illum præsentare in carceribus, & maximè si ita expresse se obligauit, & præsentatio aliter facta à Iudice non acceptatur.

CCLVII.

Minæ faciunt indicium ad torturam, si de eorum mala causa constet.

CCLVIII.

Mater in causa stupri facit indicium ad transmittendam inquisitionem, maximè iunctis adminiculis, & absque dubio, si constat de fuga nominati in stupratorem.

De-

CCXCVII.

Testi de suo iudicio deponenti creditur, si bonam, & concludentem rationem reddat de ijs, quæ aliquo sensu corporis percepit.

CCXCVIII.

Qui alia via, quam per agrum vicini ad suum fundum ire non potest; ne dum ipsum vicinum ad iter prædictum sibi præbendum, sed etiam ad viam deuastatam reaptandam cogere potest.

CCXCIX.

Remissoria in Criminalibus potest ex rationabili causa dari prò examinandis testibus ad defensam, etiam intra Prouinciam, & maximè stante consuetudine ita faciendi.

CCC.

Cautelis confidentialibus ad extorquendam veritatem non est vtendum.





ARGV-

ARGVMENTORVM MIXTORVM

CENTVRIA QVARTA.

ARGVMENTVM CCCI.

Alienatio in fraudem paratæ executionis, quæ non impedit executionem sententiæ, dicitur facta quando ne dum petita, sed & obtenta fuit executio.

CCCII.

Appellari poteſt omiſſo medio, ſi non opponitur.

CCCIII.

Publicatione proceſſus facta, teſtes amplius produci non poſſunt, ſi veriſimiliter noua cauſa non adeſt, & aliqualiter teſtificata didicita non fuiſſe probatur.

CCCIV.

Citationis defectus quoad vnum non nocet quoad alium legitimè citatum, ſi non tractatur de re indiuidua, vel ſi omnes citandi veniunt eodem iure, & vna eſt cauſa defenſionis.

CCCV.

Adiudicatio plus debito facta eſt nulla in totum; intelligendum tamen videtur de adiudicatione ſpeciei.

CCCVI.

Abſolutus ab expenſis non cenſetur abſolutus ab expenſis iure actionis debitis, quæ debentur etiam iuſta cauſa litigandi ſtante.

CCCVII.

Expenſæ faciendæ prò miſſione ad examinandas perſonas egregias litigantes, regulariter ſunt faciendæ ſumptibus petentis.

CCCVIII.

Obligatio filij familias minoris facta prò Patre carcerato, vel carcerando, vel prò ipſo liberando ab executionibus intelligitur deducto ne egeat.

CCCIX.

Fructus induſtriales, ſi debentur ex induſtria, debentur illi, qui ſeminauit, non illi, qui poſtea cuſtodiuit, & coluit.

CCCX.

Licitus vſus fraudis, & doli non reddit actum inualidum, ſed talis vſus debet eſſe vndequaque licitus.

CCCXI.

Fructus dotis, mortua vxore, debentur marito non in totum, ſed in parte reſpectu filiorum ſuperuiuentium.

CCCXII.

Sola fugæ ſuſpicio ſufficit ad ſiſtendum, non ad retinendum debitorem.

CCCXIII.

Quamuis regulariter impubes in teſtem admitti non debeat, tamen & hoc in Iudicis arbitrio eſt repoſitum.

CCCXIV.

Minor effectus maior poteſt regulariter teſtificari de ijs, quæ geſta ſunt, dum ipſe erat minor.

CCCXV.

Ex apprehenſione ſtatus mortalis regulandum videtur, quod quis in articulo mortis conſtitutus dici poſſit.

CCCXVI.

Mors probata per famam læuiter probata dicitur.

CCCXVII.

Exceptio periurij opponi debet in principio litis, aliàs cenſetur remiſſa.

CCCXVIII.

De periurio agi non poteſt nec criminaliter, nec ciuiliter, ſi res promiſſa franca, & li-

non præmissa circa earum subsistentiam.

CCCXXXVI.

Accessus, & regressus ad beneficia generaliter prohibiti à Sac Conc. Trident. restringendi videntur ad casus, qui hæreditariæ successionis imaginem referunt.

CCCXXXVII.

Sicuti non est licita alienatio, aut transactio bonorum Ecclesiæ acquisitorum, ita non videtur licita acquirendorum absq; assensu Apostolico, si casus non esset valdè dubius, & prò Ecclesia ferè desperatus.

CCCXXXVIII.

Prohibita alienatio bonorum Ecclesiasticorum est intelligenda & de iuribus, & actionibus.

CCCXXXIX.

Bona Ecclesiastica, quæ alienarî non possunt, dicuntur illa, quæ sunt alicuius Ecclesiæ, vel pij loci, non autem illa, quæ sunt relicta ad erogandum pauperibus, & pijs vsibus in genere.

CCCXL.

Locus pius propriè dicitur ille, qui est erectus auctoritate Episcopi.

CCCXLI.

Beneficia de iure communi possunt acceptari animo permutandi, & renunciandi etiam cum pensione.

CCCXLII.

Episcopus obtinenti, vel obtenturo Beneficium in sua Diœcesi potest ordines conferre, non autem primam tonsuram.

CCCXLIII.

Iudex Ecclesiasticus est Iudex competens bonorum Ecclesiasticorum.

CCCXLIV.

Legatum factum pauperibus exequi debet ordine charitatis, quæ incipit à nobis, descendit ad nostros, transit ad vicinos, & postea ad extraneos.

CCCXLV.

Immunitas Ecclesiastica violatur per quamcumque extractionem, siue directam, siue indirectam, quæ fiat per vim expulsiuam, siue compulsiuam, aut ex dolo, vel etiam ex blanditijs, & promissionibus fictis, & non subsistentibus.

CCCXLVI.

Clericatus probatio coram Iudice Ecclesiastico fieri debet.

CCCXLVII.

Laicus effectus Clericus respectu personæ iudicatur à Iudice Ecclesiastico de delicto commisso tempore, quo erat laicus.

CCCXLVIII.

Clericus beneficiatus incedens absque habitu, & tonsura gaudet priuilegio fori, non obstante Constitutione Sixti V. qua Clerici taliter incedentes ipso facto beneficijs priuantur, si saltem non adsit declaratio criminis non delationis habitus, vel si facta etiam dicta declaratione talis clericus adhuc beneficium retinet.

CCCXLIX.

Clericus etiam in minoribus ordinibus constitutus exercens officium Iudicis, seù Principis laici non perdit beneficium fori, etiamsi in eodem officio delinquat.

CCCL.

Clericus coniugatus etiam in merè ciuilibus priuilegio fori gaudere videtur.

CCCLI.

Prælatus, qui potest excommunicare, censuris vti valet prò defensione suorum bonorum, & iurium, nec non propriæ personæ, & familiarium, tam iudicialiter, quam extraiudicialiter, ac de facto procedendo vbique, & contrà quoscumque; sed videtur intelligendum, quoties auctoritas ordinaria non suppetit.

CCCLII.

Dominij vtilis rei Ecclesiasticæ quæstio, etiam

CCCLXXI.

Exul à Ciuitate est censendus exul & à suburbijs.

CCCLXXII.

Gratia in dubio præsumitur valida, si illam non proponat gratiatus, sed fiscus, aut pars aduersa.

CCCLXXIII.

Gratia parte non concordata absque iusta causa, & quæ solùm ob bonum publicum iusta videtur, fieri non debet.

CCCLXXIV.

Mandans inquiri non potest, si non constat de Mandatario.

CCCLXXV.

Locum datij pertransiens absque solutione non perdit bona datio obnoxia, sed tantùm tenetur ad datium duplicatum, si non adsunt præsumptiones, quod id animo fraudandi fecerit.

CCCLXXVI.

Probationes ad defensam, iuris assistentia validiores fiunt.

CCCLXXVII.

Præsumptio iuris, & de iure reddit confessum, & conuictum, & non nisi defensionem à lege approbatam admittit.

CCCLXXVIII.

Prò pœna extraordinaria etiam pœna corporis afflictiua irrogari potest.

CCCLXXIX.

Socius criminis in testem ad defensam admittendus non videtur.

CCCLXXX.

Testes consanguinei etiam in causa criminali Iudicis arbitrio admittuntur.

CCCLXXXI.

Testibus subministrandæ sunt expensæ, sed in criminalibus à Reo tantum.

CCCLXXXII.

Commodatarius, vti diligens pater familias, re commodata vti debet.

CCCLXXXIII.

Sententiæ contumaciales capitales, si cum fundamento impugnari possunt, non sunt simpliciter, sed citra mortem exequendæ.

CCCLXXXIV.

Allegatio absentiæ non prodest nisi postquam fuerit saltem iuramento probata.

CCCLXXXV.

Arma auferenda à confugientibus ad Ecclesiam mandato Iudicis Ecclesiastici auferri debent.

CCCLXXXVI.

Violantes immunitatem Ecclesiasticam non possunt allegare ignorantiam Bullæ Greg. XIV. super id emanatam, & maximè si sint Iudices, & ministri laici.

CCCLXXXVII.

Opinio probabilis sequi non potest, si altera minus etiam probabilis à superiore seruanda præcipiatur.

CCCLXXXVIII.

Interesse alterius interesse, probatis requisitis, absque vsuraria labe peti potest, & debetur, & solùm interesse lucri cessantis ab initio pacisci non valet.

CCCLXXXIX.

Reus ab Ecclesia, contra immunitatem, Summo Pontifice permittente, extractus, & aliqua graui pœna punitus, mitiori tamen illa, qua ob delictum commissum puniendus erat, vlterius puniri, aut molestari non debet.

CCCXC.

Parochus ob non residentiam priuari potest Beneficio, etiam non præmissis alijs pœnis, dummodo tamen sit citatus, vel personaliter semel, vel trina citatione in Ecclesia, & expectato lapsu sex mensium à die vltimæ citationis.

In-

CCCXCI.

Insultato non videtur licere insultantem impunè occidere, si tutè, & absque ignominia id euitari potest.

CCCXCII.

Pax iuuat, si sit obtenta à maiori parte hæredum, & proximiorum occisi.

CCCXCIII.

In crimine adulterij non licet ex officio procedere, si id non sit notorium.

CCCXCIV.

Laica Potestas nec occultè, & animo præsentandi processum Iudici Ecclesiastico potest processare personam Ecclesiasticam.

CCCXCV.

Testes ad instantiam Rei semper sunt repetendi, & non probant si super suis interrogatorijs respondere recusant.

CCCXCVI.

Episcopi raro, & quando veritas aliter haberi non potest licentiam debent concedere clericis perhibendi testimonium coram Iudicibus laicis, & tunc cum clausulis salutaribus, & cum conditione quod iurent in manibus personæ Ecclesiasticæ.

CCCXCVII.

Spolio non subiacent ea quæ parce viuendo Beneficiarij seu Pensionarij faciunt reliqua ex redditibus Beneficiorum seu Pensionum.

CCCXCVIII.

Iuramento in supplementum est locus etiam in criminalibus ad pœnam extraordinariam, si fuerit plusquam semiplene probatum.

CCCXCIX.

Suspectus de fuga de mandato cuiuslibet Iudicis etiam incompetentis carcerari potest.

CCCC.

Contrauentiones non intrinsecè malæ causa recreationis factæ non sunt punibiles, si non sint expresse prohibitæ, & sine scandalo fiant.



SINGV-

SINGVLARIVM CIVILIVM ANTONII DE POSSENTIBVS FABRIANENSIS

CENTVRIA PRIMA.

ARGVMENTVM.

IVramentum in supplementum plenę probationis deferri non debet absq; semiplena probatione, quæ ad id nec sufficiens videtur.

SVMMARIVM.

1 *Filius de iure præsumitur sub patria potestate.*

2 *Ludo pecunias amissas per filios, seruos, & subditos possunt repetere Patres, Domini, & Superiores, & vlterius, vt num. seq.*

3 *Episcopus, vel Fiscus possunt repetere pecunias in ludo amissas per filios, seruos, & subditos, negligentibus Patribus, Dominis, & Superioribus.*

4 *Iuramentum in supplementum defertur etiam post conclusum in causa, maximè quando tractatur de salute animæ.*

5 *Iuramentum in supplementum requirit semiplenam probationem.*

6 *Iuramento in supplementum vt sit locus, non semper sufficit semiplena probatio, immò nunquam ad id sufficiens videtur.*

SINGVLARE I.

AGebat Pater ad recuperationem pecuniarum per filium in ludo amissarum, & probato quod filius erat sub sua patria
1 potestate (ex abbundanti tamen cum de iure talis præsumatur *l. 1. Cod. de Patr. pot. cum simil.*) instabat post conclusum in causa, quatenus opus esset, sibi deferri iuramentum in supplementum plenæ probationis, & successiuè relaxari mandatum
2 pro recuperatione prædicta, quæ nedum conceditur Patri, sed etiam Domino, & Superiori, vt latè tradit *Farin. in praxi crim. quæst.* 109. *num.* 177. & de hærede dixit *Rota in vna Cæsenaten. pecuniaria* 28. *Iunij* 1627. *coram Patriarcha Hierosol. in fol. volanti impressa; immò cum ex decis.* 193. *Capella Tholosanæ sub num. 6. & 7.* victor tali casu restituere teneatur sub pœna peccati
3 mortalis, non est mirum quod, prædictis negligentibus, etiam Episcopo, vel Fisco talis repetitio permittatur, ad tradita per *Riccium Collect.* 1536. *in princ.* Ratio enim omnium est in promptu, ex quo scilicet res victa non est victi, & sic indebitè occupata, iniquè retenta, & omninò reddenda.
4 Eidem tamen non detuli, quia etsi iuramentum prędictum deferri debeat etiam post conclusum in causa, ad tradita per *Alex. cons.* 53. *num.* 5. *vol.* 1. & maximè quando tractatur de salute animæ, *Asin.*
5 *in praxi* §. 23. *cap.* 6. *ampliat.* 5. *num.* 3. non constabat de semiplena probatione, quæ requiritur, vt sit locus tali iuramen-
6 to, ad congesta per *Mascard. de probat. vol.* 2. *Concl.* 955. *num.* 3. immò non semper sufficit, vt notat *Gabr. cons.* 40. *vol.* 2. *num.* 67. & meo iudicio nunquam sufficere deberet, ne supplementum esset eiusdem ponderis, ac probatio principalis, & proùt esse non potest, cum qui iurat interesse habeat, & sic videatur absurdum, quod possit probare, ac si esset testis omni exceptione maior.

ARGVMENTVM.

Confessio extraiudicialis facta parte absente, vel plenè probat, vel non est sufficiens, vt sit locus iuramento in supplementum.

SVMMARIVM.

1 *Confessio extraiudicialis etiam facta parte absente plenè probat de æquitate Canonica, & maximè in terris Ecclesiæ, & quando tractatur de probando quid facti.*

2 *Confessio extraiudicialis facta parte absente de iure ciuili probat semiplenè.*

3 *Iuramentum in supplementum defertur, quando adest semiplena probatio, sed vide num. sequenti.*

4 *Iuramentum in supplementum non defertur, quando solum adest semiplena probatio confessionis extraiudicialis.*

5 *Confessio extraiudicialis debet probari per testes contestes de loco, & tempore.*

6 *Confessio extraiudicialis debet probari per testes omni exceptione maiores.*

7 *Testes, si pluribus exceptionibus laborant, a testificando sunt omnino repellendi.*

SINGVLARE II.

Probato ex confessione extraiudiciali quodam facto, ex quo debitum resultabat, instabat creditor pro eiusdem debiti consecutione, vel quia talis confessio etiam
1 parte absente facta de æquitate Canonica plenè probaret, ad latè tradita per *Ant. Gabr. de confess. concl. 1. num. 46.* vbi de communi, ac per *Rotam coram Ludouis. decis. 408. num. 2. & 5.* & maximè in terris Ecclesiæ, vbi causa tractabatur, vt per *Hieronym. Gabr. cons. 40. num. 57. vol. 2.* & fortius cum tenderet ad probandum quid facti, *Mars. sing. 202.* circa finem. *Ant. Gabr. de confess. dicta concl. 1. n. 50.* vel fal-
2 tem, quia de iure ciuili semiplenè probabat, *Afflict. decis. 364. num. 4.* & sic iu-
3 ramento in supplementum locus erat, ad tradita per *Mascard. de probat. vol. 2. concl. 955.* præcipuè *num. 3.*
Verùm reprobante prædicta *Gabr. dicto cons. 40. vol. 2.* & firmante, quod, data so-
4 la semiplena probatione confessionis extraiudicialis, iuramentum in supplementum non sit deferendum, vt patet etiam per ea, quæ generaliter notaui in *sing. antec.* & vlterius considerans, quod testes dictam confessionem nec de æquitate canonica plenè probabant, quia non erant
5 contestes de loco, & tempore, prout esse debebant, ad tradita per *Afflict. vbi supra,* nec etiam semiplenè, quia separatim, nul-
6 lus erat omni exceptione maior, prout requiritur, vt passim dicunt Doctores, & subdit ipse *Gabr. dicto cons. 40. nu. 67.* & quia
7 coniunctim, pluribus exceptionibus laborabant, & sic omninò repellendi erant, ad latè tradita per *Farin. de test. quæst. 62. num. 381. & 382.* & per *Mascard. de probat. concl. 1359. nu. 20. vol. 3.* Reum conuentum, & omnia negantem a petitis absolui.

ARGVMENTVM.

Sententia transit in iudicatum, si durante primo fatali non fuerit petitum declarari competere secundum, & ita postea declaratum non fuerit.

SVMMARIVM.

1 *Fatali primo lapso, secundum conceditur ipso iure.*

2 *Fatale secundum non intelligitur concessum absque declaratione Iudicis.*

3 *Fatale secundum, vt concedatur, requiritur, quod appellans probet per se non stetisse, quod causa in primo expedita non fuerit, & quod id summa ope procurauerit.*

4 *Fatalis secundi petitio debet fieri in primo anno, & declaratio, quod competat, debet fieri in secundo.*

5 *Fatale secundum vt in curia Romana obtineatur, non requiritur aliud, quam probatio alicuius diligentiæ.*

SINGVLARE III.

Introducto articulo prætensæ desertionis cuiusdam causæ, ex quo non fuerat petitum, & declaratum competere secundum fatale, sententiam transiisse in iudicatum declaraui, quia quamuis Doctores, & præcipuè *Scaccia de appell. lib. 3. cap. 2. quæst. 15. art.*

art. 8. num. 179. in fine, dicant, quod se-
1 cundus annus conceditur ipso iure, tamen hinc non fit, quod ipso iure censeatur concessus, cum diuersum sit aliquid concedi ipso iure, & censeri concessum ipso iure.
2 Requiritur enim tali casu declaratio Iudicis, ad expresse tradita per *Ruginellum de appell.* §. 10. *glos.* 2. *num.* 13. *&* 14. vbi Costam, Mascardum, & alios contrarium tenentes reprobat, & quidem ratione euidentissima desumpta ex textu *l. fin.* §. *illud,*
3 *Cod. de tempor. & repar. appell.* Cum enim ibi habeatur, quod appellator, vt possit obtinere secundum annum, euidentissimis probationibus debeat ostendere, quod per se non stetit, quod causa in primo fatali terminata non fuerit, immò summa ope nixum fuisse, quod ita fieret, & idem colligatur etiam ex *Clement. sicut de appell. cum similibus*, latèque firmetur etiam per *Ruginellum, vbi suprà num.* 9. & in fortioribus terminis per *Sperellum in suis decis. fori Ecclesiast. decis.* 85. *num.* 26. vbi dicit, quod non sufficit probare impedimentum, sed quod vlterius est probandum, quod non potuit remoueri; vtiquè necessariò est concludendum, quod circa prædictas probationes Iudicis declaratio requiratur, ita vt
4 petitio partis, durante primo anno fiat, ne ipso elapso appellatio extincta remaneat, & declaratio Iudicis in secundo subsequatur, ne antea fiat, quam a lege detur, vt considerat *Ruginel. vbi supra citatis numeris* 13. *&* 14. Quamuis enim Scaccia loco citato dicat, quod sufficit aliqua diligentia ad inducendum biennium, & sic quod non requirantur tradita per dictam *l. fin.* tamen
5 est aduertendum, quod ipse loquitur de stylo curiæ Romanæ, & non de iure communi, secundum quod procedunt suprà allegata, & quibus deficientibus, vtique & biennium cessare debebat, & sententiam in iudicatum transijsse erat affirmandum, maximè ad latè tradita per *Ciarlinum controuers. foren. cap.* 133. *per totum*, & attento etiam stylo tribunalis, in quo causa tractabatur, vbi in primo anno petebatur secundum fatale, & in secundo declarabatur illud competere.

ARGVMENTVM.

Tempus fatalium currit etiamsi fuerit conclusum in causa, & pronunciatum prout in cedula, nisi vlterius aliquid aliud fuerit factum.

SVMMARIVM.

1 *Tempus fatalium currit etiamsi fuerit pronunciatum prout in cedula, nisi pluries protestetur, quod causa expediatur, cum hoc requiratur, vt possit dici stetisse per Iudicem, quod expedita non fuerit, & ratio assignatur.*

2 *Fatalium tempus non currere postquam fuit pronunciatum prout in cedula, etiamsi vlterius non fuerit actum, aliqui tenuerunt, sed quarè contrarium regulariter sit tenendum subditur.*

SINGVLARE IV.

1 Tempus fatalium cucurrisse iudicaui etiam postquam fuerat pronunciatum prout in cedula, quia id non sufficit, sed requiritur protestatio etiam pluries repetita prò expeditione causæ, vt possit dici stetisse per Iudicem, quod expedita non fuerit, vt de communi testatur *Scaccia de appell. lib.* 3. *cap.* 2. *quæst.* 15. *art.* 9. *num.* 181. *& Adden. ad Vestr. in pract. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 7. *&* 8. & maximè, quod prædicta communis opinio Doctorum habet prò se rationem talem, quod in contrarium dici non posse videtur. Vt enim considerat Vestr. vbi supra, negligentia in Iudice præsumi non debet, & addo ego, quod immò potius diligentia in ipso præsumenda venit, ex quo sua interest causam expedire, & a contrario negligentia in parte appellante est præsumenda, ex quo sua interest causam in longum protrahere, & sic si alicui culpa est ascribenda, vtique parti, & non Iudici ascribi debet.

2 Nec releuat, quod prædicti Doctores subdant, quod non desunt contrarium tenentes, & præcipuè Rota Romana, quæ non iuris apicibus, sed veritati innititur, quia quicquid sit de factis illius Tribunalis, quod vices supremi gerit, non videbatur id posse extendi ad me, qui Iudicis ordina-

rij tantum officio fungebatur. Et quamuis *Gomes in regul. cancel. de annali possess. quaest. 76.* dictam Rotae opinionem tueatur, & *Grat. ipsum sequendo in decis. March. decis. 120.* expresse dicat, quod Iudex debeat sequi opinionem Rotae contra communem, ex quo etiam Iudex debet inniti veritati, & non apicibus iuris; tamen cum ipsi supponant, quod aliunde constare debeat de impedimento, & quod pars appellans fecerit quantum poterat, vt illud remoueret, licet protestata non fuerit, existimaui nec eorum dicta facere ad casum, de quo tractabatur, in quo tantum aberat, quod id appareret, quod immo potius detegebatur, quod per ipsam stete rat, quod causa non fuerat expedita.

Dixi itaque causam esse desertam, & mandatum concessi pro executione sententiae, à qua fuerat appellatum, iuxta tradita per *Ciarlinum controuers. foren. cap. 133. num. 99. & sequenti.*

ARGVMENTVM.

EXactio debiti etiam cum iuramento extraiudicialiter confessi non competit, si indiscretè, idest, absque causa ipsa confessio facta fuit.

SVMMARIVM.

1 *Apocha debiti absque causa expressione non probat.*

2 *Apocha praedicta facit semiplenam probationem, & super ipsam in supplementum plenae iurari potest; sed contrà & quare.*

3 *Iuramentum interpositum parte absente non probat, sed opinio contraria magis communis videtur.*

4 *Confessio sine causa iurata probat, quia dicitur confessio deliberata.*

5 *Confessio deliberata docto de errore reuocari potest.*

6 *Confessio indiscreta potest dici erronea, quia est sine causa, & sic sine ratione.*

SINGVLARE V.

AGenti ex quadam apocha priuata ad exactionem cuiusdam praetensi crediti in ea contenti non detuli, quamuis apo-
1 cha esset per reum conuentum iurata, quia ipsa apocha erat absque expressione causae eiusdem debiti; & sic vt indiscreta nihil probabat, ad textum apertum *in l. cum de indebito §. fin. ff. de probat. & in cap. si cautio de fide instrum.* ac ad tradita inter alios per *Genuam descript. priu. lib. primo, quaest. 4. principali num. 106.*

2 Nec mihi visum fuit facere ad rem, quod saltem dicta apocha faceret semiplenam probationem, & quod proinde agenti deferendum esset iuramentum in supplementum plenae probationis, vt obtinere posset, ad ea, quae latè tradit *Mascard. de probat. concl. 345. num. 26. & 27.* etiam de communi opinione Doctorum ad attestationem *Marc. Ant. Blanc. in tract. de indic. num. 205.* & aliorum per ipsum Mascard. citatorum; quia non desunt in contrarium tenentes, vt idem *Mascard. subdit*, & quidem meo iudicio maximo cum fundamento, ne scilicet iura praedicta eludantur, & prout eluderentur, si creditor causas sui crediti probare non teneretur, vt expresse praedicta iura volunt. Quamuis enim iurando in supplementum videretur probare, tamen principalis probatio in apocha fundaretur contra dispositionem eorundem iurium.

Nec pariter iuramentum in apocha appositum releuare visum fuit, quia vltra
3 quod fuerat interpositum parte absente, & sic non probabat ad tradita per *Gabr. de confessis concl. prima num. 41. vers. contrarium*, & per *Mascard. de probat. concl. 346.*
4 *num. 19.* tamen esto, quod praeualere deberet opinio contraria, quae magis communis videtur ad mentem praedictorum Doctorum, tamen ipsum iuramentum iam reo conuento fuerat per Superiorem Ecclesiasticum relaxatum, & sic illud amplius non obstare videbatur, ex quo ipse reus confessionem in apocha reuocare poterat, & prout reuocabat. Cum enim in tantum probet confessio sine causa, quando est iurata, in quantum per iuramentum deliberata dicitur, ad latè tradita per *Mascard.*
5 *dicta concl. 345. num. 36. 37. & 38.* vtique docto de errore ipsa confessio reuocari poterat, ad aequiorem, & magis communem opinionem, de qua testatur *Gabr.* asse-

ferens vti talem sequendam *in tit. de confes-*
6 *sis concl.* 5. *in fine*, & de errore iam satis constare videbatur ex traditis in allegatis *cap. si cautio, & l. cum de indebito*, ex quo scilicet indiscretè, & sine causa, ac proindè absque ratione facta fuerat.

ARGVMENTVM.

TEstis deponens de ijs, quæ non cadunt sub sensu, si non reddat rationes etiam non interrogatus, non probat.

SVMMARIVM.

1 *FVndamentum intentionis plenè probari debet etiam parte non opponente.*
2 *Testes deponentes de consistentibus in intellectu signa, & causas exteriores adducere debent, alias non probant.*

SINGVLARE VI.

1 CVm intentionis fundamentum plenè probari debeat etiam parte non opponente, vt in terminis tradit *Grat. discept. foren. cap.* 135. *nu.* 40. *&* 41. & latius *decis.* 89. *per totam, sed præcipuè num.* 13. *&* 14. Non detuli prætendenti quandam hæreditatem ex capite cuiusdam descendentiæ, quæ necessariò requirebat probationem plurium filiationum, quia ineptè dictas filiationes probauerat ex depositionibus quorundam testium, qui concludebant quidem descendentes, vti filios illorum, de quibus quærebatur, habitos fuisse ab omnibus, qui ipsos cognouerunt, sed non subnectendo causas facti, per quas tales reputabantur, impossibili astruebant, cum de actibus, & qualitatibus in intellectu aliorum consistentibus deponerent absque signis, & causis exterioribus,
2 quas exprimere absq; dubio tenebantur etiam non interrogati, vt ostenderent se scire illud, quod deponebant, ad latè tradita per *Mascard. de probat. concl.* 1369 *nu.* 3. *& sequentibus, ac per Farin. de test. quæst.* 70. *nu.* 6. vbi pluries de communi, & magistraliter hoc docet *Bal. in l. solam Cod. de probat. nu.* 1. *&* 12. omninò in tali materia videndus, etiam in tota dicta l. & indubitatè sequendus, quando requiritur exacta probatio, solum enim ex ratione potest Iudex cognoscere, an testis sciat, vel erret credendo scire.

ARGVMENTVM.

TEstes inducti, & iurati per inducentem de necessitate sunt examinandi, & maximè si per partem aduersam expensæ examinis offerantur.

SVMMARIVM.

1 *TEstis inductus contra inducentem plenè probat.*
2 *Testis inductus contrà inducentem semper est vniens.*
3 *Testis inductus contra inducentem est omni exceptione maior.*
4 *Testes inducti per inducentem possunt non examinari.*
5 *Testes inducti debent examinari, quando ita fuit per Iudicem ordinatum, & eius ordo transiuit in iudicatum.*
6 *Testes inducti debent examinari, quando pars aduersa expensas subministrare offert.*
7 *Testes inducti sunt examinandi, quando iurarunt, & quarè.*
8 *Examinis extensio est quid facti.*

SINGVLARE VII.

TEstibus pluribus in quadam causa productis, & literis remissorialibus super illorum examine datis, contigit dubitare coram me dictarum literarum executore, posteaquam & iuramentum ijsdem testibus fuerat delatum, & partim erant examinati; an cui illos induxerat liceret pœnitere, ne superstites examinarentur, & quod non liceret prætendebatur, quia iam fuerat quæsitum ius parti aduersæ; cuius valdè intererat, quod examinarentur sub indu-
1 ctione iam facta, per regulam, quod inductus contrà inducentem plenè probat, ad latè congesta etiam de communi per *Farin. de test. quæst.* 62. *num.* 237. *& seq.* vel
2 saltem, quia data etiam opinione Rotæ, quæ non plus tribuit vni testi contra inducentem deponenti, quam si ex aduerso esset inductus, & illum semper reputat vnicum,

cum, vt subdit idem *Farin, nu. 239*, & tra-
3 dit *Seraph. decis. 1249. num. 4.* redditur ta-
men ipse testis contrà inducentem omni
exceptione maior, ad ea quæ præmittit
Farin. vbi suprà num. 211. per *l. si quis testi-
bus Cod. de test*, & per *capit. 3. vers. si quis 4.
quæst. 3.* quibus in locis habentur hæc for-
malia verba, videlicet; *Si quis testibus vsus
fuerit, ij deinque testes aduersus eum in alia
lite producantur, non licebit ei personas eorum
excipere.*

4 Verùm ad ostendendum, quod pœnitere
liceret, fuit adducta decisio magistralis
*Rotæ Auenionen. quæ inter collectas à Hiero-
nymo Laurentio est 116*, & in qua ad partes
hoc articulo discusso, ita deciditur.

5 Dum tamen dicebatur, quod dicta de-
cisio non adaptabatur casui, de quo tracta-
batur, stante quod aderat commissio in li-
teris prædictis, quod omnes testes exami-
narentur, & quæ commissio iam in iudica-
6 tum transierat, cumque ego crederem,
quod non adaptaretur, stante maximè ob-
latione partis aduersæ soluendi expensas,
quæ est potissima ratio dictæ decisionis, ne
quis scilicet expensis proprijs cogeretur
sui aduersarij negotia gerere, & examina in
ipsius fauorem faciendo arma contra sepa-
rare *l. nimis graue Cod. de test, l. qui accusa-
re, Cod. de edendo*: qui induxerat acquieuit,
& sic absque contradictione examinati
7 fuerunt, & quidem meo iudicio rectè, cum
vlterius per iuramentum eis delatum iam
fuissent quodammodo examinati, & so-
8 lum superesset extensio examinis, quæ est
quid facti, ad *Rotam in nouis de test. decis.
3. cum similibus*.

ARGVMENTVM.

Transactionem rescindere non licet, maxime quando ipsa in stipulationem fuit deducta, & res non est amplius integra.

SVMMARIVM.

1 *Contractus in stipulationem deductus dicitur contractus nominatus.*
2 *Contractus nominatus pœnitentiam non admittit.*
3 *Contractus nominatus admittit solum actionem ad implementum, vel ad interesse.*
4 *Transactio habet prærogatiuam, quod in ipsa non sit locus pœnitentia, etiam re integra.*
5 *Lites finiri Republica interest.*
6 *Transactio pari passu procedit cum re iudicata.*
7 *Transactio, et res iudicata quomodo differunt.*
8 *Contractus ab initio sunt voluntatis, & ex postfacto necessitatis.*

SINGVLARE VIII.

Agentem ad rescissionem cuiusdam tran-
sactionis, ex quo pars aduersa non ad-
1 implebat, dixi non esse audiendum, quia
transactio iam in stipulationem deducta
2 fuerat, & sic erat contractus nominatus, in
quo non est locus pœnitentiæ, *Rota coram
3 Seraph. decis. 427. nu. 5.* in contractu enim
nominato non datur actio rescissionis, sed
actio implementi *l. venditi actio, Cod. de act.
empt.* & pluries dixit *Rota*, ac signanter *in
recens. parte 1. tom. 1. decis. 415. num. 4. &
parte 2. tom. 1. decis. 552. num. 5.* vel ad
summum datur actio ad interesse, *Seraph.
4 decisione 1275. num. 1.* vltrà quod hoc pro-
cedebat etiam ob specialem prærogati-
uam transactionis, ad textum apertum in
l. quamuis, Cod. de transact. etiamsi res fuisset
integra (quod non erat) vt ibidem obser-
5 uat *Glossa*, ne scilicet renouentur lites, quas
finiri Reipublicæ valdè interest, *cap. dispen-
dia, de rescript. in 6. cum similibus*, quibus
hoc exornat *Rota in recens. parte 1. decis.
461. num. 6.*

Nec visum fuit obstare motiuum, quod
excitat *Glossa in dicta l. quamuis*, dicendo,
quod contrarium videbatur dicendum,
6 ex quo transactio pari passu procedit cum
re iudicata *l. non minorem, Cod. eodem tit.*
quia vltra quod habemus de hoc textum
7 clarum in dicta *l. quamuis*, adest etiam di-
spar ratio inter transactionem, & rem iu-
dicatam, cum in hac non possit considera-
ri nisi dissensus, vel consensus tacitus, &
in illa clarè appareat de consensu expres-
so, ex quo merito fit, quod ad instar etiam
8 aliorum contractuum ab initio sit volunta-
tis, & ex postfacto necessitatis, vt in ter-
minis obseruat *Seraph. dicta decis. 427. nu.
primo.*

AR-

ARGVMENTVM.

IVdex executor potest cognoscere de nullitate sententiæ, saltem ad effectum remittendi partes ad Iudicem, qui sententiam tulit; faciendo interim supersedere in executione.

SVMMARIVM.

1 *NVllitas, quæ resultat ex eisdem actis, & processu, dicitur patens, & notoria.*
2 *Nullitas patens, & notoria facit, quod sententia, & mandatum habeantur prò nullis.*
3 *Nullitatis patentis, & notoriæ est Iudex etiam Iudex inferior.*
4 *Iudici minori sententiam Iudicis maioris infringere non licet.*
5 *Sententia notoriè nulla non est sententia.*
6 *Iudici executori de nullitate sententiæ cognoscere licet.*
7 *Executor Iudex de nullitate sententiæ cognoscere valet ad effectum remittendi ad superiorem, & interim faciendi supersedere.*

SINGVLARE IX.

AD impediendam executionem cuiusdam mandati Iudicis superioris fuit coram me eiusdem mandati Iudice executo-
1 re deducta quædam nullitas, quæ prætendebatur patens, & notoria vti resultans ex eisdem actis, & processu, & sic sufficiens,
2 vt ipsam sententiam, & mandatum haberem prò nullis, ad tradita per *Vant. de nullit. tit. coram quo nulli prop. poss. num.* 13. vbi per plura firmat, quod de tali nullitate
3 etiam per Iudicem inferiorem cognosci valet; nec videbatur facere, quod in con-
4 trarium replicaretur non licere Iudici minori sententiam maioris infringere per textum in *l. nam magistratus ff. de recept. qui*
5 *arbitr. recep.* quia satis occurrebatur dicendo, quod sententia notoriè nulla non est sententia, cum prò nulla haberi debeat, ad tradita per *Vant. vbi suprà.* Vndè stantibus ijs etiam, quæ in terminis deducit *Guido Pape quæst.* 574. *num.* 1. ad firmandum,
6 quod liceat Iudici executori cognoscere de nullitate sententiæ, indubitanter tenebam, quod id mihi liceret de patenti, & notoria nullitate.

7 Verùm cum dicta notorietas non satis clarè appareret, cautius elegeram supersederi facere in executione, & partes ad eundem superiorem Iudicem remittere, iuxtà doctrinam *Bart. in l. à diuo Pio ff. de re iudic. num.* 9. & aliorum, vbi suprà per *Guidonem Papam dicto num.* 1. & per *Vant. num.* 22. relatorum, quando partes circa negotium principale concordarunt, & sic ad vlteriora processum non fuit.

ARGVMENTVM.

SVspectus de fuga potest iurari etiam ille, qui in carceribus detinetur.

SVMMARIVM.

1 *SVspectus de fuga carceratus iurari non potest, quia è carceribus fugere non valet; sed contrà num. sequenti.*
2 *Carceratum posse iurari suspectum de fuga videtur verius, & quare etiam num. sequenti.*
3 *Creditor non potest curare, quod carceratus non fugiat, si post eius excarcerationem mandatum prò noua carceratione obtinere debet.*

SINGVLARE X.

NOn audiui subuliter nullum dicentem mandatum suspicionis fugæ, eo quod fuerat suspicio iurata, dum suspectus de fuga in carceribus detinebatur, & a quibus
1 fugere non poterat. Quamuis enim hæc doctrina sit originalis *Baldi doctoris acutissimi in authen. ei qui, Cod. de bon. auth. Iud. poss. col.* 4. *vers. quæro, dictat statutum,* quem sequitur *Felin. in cap. significauerunt, num.* 15. *de Iud. & Alex. cons.* 159. *num.* 7.
2 *lib.* 2. tamen contrarium videtur verius, per ea, quæ notat *Iason in l. si fideiussor §. satisdatum, num.* 19. *relat. per Carpan. ad stat. Mediolanen. cap.* 242. *litera* F. *verbo contestari;* & quidem carceratus per accidens tunc non poterat fugere, sed non erat quin relaxatus non potuisset, cum practi-
3 cabile non videatur id, quod dicit *Alex. vbi supra*, videlicet, quod creditor, qui recommendare vult carceratum, possit prouidere, & diligenter curare, quod relaxatus denuò cum noua suspicione carceretur. Vsque dum enim, post excarcerationem, nouam suspicionem deducet prò obtinen-

tinendo mandato, vtique debitor fugere poterit.

Cum itaque iuramentum prædictum bene posset saluari dicendo, quod relaxatus poterat fugere, ipsum carceratum cum supradicto mandato suspicionis fugæ recomendandum dixi, & recomendatus fuit.

ARGVMENTVM.

Confessio potest diuidi, quando præsumptionibus id suadetur.

SVMMARIVM.

1 *Confessio in ciuilibus debet vel in totum admitti, vel in totum reijci.*

2 *Confessio potest in parte acceptari, & in parte reijci, quando præsumptiones id suadent.*

3 *Confessio potest diuidi etiam quando est facta cum pluribus capitulis separatis, & circa diuersa facta, quorum vnum non qualificet aliud.*

4 *Confessio etiamsi non possit diuidi, Iudex ex præsumptionibus illam diuidendi habet arbitrium.*

5 *Solutio semper præsumitur facta in debitum durius.*

6 *Solutio semper præsumitur facta iuxtà verosimile.*

7 *Responsio positionibus data debet à ponente, vel in totum acceptari, vel in totum reijci, sed contrà num. sequenti.*

8 *Responsio data positionibus, videtur verius, quod in parte possit acceptari, & in parte reijci, maximè stantibus præsumptionibus.*

9 *Compensatio de specie ad quantitatem non admittitur.*

10 *Compensatio de publico ad priuatum non intrat.*

11 *Compensatio de liquido ad illiquidum locum non habet.*

12 *Conclusione facta in causa, partes amplius non audiuntur.*

SINGVLARE XI.

Conuentus quidam a quodam exactore publico, vt solueret quoddam debitum, excipiendo dixit debitum solutum esse ex quadam compensatione, & vt suam intentionem probaret, quasdam positiones dedit, quibus actor respondendo fassus fuit recepisse nonnullas res a dicto reo conuento, sed nomine alterius creditoris, & non proprio. Dubitabatur itaq; an confessio
1 prædicta posset diuidi, non obstante, quod confessio in ciuilibus debeat, vel in totum reijci, vel in totum admitti, vt per *Grat. discept. foren. cap.* 339. *num.* 1. & per *Rotam coram Verall. seù Caputaq. decis.* 186. *nu.* 2.

2 Et quia aderant iuris præsumptiones prò illo, qui soluerat, tenui, quod posset diuidi, & in parte acceptari, ac in parte reijci, præcipuè ad tradita per *Surd. decis.* 258. *num.* 6. & per *Rotam in decisionibus diuers. decis.* 802. *num.* 2. *parte* 1. ac per alia tradita per *Marescot. var. resol. lib.* 2. *cap.*
3 45. *num.* 10. vbi de magis communi opinione refertur, & hoc non obstante, quod posset dici, quod in prædicta confessione essent plura capitula separata, & diuersa facta, quorum vnum non qualificaret a-
4 liud ad *Marescot vbi suprà num.* 16. & maximè cum etiam quando confessio non potest diuidi Iudex ex præsumptionibus arbitrium habeat illam diuidendi, vt subdit
5 idem *Marescottus num.* 20. Præsumptiones autem erant, quod solutio semper præsumitur facta in debitum durius, *Grat. vbi suprà, cap.* 224. *num.* 86. vbi in specie dicit, quod propter hoc diuisio confessionis admittitur, & durius erat creditum recipientis, cum esset publicum, & haberet executionem paratam, quam illius, prò quo se recepisse asseruerat, quod erat priuatum, & absque vlla speciali obligatione.
6 Item, quod semper præsumitur prò verosimili, & præcipuè in materia solutionum *l. si ex pluribus* la seconda *ff. de solut. Grat. vbi supra num.* 95. & verosimile erat, quod si voluisset soluere alteri, quam recipienti, eidem non soluisset, cum & alter ille creditor in eodem loco moram traheret, & cautius soluentem quietare potuisset.

7 Nec mihi visum fuit obstare quod dicit *Menoch. de arbitr. cas.* 93. *num.* 24. videlicet quod responsio positionibus data de-
8 beat in totum a ponente reijci, vel in totum acceptari, quia volui potius sequi *Marescot. vbi supra nu.* 21. dicentem, quod Doctores non faciunt hanc distinctionem inter confessionem factam in positionibus, & factam aliter, & quidem si benè considere-

deretur a fortiori deberet posse diuidi confessio facta in positionibus, quibus regulariter responderi debet purè, & simpliciter, cum si aliter fiat extra propositum fiat, & maximè stantibus præsumptionibus prædictis,

9 Compensationem tamen in tali casu non admittendã duxi, quia prætendebatur fieri de specie ad quantitatem, quod non potest *l. fin. Cod. de compens. & ibid. Baldus.*

10 Item, quia videbatur de debito publico ad priuatum, quod pariter non permittitur;

11 *Afflict. decis.* 19. *num.* 4. Tandem, quia de liquido ad illiquidum, quod nec licet *Bal. in dicta l. fin. & Maranta in suo spec. parte* 4. *dist.* 6. *in verbo, an Iud. sit conuen. vel reconuen.* & hoc non obstante, quod reus offerret infrà breue tempus valorem

12 dictarum rerum liquidare, quia ei obstabat conclusio in causa iam facta, postquam partes amplius non audiuntur, *Mascard. de prob. concl.* 347. *num.* 127. *&* 128.

Executionem itaque prò debito publico commisi, & exactorem, facta prius liquidatione pretij rerum receptarum, ad illud restituendum fore condemnandum dixi, proùt & condemnaui.

ARGVMENTVM.

VXor in bonis Mariti præfertur creditoribus eiusdem, quando ipse Maritus ad inopiam vergit, & ipsa inopia aliqualiter tantum, & non plenè probatur.

SVMMARIVM.

1 *Dos an sit restituenda nec ne vxori, marito ad inopiam vergente, dubitatur.*

2 *Dos, marito ad inopiam vergente, assecuranda, & in tuto ponenda est.*

3 *Dos, marito ad inopiam vergente, vxori est assignanda, & in tuto ponenda ad effectum solum, quod ex fructibus onera matrimonij sustineantur.*

4 *Fructus dotis assecuratæ propter vergentiam mariti ad inopiam, si supersunt vltrà sustentationem onerum matrimonialium, sunt viri, & sic creditoribus eiusdem obligati.*

5 *Vergentia mariti ad inopiam si contrà eundem maritum agitur, etiam probationibus leuioribus probatur.*

6 *Vrgentia mariti ad inopiam contra eundem etiam probatione semiplena probatur.*

7 *Vergentia mariti ad inopiam probatur ex pluribus executionibus contrà ipsum imminentibus.*

8 *Vergentia mariti ad inopiam plenè est probanda, quando contrà tertios possessores agitur, & quarè.*

SINGVLARE XII.

IN concursu super quibusdam bonis cuiusdam viri, prætuli omnibus alijs creditoribus vxorem prò suis dotibus, prò quibus instrumenta in tempore priora habebat, & hoc non obstante, quod probasset vergentiam mariti ad inopiam tantum per dictum vnius testis,

1 Quamuis enim sit apud Doctores in dubio, an propter vergentiam mariti ad ino-

2 piam sit locus restitutioni dotis, tamen, quod saltem sit locus assecurationi, & positioni in tuto, videtur indubitatum, per ea, quæ tradit *Barbos. in l. si constante, num.* 47. *ff. sol. Matr. Mastril. decis. Sicil.* 142. *num.* 14. *& seq. Giurba decis. pariter Sicil.* 16. *num.* 4. *relati per Fontanellam de pactis nuptialibus, tomo posteriori, clausula* 7. *gloss.* 2. *parte* 3. *per totam.*

3 Declaraui tamen, quod bona prædicta prò concurrenti quantitate dotium ponerentur in tuto solum, vt ex fructibus onera matrimonij sustinerentur, ad *l. Mutus* §. *manente ff. de iure dot. l. si cum dotem* §. *si vero ff. sol. matr.* & ad ea, quæ latè tradit *Fontanella, vbi suprà num.* 44. *& sequentibus.*

4 Dato enim, quod vltrà fructus prò oneribus matrimonij sustinendis, aliqui alij fructus superessent, vtique ad Maritum, & sic ad creditores spectassent. *Surd. de alim. tit.* 1. *quæst.* 35. *num.* 4. *&* 5. *Fontanella vbi suprà, num.* 50.

Nec obstare iudicaui, quod plenè vergentia mariti ad inopiam probata non

5 fuisset, quia cum ageretur contrà maritum sufficiebant leuiores probationes, & præsumptiones, *Beninten. decis. Bonon.* 68. *nu.* 5. *Giurba ad Stat. Messanen. parte* 1. *cap.* 13.

6 *Gloss.* 3. *num.* 11. & sola semiplena probatio erat sufficiens, vt tradit *Grat. decis.* 194.

 num.

num. 23. *& discept. foren. cap.* 489. *num.*
7 10. maximè, quia plures executiones contrà maritum imminebant, quod sufficit, vt habetur apud *Fontanel. vbi suprà, num.* 43.

Nec tandem me retinuit, quod purè contrà maritum non ageretur, sed etiam ad impediendum alios creditores, quia
8 sufficiebat, quod non ageretur contra tertios possessores, quo casu tantum vergentia mariti ad inopiam plenè est probanda, vt in terminis latè tradit *Fontanella, vbi suprà, & præcipuè num.* 39. & meo iudicio hac optima ratione, videlicet, quod quando vxor agit contrà tertios possessores, iam passa fuit bona transire ad ipsos, dando sic præsumptionem alia bona prò sua dote remanere, quod non procedit quoad creditores, quibus ipsa actualiter contradicit.

ARGVMENTVM.

Sententia lata cum citatione executa, sed per nuncium adhuc non relata, est nulla.

SVMMARIVM.

1 *Sententia, vt non sit nulla ex defectu citationis, non sufficit quod citatio sit executa, sed requiritur, quod antea quam sententia feratur, constet in actis de dicta executione per nuncij relationem.*
2 *Relatio nuncij requiritur, vt de citatione constare dicatur.*
3 *Contumax Iudici fit iniuriosus, & ideo in pœnam contrà ipsum pronunciatur.*
4 *Citationis effectus est, vt Reus possit se defendere.*
5 *Contumax verè non potest dici citatus anteaquam nuncius de citatione relationem in actis fecerit.*
6 *Contumax dicitur a con, & tumeo, quasi quod in se ipso superbiat, & contrà Iudicem contumescat.*
7 *Adesse non dicitur, quod potest contingere abesse.*
8 *Actore non deducente reus est tutus.*
9 *Iudicare super causa non proposita, est iniquum.*

SINGVLARE XIII.

Qvandam sententiam nullam pronunciaui, ex quo lata fuerat anteaquam in actis fuisset descripta relatio nuncij, qui reum contumacem post prædi-
1 ctam sententiam citasse deposuerat. Ad
2 euitandam enim nullitatem sententiæ, & citationis, in primis, & ante omnia de prædicta relatione constare debet, *Bart. in l. multum ff. de cond. & dem. num.* 4. *& in l. Hac autem* §. 1. *ff quib. ex caus. in poss. eat.* sequitur *Felinus de Constitutionib. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, num.* 14. sequuntur & alij relati per *adden. ad Bart. in dicta l. Hac autem*, & per *Maran. in suo spec. parte* 6. *rubr. rectè concipiatur citatio, num.* 54. 55. *&* 56. vbi ipse *Maran.* hoc prò notabili, & mente tenendum tradit.

Et quamuis ratio per Bart. & alios allegata mihi non satisfaceret; tùm quia contumacia citati non pendet a relatione nun-
3 cij, sed a sua non comparitione, & sic punitio ob contumaciam, qua contumax Iudici efficitur iniuriosus, vt dicit *Maranta vbi suprà rubr. & aduertatur circa contum. num.* 7. ab hac non comparitione, & non
4 à relatione nuncij pendere debet; tùm quia effectus citationis, qui est, vt Reus possit se defendere *Clem. Pastoralis* §. *caterùm de re iud. cum similibus*, iam per citationem resultat, & sic nihil refert, quod nuncius referat, vel non referat.
5 Tamen considerabam contrà ea, quæ supponit *Bart. vbi suprà*, quod non est verum, quod citatus ante relationem nuncij
6 sit verè contumax, quia si est verum, quod contumax dicatur à con, & tumeo, quasi quod in se ipso superbiat, & contrà Iudicem contumescat, vt declarat *Card. in Clem.* 1. *col.* 8. *de dolo, & contumacia*, non potest dici, quod sit talis ante relationem nuncij, eo quia potest dici, quod ipse non comparuerit, non quidem quia contumesceret, sed quia animaduerterit nunciū non retulisse, & sic crediderit, quod Actor nol-
7 let amplius prosequi. Dictam enim contumescentiam non potest dici adesse, quando potest contingere abesse, *cap. inter corporalia, de translat. Episcopi*, & maximè cum Reus opus non habeat se defendere si

Actor

8 Actor suam actionem nō proponit, actore enim non deducente Reus est tutus, quia
9 iniquum esset super causa non proposita iudicare, *Mascard. de probat. concl. 36. num. 63.*

ARGVMENTVM.

CONfessio ficta in aliquo iudicio ex contumacia resultans in alio non præiudicat, nec etiam inter easdem personas.

SVMMARIVM.

1 *Actor fundamentum intentionis suæ, etiam parte non opponente, probare tenetur.*
2 *Confessio ex contumacia resultans est confessio ficta.*
3 *Confessio ficta ex aliquo iudicio resultans, in alio iudicio non præiudicat, etiamsi sit reproducta inter easdem personas.*
4 *Dictio (maximè) exprimit casum minus dubitabilem, & implicat magis dubitabilem.*
5 *Confessio ficta in aliquo iudicio resultans, quarè non nocet in alio.*
6 *Contumax in ciuilibus non comparendo Iudicem spernit, & ideo habetur prò confesso, & sic punitur.*
7 *Pœna restringitur, & delictum egredi non debet.*

SINGVLARE XIV.

QVidam conuenerat alium vti hæredem cuiusdam, & ad probandum esse talem produxerat quædam præparatoria ipsum Reum conuentum talem esse continentia, ex quo aliàs in alio iudicio inter easdem personas prò confessatis in contumacia pronunciata fuerant, & successiuè ipso Reo conuento non comparente, mandatum obtinuerat, exequi fecerat, & coram me prò subastatione pignorum
1 instabat, quando Reus dixit de nullitate, & obtinuit, quia Actor fundamentum intentionis suæ, videlicet Reum conuentum esse hæredem, re vera per dictam exhibitionem non probauerat, prout probare tenebatur etiam parte non opponente, ad tradita per *Cagnol. in l. Hæredem num. 5. ff. de reg. iur.* per *Grat. discept. foren. cap. 668 num. 5. & alios passim*, & maximè cum ipsemet Actor ad id teneri approbasset, cum tam in primo iudicio, quam in eo, de quo tractabatur præparatoria prædicta produxisset, vt ante litis contestationem, & sic etiam parte non opponente Reum hæredem esse verificaret.
2 Illa enim præparatoria pronunciata prò confessatis ad tradita per *Menoch. de Præsumpt. præsumpt. 124. num. 59.* inducebant tantum Rei conuenti confessionem fictam,
3 quæ ex contumacia resultat, & sic in alio iudicio probare non poterat, *Mascard. concl. 348. num. 32.* etiamsi esset reproducta inter easdem personas, vt eleganter habetur, & per *Ruinum cons. 19. num. 7. & sequenti, vol. 5.* quod consilium quamuis loquatur in criminalibus, benè tamen adaptatur & in ciuilibus, cum adducantur in eo regulæ generales, & postea materiæ criminali applicentur per verba ampliatiua,
4 maximè, præcipuè, & similia, quæ exprimunt casum minus dubitabilem, & implicant magis dubitalem, *Rota coram Ludouis. decis. 420. num. 6.*
5 Et quidem ad ita pronunciandum etiam ratione astrictus fui, dum considerabam, quod ficta confessio ex Rei contumacia resultans sit pœnalis, quasi quod contra ip-
6 sum inducatur, ex quo non comparendo Iudicem spernat, ad ea, quæ obseruat *Maranta in suo spec. parte 6. rubr. & aduertatur circà contum. num. 7. & sequentibus*, & sic vti pœnalis veniat restringenda, & vltrà casum, in quo inducta fuit, non sit exten-
7 denda, cum in pœnalibus fiat restrictio, *Bart. in l. 2. in fine ff. qui petant tutores*, & maximè attenta iuris canonici æquitate, qua Doctores communiter firmant pœnam delictum egredi non debere, vt per *Honded. cons. 72. num. 14.*

ARGVMENTVM.

PRobato mutuo, vel debito, eius quantitas, vel valor iuramento creditoris probari potest.

SVMMARIVM.

1 *Quantitas mutui, mutuo probato, iuramento mutuantis probatur.*

2 *Quantitas debiti, debito probato, iuramento creditoris probatur.*

3 *Valor rei mutuatæ, vel rei venditæ, probato mutuo, vel probata venditione, iuramento mutuantis, vel venditoris probatur.*

4 *Iuramentum non defertur ei, de cuius facto non agitur.*

5 *Iuramentum expressiuum valoris, vel quantitatis, facilius actori defertur, si de parua summa tractetur.*

6 *Iuramentum expressiuum quantitatis, vel valoris ad verisimile restringitur.*

7 *Iuramentum creditoris ex eiusdem creditoris probitate qualificatur.*

8 *Promptitudo, & ingenuitas attestationis, Iudicis arbitrium mouere debet.*

9 *Testis etiam pars dicitur in ijs, ad quæ ad iurandum admittitur.*

SINGVLARE XV.

Probauerat quidam se mutuasse cuidam quædam bona, de quorum tamen valore non constabat, & cum actor eundem va-
1 lorem medio iuramento specificare offerret, eidem detuli, & iuramento prædicto circà valorem stari mandaui, per ea, quæ tradit *Mars. sing.* 322. quod singulare menti tenendum ipse dicit in practica, cum multi prima fronte contrarium dicerent, licet enim ibidem solum firmetur per doctrinam *Ray. de Forlì, in l.* 1. *ff. de in litem iuran. & Capol. in cautela* 210. *incip. aliquis mutuauit*; quod probato mutuo stetur postea iuramento circa quantitatem, & attentis præcipuè prædictis auctoritatibus decisum fuerit per Senatum Pedemon.
2 quod probato debito stetur super quantitate iuramento creditoris, vt per *Cacche-*
3 *ran. decis.* 96. *nu.* 3. *& sequent.* quem (supposita negatione debiti in Reo) late sequitur *Rot. Rom. in nouiss. decis.* 746. *par.* 1. Tamen mihi visum non fuit, quarè etiam probato mutuo bonorum, eorundem bonorum valor iuramento mutuantis liquidari non posset, & maximè per ea, quæ notat *Tiraquel. de retractu ad finem tituli à num.* 87. *vsque ad num.* 92. vbi a prædicto iuramento liquidationis quantitatis mutui arguit ad iuramentum pretij rei venditæ, quamuis postea concludat, quod in suo
4 casu liquidatio pretij fieri deberet arbitrio boni viri, ex quo de facto actoris, pròut
5 hic non agebatur. Et eo magis hoc feci, quia tractabatur de non magna summa, &
6 iuramentum tendebat ad exprimendam summam verisimilem. Secundum enim aliquos ad verisimile est restringendum iuramentum prædictum, vt innuit idem *Capol. vbi suprà ad mentem eiusdem Rayn.* & tradit *Decius in cons.* 146. quos citat idem
7 *Marsil.* Vltrà quod concurrebat etiam probitas creditoris considerata per dictam decis. Pedemon. & ipse creditor tam prom-
8 ptè, & absque fuco id affirmabat, quod sibi captabat arbitrium Iudici circa probationes attributum, per verba textus in *l.* 3. *ff. de testibus*, videlicet: *Tu magis scire potes quanta fides habenda sit testibus, qui, & cuius dignitatis, qui, & simpliciter visi sunt*
9 *dicere, &c.* Etiam enim pars testis dici potest in ijs, ad quæ ad iurandum admittitur, per ea, quæ notat *Mascard. de prob. concl.* 952. vbi allegatis in principio iuribus, quibus cauetur neminem in sua causa testem esse posse, postea excipiendo subdit casus, in quibus medio iuramento, quis etiam in propria causa ad probandum admittitur.

ARGVMENTVM.

Appellans alternatiuè dummodo coram Iudice inferiore litem non contestetur, illo relicto, Iudicem superiorem, vel æqualem cum eadem appellatione adire potest.

SVMMARIVM.

1 *Appellatio est communis vtrique parti.*

2 *Appellationem variare licet, si lis non est introducta, & Iudex superior, vel æqualis adiri potest, non obstante, quod Iudex inferior iam se Iudicem competentem pronunciasset, & quare.*

SINGVLARE XVI.

Quidam alternatiuè appellauerat, & causam appellationis coram inferiore introduxerat. Quærebatur an illam

illam coram superiore sibi prosequi licitũ esset inuito appellato: & videbatur quod non propter ius ipsi appellato quæsitum
1 ex tali introductione, appellatio enim est communis tam appellanti, quam appellato *l. ampliorem, Cod. de tempor. appell.* Tenui tamen, quod liceret, cum adhuc lis contestata non fuisset, & de viribus appel-
2 lationis non extitisset obiectum. Cum enim de appellatione non est discussum, & pronunciatum, & à tali pronuncia non fuit appellatum, variatio est licita, dummodo ad æqualis, vel maioris iurisdictionis Iudicem appelletur, per ea, quæ circa omnia deducit *Scac. de appell. lib. 3. cap. 2. quæst. 9. nu.* 11.

Nec visum fuit obstare, quod Iudex inferior inhibendo iam se competentem declarauerat, quia *Scaccia, vbi suprà*, & hoc supponit, & tamen ad mentem *Io. Andrea in addit. ad specul. tit. de appell. §. nunc tractemus, num.* 18. ita tradit; & meo iudicio hac optima ratione, quod scilicet Iudex dum pronunciat se competentem, non ex-
3 cludit magis competentem, vt est superior. Quamuis enim hoc posset dici & post litem contestatam, tamen tunc locum habere non debet, ex quo tali casu remanet competens ex quasi contractu partium, quæ litem contestando ita conuenerunt. Vltra quod post litem contestatam militaret & consideratio expensarum, quæ cessat ante contestationem; & sic iudicaui.

ARGVMENTVM.

Actus factus absque eo, quod fiat, vel fieri possit citra nomen hæredis, inducit hæreditatis aditionem, & immiscentiam in ipsa.

SVMMARIVM.

1 *Actor agens contra aliquem vti hæredem non solum tenetur probare ipsum esse talem, sed etiam, quod in hæreditate iam se immiscuerit, & hoc etiam parte non opponente.*

2 *Immiscet se in hæreditate Patris filius, qui intentat exactionem crediti paterni, si alio titulo, quam hæreditario id facere non potest, & hoc etiamsi aliquid non consequatur.*

3 *Filius iudicium hæreditarium sustinens, vel debitum hæreditarium soluens absque protestatione in magna quantitate, dicitur se in hæreditate Patris immiscere.*

SINGVLARE XVII.

Cvm creditor cuiusdam agendo contra illius filium vti ipsius hæredem
1 teneretur non solum probare ipsum esse talem, etiam parte non opponente, ad tradita præcipuè per *Grat. discept. foren. cap. 668. num.* 5. sed etiam se parentis sui hæreditati immiscuisse, ad tradita per *Mascard. de probat. concl.* 804. *num.* 1. deducebat, quod ipse filius egisset in quodam
2 iudicio, & proposuisset quoddam creditum paternum ad se spectare, absque eo quod hoc facere potuisset alio titulo, quam hæreditario, & hinc instabat, quod ipsum non solum hæredem pronunciarem, sed etiam hæreditatem adijsse declararem, ad ea, quæ in terminis talia facientis tradit *Mascard. dicta concl.* 804. *num.* 7. & hoc non obstante, quod ex dicto iudicio aliquid consecutus non fuisset.

Circa itaque primum non dubitabam, quia dabam prò indubitato, quod hæreditas esset adita, ex quo talis actus a voluntate dependet, vt notat *Mascard. vbi suprà concl.* 853. *num.* 23. Verùm de secundo eram anxius, ex quo *Mascard.* id non dicit, & non videbatur posse dici se immi-
3 scuisse si aliquid consecutus non fuisset. Considerato tamen, quod etiam per sustentationem iudicij, vel per solutionem debiti hæreditarij in magna quantitate, & absque protestatione filius dicitur se immiscere, vt subdit *Mascard. à nu.* 8. *vsque ad* 13. iudicaui quod sufficeret, cum re vera & actio vt suprà proposita sit effectus hæreditatis, & quo effectu ipsum filium vsum fuisse negari non poterat.

ARGVMENTVM.

Qvando remissio debiti induci non potest ex tribus requisitis *l. Procula de probat.* videlicet ex diuturnitate temporis, ex coniunctione sanguinis, & ex calculis sæpè factis, videtur posse præ-

sumi

sumi solutio solùm ex sæpè, immò ex bina tantum calculata ratione, sed requiritur, quod calculum operatum fuerit hinc inde solutionem, permutationem, compensationem, vel quid simile, & quare.

SVMMARIVM.

1 *Debitum remissum præsumitur, si concurrant simul diuturnitas temporis, coniunctio sanguinis, & sæpè calculata ratio.*
2 *Tempus decem annorum diuturnum dicitur inter præsentes.*
3 *Coniunctio sanguinis ad inducendam remissionem debiti considerari potest etiam vltrà casum fraternitatis.*
4 *Debitum fuisse solutum præsumi potest ex diuturnitate temporis, & ex sæpè calculata ratione.*
5 *Solutio per coniecturas probari potest.*
6 *Debitum fuisse solutum præsumi potest ex sæpè calculata ratione, & ex diuturnitate temporis tantum duorum annorum.*
7 *Diuturnitas temporis requisita in* l. Procula de prob. *restringitur ad biennium.*
8 &) *Debitum fuisse solutum potest præsumi tan-*
10) *tùm ex bis calculata ratione, dummodo ex ipsa calculatione fuerint sequutæ hinc inde solutiones, compensationes, permutationes, vel similes actus.*
9 *Remissio minus præsumenda est, quam solutio.*
10 *Soluere non præsumitur quis id, quod debet, absque eo quod exigat id, quod sibi debetur.*

SINGVLARE XVIII.

Contendebat quidam repellere suum consanguineum agentem ad exactio-
1 nem cuiusdam crediti, dicendo, quod ex tribus requisitis *l. Procula de probat.* debitum præsumebatur remissum: erat enim
2 elapsum tempus decem annorum, quod diuturnum dicitur inter præsentes, vt in proposito tenet *Hipp. de Mars. sing.* 360. Aderat vlterius coniuncto sanguinis, & tertiò prætendebatur sæpè inter ipsos rationem calculatam fuisse.

Subiungebat postea, quod in euentum insubsistentiæ dictorum trium requisitorum copulatiuè, adhuc non poterat molestari, stante præsumpta solutione. Dato enim, quod non interfuisset coniunctio sanguinis, vel quod ipsa extendi non pos-
3 set vltra casum fraternitatis, quod tamen potest ad tradita per *Vrsil. ad decis.* 13. *Afflict. num.* 18. tamen cum hæc requiratur solum ad inducendam remissionem, & condonationem debiti, vt dicit *Christoph. Mart. exam.* 53. *num.* 54. *ad decis. Senen.* 84.
4 vbi latè hanc materiam tractat, sufficere videbatur, quod remanerent illæ aliæ duæ præsumptiones, videlicet taciturnitas in
5 non petendo per diuturnitatem temporis, & sæpè calculata ratio, cum solutio per coniecturas probari valeat, ad tradita per *Menoch. præsumpt.* 135. *lib.* 3. *in princ.* Immò dato etiam, quod non interfuisset diuturnitas temporis decem annorum, adhuc
6 præsumi posse prætendebat solutionem ex sæpè calculata ratione, iuncto biennio taciturnitatis, ad tradita per *Martium vbi suprà num.* 55. & per *Donfranciscum Merlin. controuers. foren. cap.* 87. *num.* 8. *ex Alciat. de præsumpt. reg.* 1. *præsumpt.* 32. *num.* 5. &
7 *Menoch. de arbitr. cas.* 88. qui verbum (quandiu) in dicta *l. Procula*, ad biennium restringunt. Sepè enim ratio calculari potest in paruo tempore, vt dicit *Alciat. vbi suprà*, & tota vis præsumptæ solutionis ad hanc calculationem reduci potest, ad *Martium vbi suprà dicto num.* 55.

Quia tamen sæpè rationem calculatam fuisse non constabat, & pròut constare debet saltè per tres, vel quatuor vices, ad tradita per *Merlin. vbi suprà*, & per *Socc. Iun. cons.* 228. *num.* 129. *lib.* 1. ac per *Barbos. in l. quæ dotis, num.* 4. *vers. vlterius solut.*
8 *Matr.* vel ad minus per duas vices, vt vult *Martius, vbi suprà num.* 61. qui admittit opinionem *Merlini, Socc. Iun. & Barbosæ*, de tribus, vel quatuor vicibus in casu *l. Procula*, ad inducendam scilicet remissionem, & restringit ad duas vices in casu præsumptæ solutionis, quæ facilius pro-
9 bari potest, cum minus præsumenda sit remissio, quam solutio, vt dicit ipse.

Et quia vlterius nec ad effectum prædictum apparebat saltem semel benè calculatum fuisse, quod non modicam præsumptionem solutionis facere potuisset, ad tradita per eundem *Martium, vbi suprà dicto num.*

num. 61. vt enim aduertit ipse *dicto nu.* 55. *& sequentibus* non sufficit simplex calculatio, sed requiritur, quod hinc inde fuerint sequutæ solutiones, compensationes, & permutationes, vel similes actus, ad tradita per *Socc. Iun. cons.* 128. *num.* 128. *vers. Rursus*, & quidem meritò cum præsumptio exactionis non ex calculatione, sed ex so-
10 lutione inducatur, arguendo quod non sit præsumendum quod quis voluerit soluere quod debebat, & noluerit exigere quod sibi debebatur, vt ratiocinando dicit & ipse *Mart. vbi suprà*.

Ad vlteriora procedi mandaui non obstantibus talibus exceptionibus remissionis, & præsumptæ solutionis, quæ simul propositæ meo iudicio arguebant etiam non rectam mentem in excipiente, cum inuicem repugnent fuisse remissum, & fuisse solutum.

ARGVMENTVM.

AGens ex Saluiano obtinere debet contrà tertium possessorem possidentem bona sibi generaliter obligata, etiamsi non excusserit principalem debitorem, & ipsum fundum specialiter obligatum.

SVMMARIVM.

1 *SAluianum intentant contrà tertium possessorem possidentem bona sibi generaliter obligata de iure succumbere debet, si prius principalem debitorem non excussit; sed contrà num. sequenti.*

2 *Excussionem contrà principalem debitorem, vel fundum specialiter obligatum necessariò præmittere non debet, qui agit contrà tertium possessorem bonorum generaliter obligatorum, saltem de obseruantia.*

3 *Creditor creditori anteriori opponere potest, quod contrà bona debitoris per se ipsum possessa non potest venire, nisi prius excusserit fundum sibi specialiter obligatum, secus autem emptor, vel alio titulo, quam creditoris, possessor.*

SINGVLARE XIX.

AGenti ex Saluiano ad exactionem fructuum census contrà tertium, qui possidebat bona sibi occasione eiusdem census
1 generaliter obligata, opponebatur, quod debebat prius excutere suum principalem debitorem, per textum in §. *neque*, *Authen. de fideiuss.* qui generaliter ita fieri mandat, & latè, magistraliter, procedendo, firmat *Merenda controuers. iur. lib.* 5. *cap.* 39. *per totum*, & quidem, ratione perpensa, ita faciendum videbatur, quicquid in contrarium sæpè sæpius dixerit *Rota Romana*, quia vt dicit ipse *Merenda*, nunquam talis punctus ex professò fuit discussus.

2 Contrarium tamen tenui, & mandaui, per ea, quæ habentur *decis.* 444. *num.* 7. *parte* 1. *nouiss. qua coram Seraph. est decis.* 383. *nu.* 9. *& coram eodem decis.* 327. *nu.* 1. *& decis.* 760. *nu.* 2. *parte* 2. *recent. & decis.* 17. *nu.* 49. *&* 52. *parte* 5. *quę coram Duran. est decis.* 40. *num.* 48. *&* 51. sed præcipuè per ea, quæ tradit *Grat. discept. foren. cap.* 38. *nu.* 1. 2. *&* 3. *& seq.* vbi in puncto dicit, quod hæc est communis opinio, & quod ita seruatur in praxi, & in *decis. March. decis.* 25. vbi dicit, quod hæc opinio vsu recepta est seruanda, non obstante dispositione iuris communis, & non obstante etiam æquitate, quod vltimum dictum videtur mirum, sed meo iudicio non est, si consideretur, quod & ius commune, & æquitas ipsa cessare debent respectu illorum, qui hac obseruantia vigente contrahunt, & eidē (prout fecit dictus tertius possessor bona prædicta acquirendo) se supponunt. Vltrà quod *Gait. de credit. cap.* 4. *quæsit.* 7. *n.* 776. *& seqq.* hanc opinionem in vsu receptiorem, & communiorem dicit, & ab ea in praxi non esse recedendum tradit, & quidem rectè, cum sit etiam verior secundum *Pacif. statil. de salu. inspect.* 2. *cap.* 2. *num.* 26. *& seqq.*

Nec visum fuit obstare, quod saltem excuti prius deberet fundus censitus, ad
3 *l. quoties, Cod. de pignor.* Quia contrarium firmat *Grat. dicto cap.* 38. ex quo dispositio dictæ legis procedit inter creditores anteriores, & posteriores, inter quos non potest experiri generalis hypotheca, nisi prius

prius excussa speciali; non autem habet locum ad fauorem tertij, qui possidet bona alio titulo, quam creditoris, vt erat iste de quo tractabatur, qui ista opponere non potest, ad tradita etiam per *Cencium de censibus, quaest. 98. num. 34. & sequentibus.*

ARGVMENTVM.

EMptori rem, & pretium habere non licet, & tenetur soluere fructus compensatiuos ad rationem fructuum, quos percipit ex re empta, & vlterius habito etiam respectu ad delicias, quibus ex eadem re fruitur, & ad lucrum cessans venditori ex non solutione pretij conuenti.

SVMMARIVM.

1 *EMptor tenetur soluere fructus compensatiuos iuxtà taxationem factam cum venditore, etiamsi eandem quantitatem ex re empta non percipiat.*

2 *Emptor non potest retardare solutionem fructuum compensatiuorum conuentorum, excipiendo, quod res empta taxatum sibi non reddit.*

3 *Consuetudo in taxationibus fructuum compensatiuorum videtur seruanda.*

4 *Emptor tenetur soluere fructus compensatiuos iuxtà conuentionem factam, etiamsi tot fructus res empta sibi non reddat, dummodo ipsa res sit aequaliter deliciosa, vel aequipolleat lucrum cessans in venditore.*

5 *Consuetudo nutritiua peccati non est seruanda.*

SINGVLARE XX.

COntra agentem in terminis *legis curabit, Cod. de act. empt. & vend.* excipiebatur, quod fructus compensatiui, qui praetendebantur, erant excessiui, ex quo conuentio erat ad rationem septem prò centenario, & ad euitandas vsuras videbantur reducendi.

1 Tenui tamen in contrarium, per ea, quae tradit *Castrensis in l. 2. in princ. in verbo aequitatis ratione, Cod. de Vsuris*, vbi dicit conuentionem seruandam esse etiamsi fructus essent taxati ad rationem septem, & octo prò centum, & res vendita tantum non daret. Hoc tamen tenui tantum ne retardarem executionem debitam ex obligatione, quae erat camerali forma

2 vallata, cum enim talis exceptio sit turbida, & requirat altiorem indaginem, saltem circà liquidationem fructuum rei venditae, cameralem obligationem, & instrumentum iuratum retardare non valebat, ad tradita per *Grat. discept. foren. cap. 864. num. 20. & 21.*

Si enim postea comperiretur, quod res empta tantum non redderet, nescio videre quomodo emptor plus praetendere posset, cum actio *l. curabit* detur tantum, ne venditor habeat rem, & pretium, quod cessat quando fructus rei venditae traduntur, quicquid in contrarium dicat *Castren. vbi suprà*, quod saluari non posse arbitror, nisi in casu, in quo res empta esset deliciosa, etsi non fructifera, quia etiam vsus ipse deliciarum videretur compensandus, vel in

3 casu consuetudinis Regionis, cum consuetudo in huiusmodi taxationibus sit seruanda, ad latè tradita per *Rotam Ianuen. decis.*

4 194. *num. 3. & sequentibus*, & quidem meritò si ista consuetudo posset saluari ratione praedicta deliciarum, vel ratione lucri cessantis, quod pariter consideratur in dicta *l. curabit*, vt obseruat *Rota Ianuen. vbi suprà*, secus autem meo iudicio, si venditor verisimiliter pretium inuestire non potuisset ita, & taliter, quod fructus taxatos percipere non debuisset, cum tunc consuetu-

5 do praedicta videretur vsuraria, & sic tanquam nutritiua peccati non attendenda, *Rota in recent. parte 1. decis. 552. num. 13.*

ARGVMENTVM.

REus conuentus sententiam retardare non potest petendo post publicationem processus terminum ad intimandum suo auctori, & maximè si causa est in prima instantia.

SVMMARIVM.

1 *AVctori lis intimari debet saltem ante publicationem processus.*

2 *Auctori lis intimatur, vt comparendo possit illam defendere.*

3 *Au-*

3 *Auctor de euictione non tenetur, si sibi lis denunciata non fuit, & hoc etiamsi notorium esset, quod euictio sequi deberet; sed contrà num. 5.*

4 *Auctori lis intimari debet in principio causæ, ne Actor duas lites facere cogatur, vnam scilicet cum Reo, & alteram cum Actore.*

5 *Auctor etiam denunciatione litis non facta, de euictione tenetur, & quando.*

6 *Res inter alios acta non præiudicat.*

7 *Auctori, vt teneatur de euictione, sufficit litem denunciare etiam in secunda instantia.*

SINGVLARE XXI.

CAusa ad sententiam instructa, petebat
Reus terminum ad intimandum suo
1 Auctori; & quamuis dicta intimatio fieri
debeat saltem ante publicationem proces-
sus, ad *tex. Glos. & Bald. in l. si rem §. fin.*
ff. de euict. Marant. in specul. parte 6. de laud.
2 *num. 5.* Tamen ratione inspecta videbatur
concedendus; non enim videntur velle
Doctores dictam intimationem fieri vt su-
prà, nisi vt Auctor comparendo possit rem
defendere, *Marant. vbi suprà, Couar. var.*
resol. lib. 3. cap. 17. num. 8. & hoc aliquali-
ter etiam in calculo ferendæ sententiæ fie-
ri potest, puta per instrumentum, vel per
aliquam aliam probationem probatam, &
tantò magis hoc faciendum videbatur, quia
3 denunciatione aliqua non præmissa Au-
ctor de euictione non videbatur teneri,
etiamsi notorium esset, quod sequi debe-
ret euictio, ad tradita per *Marant. vbi su-*
pra num. 16.

Sententiaui tamen, non obstante dicta
petitione termini, ipsúmque Reum con-
demnaui, quia non solum leges, & Docto-
4 res prædicta velle ob rationem prædictam
consideraui, sed etiam ne Actor cogeretur
facere duas lites, vnam scilicet cum Reo,
& alteram cum Auctore laudato, & sic lis
indebitè protraheretur saltem durante di-
cto termino, quo pendente lis conquiesce-
5 ret. Vltrà quod animaduerti, quod etiam
denunciatione non facta Reus agere pote-
rat de euictione, ad latè tradita per *Couar.*
vbi suprà num. 6. & seq. quamuis hoc re-
stringendum crediderim ad casum, in quo
euictio per Auctorem impediri non po-
6 tuisset, cum aliàs res inter alios acta ipsi
Auctori præiudicare non posset *l. 1. Cod.*
res inter alios acta. Et tandem, quia erat
causa talis naturæ, quæ appellationem ad-
mittebat, & sic salua erant iura Reo denun-
7 ciandi in causa appellationis, quod suffi-
cit, ad tradita per *Glos. in dicta l. si rem §.*
quolibet ff. de euict. ac per Io. Andr. Host.
Ant. & Imolam in cap. vltimo de empt. &
vend. relati per Couar. vbi suprà numero 8.

ARGVMENTVM.

MErcator, vt lucrum cessans consequi possit ex non sibi facta debita restitutione pecuniæ mutuatæ, debet probare nedum, quod ipse esset solitus negotiari, quod debitor fuerit in mora, & quod merces emere potuerit, sed etiam quod ipsas merces emere voluerit.

SVMMARIVM.

1 *MErcator, vt lucrum cessans consequi valeat, probare debet se solitum fuisse negotiari, negotiari potuisse, & debitorem fuisse in mora.*

2 *Mercator, vt lucrum cessans consequi possit, debet inter alia probare, quod merces emendas præ manibus habuerit, nec sufficit probare, quod illæ reperirentur, sed contrà num. sequenti.*

3 *Mercator, vt lucrum cessans consequi valeat, sufficit, quod inter alia probet, quod merces venales reperirentur, nec requiritur, quod illas præ manibus habuerit.*

4 *Probationes Iudici sunt arbitrariæ.*

5 *Mercator, vt lucrum cessans consequi valeat, videtur, quod inter alia probare debeat, quod non solum mercari potuerit, sed etiam quod voluerit.*

6 *Vsuræ quomodo arbitrandæ.*

SINGVLARE XXII.

PRætendente quodam Mercatore lucrum
sibi cessatum ob non debitam restitutio-
nem pecuniarum per ipsum mutuo data-
1 rum, & supposito quod probata essent duo
prima requisita *Pauli de Castro in l. 2. §. fin.*
ff. de eo, quod certo loco, videlicet quod

ipse Mercator esset solitus negotiari, &
quod debitor pecuniarum esset in mora;
fuit coram me dubitatum, an probatum
fuisset tertium, quod scilicet ipse Merca-
tor præ manibus habuisset merces, quibus
lucrari potuisset, & quidem videbatur,
quod non, cum ex doctrina *Pauli de Ca-
stro, vbi suprà*, quæ communiter à Docto-
ribus tenetur, & à *Rota Romana* amplecti-
tur, vt habetur in *decis. 3. de Vsuris coram*
2 *Mohedano; & in decis. 345. coram Caualer.*
non sufficiat probare, quod merces emen-
dæ reperirentur, prout in casu, de quo
tractabatur, probatum fuerat, sed requi-
ratur, quod ipsas merces creditor Merca-
tor præ manibus habuerit, illasque non
emerit, ex quo pecunias sibi debitas recu-
perare non potuerit.

3 Cum tamen nouissimè latè hanc opi-
nionem referendo, latè pariter in contra-
rium scripserit *Leotard. de vsuris quæst. 74.
per totam*, & quidem *sub num. 42.* in for-
tioribus terminis concluserit, quod non
sit necesse, nec etiam probare, quod mer-
ces reperirentur in Patria Mercatoris cre-
ditoris, cum saltem in nundinis exteris, ad
quas ipse Mercator potest accedere, sem-
per reperiantur; tenui, quod satis super-
que probatum fuisset occasionem prom-
ptam ipsum Mercatorem creditorem ha-
buisse lucrandi, cum merces venales etiam
in sua Patria extitisse probasset, & maximè
cum dicta *lex 2. in fine ff. de eo, quod certo
loco*, nihil aliud concludat, quam vt in
homine solito negotiari habeatur ratio lu-
cri cessantis, & sic meritò ipse *Leotard. vbi
suprà num. 35.* reducat hanc materiam ad
verisimilitudinem, & ita sentiendum refe-
rat etiam de communi, & de practicam
sententia.

4 Verùm quia probationes Iudici sunt ar-
bitrariæ, ad tradita inter alios per *Menoch.
de arbitr. cas. 50. num. 2.* non potui ani-
mum meum accomodare ad credendum,
quod ipse creditor mercator & has pecu-
5 nias negotiare voluerit, & proinde credi-
di, quod necesse fuisset etiam probare,
quod istasmet pecunias negotiare volebat,
vt innuit *Cyriac. controuers. foren. 540. num.
33.* cum passim obseruetur, quod non om-
nes pecuniæ mercaturæ exponantur, im-
mò potius prudentiæ ascribatur moderatè
mercari, & maximè cum in casu, de quo
tractabatur contrarium suaderi videretur,
ex quo pronus ad mercandum non soleat
esse procliuis ad mutuandum.

Quia tamen suadebatur ipsum Merca-
torem & cum istis pecunijs mercari voluis-
se, ex quo testes deponebant, quod si illas
habuisset lucratus fuisset, tenui, quod suo
iuramento supplere posset, & dixi, quod
iurato per ipsum de tali voluntate mercan-
di, eidem vsuræ ad rationem sex prò cen-
6 tenario essent soluendæ, arbitrando sum-
mam ad sex tantum prò centenario, atten-
ta verisimilitudine talis summæ resultante
ex depositionibus testium, nec non atten-
to quod ipse Mercator periculis mercatu-
ræ non se exposuerat, attentisq; alijs con-
sideratis circà hoc per *Nattam cons. 370.
num. 6.*

ARGVMENTVM.

1 Forensis non ligatur statuto decisorio, sed ordinatorio, prout est illud, quod appellationem ad tale, vel tale tempus restringit.

S V M M A R I V M.

1 *Forensis statuto decisorio non ligatur.*

2 *Forensis statuto decisorio non ligatur, præcipuè si contractus non fuerit factus in loco statuentium.*

3 *Statutum, quod appellationem totaliter non tollit, sed ad tale, vel tale tempus illam restringit, dicitur ordinatorium, & non decisorium, & quarè.*

SINGVLARE XXIII.

Mandante statuto appellationem esse
interponendam, & prosequendam,
tali, & tali tempore, alias declarante illam
haberi prò non interposita, vel prò deser-
ta, quidam forensis defecerat, & disposi-
tionem eiusdem statuti effugere procura-
1 bat, dicendo, quod ipse vti forensis tali
statuto decisorio non ligabatur, ad tradita
in terminis per *Rotam in recent. parte 2. de-
cis. 529. num. 2. Muscard. de statutis concl. 6.
nu. 195. & concl. 7. num. 51. & 74. Cyriac.*

con-

controuers. foren. 513. *num.* 30. & maximè
2 cum ipse non esset in iudicio occasione contractus facti in loco statuentium, & sic non obstarent tradita per *Seraph. decis.* 352. *num.* 8. *& per decis.* 101. *post Zacch. de obligat. cam. num.* 7.

3 Verùm, quia statutum appellationem totaliter non tollebat, sed solum illam ad tale, & tale tempus restringebat, tenui non esse decisorium, sed merè ordinatorium, & hoc cum *Franc. in cap. si duobus* §. *denique de appell. relato per Rotam in vna Romana medietatis domus de Gaddis* 12. *Februarij* 1571. *coram Binarino*, quæ est impressa in tract. *Vberti de citat. sub cap.* 5. *num.* 39. & quæ magistraliter distinguendo hanc materiam tractat. Palpabiliter enim, vt ita dicam, apparet, quod tale statutum est ordinatorium, si consideretur, quod tangit modum, & non substantiam, dum non statuit appellandum, vel non appellandum esse, sed quomodo, idest quo tempore appellandum, vel non appellandum veniat.

ARGVMENTVM.

Collectæ præcipuè in Italia debentur Principi, seù Communitati in cuius territorio sita sunt bona collectata, non obstante, quod Domini eorundem bonorum sint forenses, & in eodem territorio non habitent.

SVMMARIVM.

1 *Forenses Principi, seù communitati collectanti non subditi collectari non possunt ratione bonorum in territorio collectantis positorum, si in eodem territorio non habitent, sed contrà de consuetudine, vt numeris sequentibus* 2. *&* 3. *Immo etiam ita fieri posse videtur de iure, vt num.* 4.

2 *Collectari possunt de consuetudine totius Italiæ forenses habitantes extrà territorium collectantis ratione bonorum in eodem territorio positorum.*

3 *Consuetudo collectandi forenses habitantes extrà territorium collectantis ratione bonorum in eodem territorio per ipsos possessorum attestata a Doctoribus per totam Italiam transmittit onus probandi contrarium in ipsam consuetudinem impugnantes.*

4 *Collectari posse videntur forenses etiam de iure ratione bonorum in territorio collectantis per ipsos possessorum, quamuis extrà idem territorium habitent, non obstantibus deductis suprà num.* 1. *& quarè.*

SINGVLARE XXIV.

Cvidam Communitati agenti ad exactionem quarundam collectarum contrà possidentes bona in suo territorio, habi-
1 tantes tamen extrà, opponebatur prò istorum parte, quod ipsi tanquam forenses, & Communitati prædictæ non subditi collectari ab eadem non poterant, ad tradita per *Nattam cons.* 150. *nu.* 4. *& cons.* 160. *nu.* 7. *tom.* 1. per *Gabr. de iur. immun. concl.* 2. *in princ. & num.* 3. & per *Gratian. discept. foren. cap.* 29. *nu.* 6. 7. *&* 8. qui de *communi* attestantur.

2 Verùm in consuetudine contraria se fundabat Communitas, & de qua per totam Italiam testantur omnes Doctores, vt dicit *Festas. de æstimo, & collect. parte* 2. *de Coll cap. an, & quando Foren. num.* 24.

Nec videbatur obstare, quod talis consuetudo esset probanda in specie in loco, de quo tractabatur, & esset probanda immemorabilis, ad tradita per *decis. relatam per Grat. vbi suprà num.* 13. *& seqq.* quia dicta decisio est in terminis Ciuitatū Auenion. & Carpentoraten. & sic locorum, in quibus Doctores de consuetudine præ-
3 dicta non attestantur. *Sperellus enim, qui in terminis Italiæ loquitur in suis decis. for. Eccles. decis.* 35. *num.* 15. *&* 17. absolutè dicit, quod ista consuetudo, vt suprà attestata transmittit onus probandi in illos, qui ex aduerso veniunt, & sic cum nihil in contrarium per prædictos deduceretur, immò prò parte Communitatis ad abundantiorem cautelam de consuetudine prædicta, & specialiter in loco, de quo tractabatur, multum probatum fuisset, Communitati detuli, mandando eidem in dicta exactione assisti, & quidem, vt credo, satis iustè etiam circumscripta consuetudine prædi-
4 cta, cum collectæ, quæ debentur Principi, seù Publico, præcipuè ob status custo-

diam, deberi videantur potius ratione rerum, quam ratione personarum, cum illæ sint in Reipublicę Cœlo ad instar stellarum fixarum, & proindè semper necessario custodiendæ, istæ autem ad instar errantium, & sic per accidens, idest vsquedum in statu commorantur defendendæ.

ARGVMENTVM.

TEstes iurati in termino possunt examinari & ipso elapso.

SVMMARIVM.

1 *TEstes iurati in termino, secundum praxim, & veram iuris opinionem, possunt examinari & ipso elapso.*

2 *Examinatio est quid facti, & ideo etiam extra iudicium expediri valet.*

3 *Probationes, quæ incontinenti fieri possunt, nunquam sunt omittendæ, & incontinenter fieri posse dicuntur, quæ infrà triduum fieri valent.*

SINGVLARE XXV.

PRoposita quæstione, an stante remissoria, quod testes infrà mensem examinentur, liceat illos examinare extrà, si ta-
1 men intrà iurarunt, apicibus iuris omissis, dixi licere, illosque examinari feci iuxtà praxim, de qua testatur *Scaccia de Iudicijs lib. 2. cap. 3. quæst. 9. modo 1. num.* 186. vbi plenè materiam discutit, & hanc opinionem vti etiam in iure veram amplectitur, & de qua praxi affirmat etiam *Vestr. lib. 6. cap. vlt. num.* 8. ea ratione satis clara illam
2 corroborans, quod scilicet examinatio sit quid facti, & ideo etiam extrà iudicium expediri valeat, *Rota decis.* 24. *in vltimis de testibus*, 588. *in antiquis de probat. &* 586. *pariter in antiquis de prob. & de test.* Quamuis enim termino elapso posset dici, quod sit quæsitum ius parti, & sententiæ, non autem probationibus sit insistendum, tamen potest & replicari, quod probatio-
3 nes, quæ incontinenti fieri possunt, & prout sunt istæ, quæ citationibus amplius opus non habent, & statim, nedum intra triduum expediri valent ad *Contar. de moment. poss. limit.* 12. *num.* 15. nunquam omittendæ videntur, cum iudicium non retardent, & ad iustitiam sententiæ multum conferre valeant.

ARGVMENTVM.

VErba in dubio sunt iuxtà æquitatem intelligenda, & sic in terminis remissionis pensionis prò Locatore, & non prò Conductore, quando sterilitas, ob quam remissio petitur, non est considerabilis.

SVMMARIVM.

1 *TRansactio est litis incertæ non gratuita pactio.*

2 *Causa cessante cessare debet effectus.*

3 *Lucrum captare volenti iura minus fauent, quam de damno vitando tractanti.*

4 *Aequitas in dubio est sequenda, & quarè.*

5 *Sterilitas qualibet prò remissione pensionis obtinenda non sufficit, sed magno incommodo conductorem afficere habet, & quomodo dictum magnum incommodum intelligi debet.*

6 *Expensæ fructus minuunt.*

7 *Sterilitas non consideratur quoad remissionem pensionis, si fructus eò carius venduntur, quò pauciores colliguntur.*

SINGVLARE XXVI.

INito quodam affictu pratorum, prata ipsa ita inundata, & arena conspersa fuerè, quod Affictuarius ex hoc affictui renũciare volebat. Verùm cum continuasset stantibus infrascriptis verbis sibi a Domino pratorum dictis, videlicet: *Sega pure i prati, che farò con te quello, che farò con altri: Và, vedi, e sega i prati, che defalcarò quel che defalcarò a gli altri*. Fuit dubitatum, an esset inducta nouatio ita, & taliter, quod Affictuarius ipse mercedis remissionem obtinere posset.

Et prò parte Affictuarij dicebatur, quod in illis verbis fuerat consideratus dubius euentus, quod scilicet ex prædicta inundatione damnum resultare posset, & non posset, & sic quod fuisset inducta quædam transactio, quæ erat seruanda etiam quod damnum in pratis non adesset ratione illius,

1 lius, quod adesse poterat, cum transactio sit litis incertæ non gratuita pactio *cap. super eo, de transact. cum simil.*

Prò parte autem Domini replicabatur, quod non dubius euentus, sed damnum
2 ipsum fuerat consideratum, quo damno cessante, tanquam causa nouæ conuentionis, & conuentio ipsa, idest promissio remissionis pensionis, cessare debebat, ad latè tradita per *Tiraquel. tract. cessante causa, parte 1. num. 11. cum sequentibus.*

Visis itaque hinc inde latè deductis, te-
3 nui, & iudicaui prò Domino, cui fauebat æquitas, ex quo tractabat de damno vitando, & Affictuarius de lucro captando, ex hoc enim iura magis fauent illi, quam isti, *Rota coram Ludouis. decis. 439. num. 9.* &
4 meritò, cum ex *l. 1. de iust. & iure*, ius sit ars boni, & æqui, & propterea æquitas in dubio sit sequenda, arguendo à contrario sensu circa ea, quæ tradit *Rota in decis. diuers. Rubei parte 6. decis. 172. num. 70. & sequentibus.*

Tantòque libentius id feci, quantò consideraui, quod verba prædicta potius adaptari posse videbantur secundæ causæ adductæ prò Domino, quam primæ allegatæ prò Affictuario. Frustra enim dictum fuisset, *và vedi, e sega*, si dubius euentus esset consideratus, prout ratione damni, frustrà dictum non fuisse apparet.

Nec habui in consideratione paululum
5 damni, quod ex processu adfuisse colligebatur, cum quælibet sterilitas non sufficiat prò remissione pensionis obtinenda, sed magno incommodo conductorem afficere debeat, *cap. propter sterilitatem, de loc.* & sic vel requiritur, quod tertia pars fructuum perierit, *Abb. in dicto cap. Propter Sum. Angelic. verbo Locatio num. 16.* vel
6 quod deductis expensis, ex quibus fructus minuuntur *l. 1. Cod. de fruct. & expen. lit. l. fructus ff. sol. Matr.* fructus ipsi prò dimidio pensionis non sufficiant, *Abb. vbi suprà num. 12. Menoch. de arbitr. cas. 79. Suarez in Thesau. comm. opin. litera C. nu. 220. & litera S. num. 177. qui de magis com. & Ioseph concl. 12. vers. Declara 3.* qui de veriori: vel quod concurrant alia, de quibus per *Mascard. concl. 1333.* per *Caroc. de loc. tit. de remis. merc. quæst. 1.* & per *Didac. pract. quæst. cap. 30.*

Et maximè cum fœnum eo anno carius
7 venditum fuisset, & sic sterilitas quoad damnum consideranda non videbatur, ad tradita per *Caroc. vbi suprà num. 14. & 15.*

ARGVMENTVM.

Exceptio obligationis cameralis non extensæ post conclusionem in causa amplius opponi non potest, & maximè si causa cognoscatur sola facti veritate inspecta, & in mandatum executiuum consensum fuerit, vnica, vel nulla citatione præcedente.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio iuris solemnitatem respiciens non attenditur, quando sola facti veritate inspecta proceditur.*
2 *Exceptio obligationis cameralis non extensæ executionem retardare non potest, si consensum fuerit in mandatum executiuum vnica, vel nulla præcedente citatione, & quarè.*
3 *Exceptio obligationis cameralis non extensæ suis loco, & tempore opponi debet, vt executionem retardare valeat, & quarè.*

SINGVLARE XXVII.

In calculo ferendæ sententiæ ad euitandam executionem cuiusdam instrumenti obligatione camerali vallati, opponebat Reus obligationem cameralem non fuisse extensam, & quamuis non vsitatam exceptionem deducere videretur, grauissimis
1 tamen auctoritatibus exaudiri instabat.

Quia tamen causa cognoscebatur indultu Principis sola facti veritate inspecta, illam tanquam iuris solemnitatem respicientem non curaui, ad tradita per *Osasch. decis. Pedem. 1. num. 20. & sequenti.*

2 Item, quia aderat in instrumento consensus in mandatum executiuum vnica, vel nulla citatione præuia, quo casu dicta exceptio obligationis cameralis non extensæ executionem non retardat ad *Grat. discept. foren. cap. 68. num. 41. Zacchiam de oblig. cam. quæst. 34. num. 10. & Rotam in Venetiarum donationis coram Penia decis. 63. nu. 1. & 2. penès Zacchiam.* Qui enim consen-

tit

tit in mandatum executiuum, vnica, vel nulla citatione præcedente, videtur omnibus exceptionibus renunciare, & ex citatione solum velle (vt ita dicam) sibi solu-
3 tionem recordari; & tandem, quia ipse Reus hoc suis loco, & tempore non opposuerat, ad tradita per *Leoncil. decis. Ferrarien.* 128. *num.* 3. quod quidem facere debuisset, ne per processum ad vlteriora declararet se in hoc nolle insistere, & sic contrà seipsum regulam induceret, quod semel placuit amplius displicere non potest *l. in diem §. Ideò ff. de aqua pluuia arcen. Reg. Quod semel placuit, de regul. iur. in 6. cum simil.*

ARGVMENTVM.

PRò simplici de licentia Iudicis alius positionibus respondere valet, non obstante statuto mandante responderi per principalem ipsum.

SVMMARIVM.

1 *Positionibus Mater, & tutrix prò filijs minoribus respondere potest.*
2 *Simplices, vt plurimum, iudicantur Minores, & Mulieres.*
3 *Deceptionis periculo quis exponi non debet.*

SINGVLARE XXVIII.

NOn obstante, quod statuto caueretur positionibus per ipsum principalem
1 esse respondendum, dixi licere Matri, &
2 Tutrici id facere prò filijs minoribus, cum hi, vt plurimum simplices iudicentur, ad tradita per *Menoch. de arbitr. cas.* 193. *num.* 10. & clarum videatur prò simplici alium de licentia Iudicis respondere, & ponere valere, vt habetur ex *Mascar. de prob. concl.* 1176. *num.* 56.

Per prædicta mandaui pariter in quodam casu Mulierem, quæ & ipsa simplex, vt plurimum iudicatur secundum *Menoch. vbi suprà*, respondere debere cum assistētia procuratoris, sed multò magis id feci per ea, quæ tradit *Marsil. in singul.* 450, vbi in
3 terminis, de muliere plura notabilia dicit. Nullo enim modo videtur posse sustineri, quod statutum ex simplicitate incapacem obligare possit, vel saltem quod illum exponere periculo deceptionis in respondendo valeat, vt in terminis dicit *Maran. tit. de posit. num.* 16. *relat. à Mascar. vbi suprà.*

ARGVMENTVM.

BEllo cessante affictus ruralis ex ipso bello dimissus reassumendus videtur.

SVMMARIVM.

1 *Locationem ob bellum, vel belli timorem dimittere, ab illaque recedere licet.*
2 *Conductor bello, peste, vel simili impedimento cessante tenetur rehabitare, & prò tempore habitationis pensionem soluere; sed contrà num. sequenti, & cum distinctione, vt num.* 4.
3 *Locatio, quæ ob bellum resoluitur, finito bello, amplius non instauratur; sed distinguendum videtur, vt in num. sequenti.*
4 *Bello cessante affictus prædij rustici reassumendus videtur; secus autem affictus prædij vrbani, & quarè.*

SINGVLARE XXIX.

INito quodam rurali affictu per annos sex, superuenit bellum in anno secundo, & hac de causa conductor protestatus fuit se nolle amplius in affictu continuare, & quod ab ipso intendebat recedere. Vice autem versa Locator replicauit non esse locum protestatis, & postea elapsis tribus annis à protestationibus prædictis pensionem petijt, & sic fuit dubitatum, an ipsa deberetur saltem postquam bellum cessauerat, stante quod conductor rem locatam semper prò derelicta habuerat, & continuò habebat.

1 Et quod non deberetur videbatur suaderi ex *cons.* 610. *M. Antonij Natta, tom.* 3. vbi latè tradit ipse, quod ob bellum, & ob timorem etiam belli licet à locatione recedere. Verùm cum non firmet, quod bello cessante conductor non teneatur locationem reassumere, visum fuit non facere dictum consilium ad propositum, nisi in quantum suadet remissionem mercedis fieri debere prò tempore, quo bellum du-

durauit,& quod prò dicto tempore à locatione recedere licuerit.

2 In contrarium tamen faciebant tradita per *Caroc. in tractatu locati, & conducti, parte 4. sub verbis, sterilitas, Bellum, Pestis, quæst.8. num.* 8. vbi clarè dicit, quod bello, peste, vel simili impedimento cessante conductor tenetur rehabitare, & pensionem soluere, & citat *Couar. practicab. quæst. cap.* 30. *num.* 3. qui tenet contrà Ripam, & alios, illosque reprehendit, & quidem rectè, cum ad vulgata iura cessante causa cessare debeat effectus, & sic dixi affictum minimè dissolutum esse, conductoremq; ad pensionem decursam condemnaui dempta portione prò tempore, quo bellum durauit.

3 Fuit tamen incontinenti institum prò repositione à decreto prædicto, per ea, quæ deducit Mutius Recchius in consilio quodam suo copiosissimo super hanc materiam, quod habetur impressum in *tract. Philippi Pascal. de viribus patr. pot. post cap. 6. partis* 4. confutando enim Caroccium, & demonstrando quod errat in allegationibus, concludit, quod cessante bello locatio, quę iam ob bellum fuit resoluta, non
4 amplius instauretur. Quia tamen videtur in dicto consilio considerari, quod conductor tempore medio necesse habet se se prouidere de alia domo, & sic quod superflua sibi redderetur alia iam conducta, & ob bellum dimissa; dubium erat, an doctrina Recchij procederet etiam in terminis prædij rustici, cum plura similia retineri possint, & superflua dici non valeant.

Suspenso itaque decreto prædicto, & partibus vlterius non instantibus, causa remansit indecisa.

ARGVMENTVM.

EDucatio pupilli est Iudici arbitraria, & auferri potest à Matre in illa malè se gerente, non obstante, quod ab eodem Patre eidem specialiter delegata fuerit.

SVMMARIVM.

1 *MAtri circa filium lex multum defert, eaque multum confidit.*

2 *Amor parentum est insuperabilis.*

3 *Educari debet pupillus penès illum, quem Pater nominauit; sed aliquando contrà, vt nu. 6.*

4 *Pater cæteris melius vtilitati filiorum prospexisse præsumitur.*

5 *Patris voluntas est seruanda, ab illaque non est recedendum, etiam quando actus primo aspectu videretur filio damnosus.*

6 *Pupilli educatio est Iudici arbitraria ita, & taliter, quod aliquando & à voluntate testatoris circà ipsam eidem recedere liceat.*

SINGVLARE XXX.

EDucabatur quidam Pupillus penes Matrem, cui vltrà tutelam à Patre & educatio in specie commissa fuerat, & cum proponerentur nonnullæ causæ, quibus dicta educatio mala suadebatur; fuit dubitatum an liceret pupillum ab ipsa remouere, &
1 prima facie videbatur, quod non, cum de Matre lex multum confidat *l.* 1. *Cod. vbi*
2 *pupil. educari deb.* Amor enim parentum insuperabilis est *l. vlt. Cod. de curat. furi. Menoch. de arbitr. cas.* 168. *num.* 2. & ma-
3 ximè cum in casu, de quo tractabatur ita prouisum fuisset a Patre, & sic eius voluntas in hoc seruanda esset, *Surd. de alim. tit.*
4 4. *quæst.* 13. *num.* 2. Patrem enim melius cæteris vtilitati filiorum prospexisse præ-
5 sumitur, *l. Nec in ea ff. de adult.* & à dispositione illius non est recedendum, etiam quando actus primo aspectu videtur filio damnosus, *Bart. in l.* 2. *col.* 5. *ff. de pupil. & vulg. subst. Alc. in tract. præsumpt. reg.* 1. *præsumpt.* 2. *num.* 1. *Surd. vbi suprà nu.* 3.

6 Quia tamen causæ, quæ contrarium suadebant, erant vrgentes, tenui & ego contrarium, & ita fuit resolutum, pupillusque à Matre ablatus, per ea, quæ latè tradunt circà hanc materiam *Menoch. & Surd. vbi suprà, ac Vinc. de franch. decis.* 350. *& Mastril. decis.* 230. qui vnanimiter firmant hanc materiam ita arbitrariam Iudici esse, quod à voluntate testatoris eidem recedere sit licitum; & in specie, quod non obstante dispositione Patris possit Iudex aliter circà hoc disponere, est textus expressus in *l.* 1. *ff. vbi pup. educari, vel morari debeat*, ibi *nonnunquam à voluntate Patris recedit Prætor.*

AR-

ARGVMENTVM.

IVdex executor de nullitate, & alijs exceptionibus coram se propositis cognoscere valet, vt si existimet illas esse veras, Iudicem committentem certioret, & interim supersederi mandet.

SVMMARIVM.

1 *Executor Iudex potest cognoscere de nullitatibus, & exceptionibus ad effectum certiorandi Iudicem committentem, & quarè.*
2 *Non entis nullæ sunt qualitates.*
3 *Inferior de factis superioris cognoscere non potest.*

SINGVLARE XXXI.

INiuncta mihi executione cuiusdam mandati relaxati à quodam meo superiore, fuit proposita quædam nullitas vti satis patens, vrgens, & releuans, & cum quæreretur an de illa possem cognoscere, decreui
1 quod sic, non quidem vt circà illam pronunciarem, sed vt si cognoscerem ipsam esse veram, mandarem supersederi vsquedum Iudex, qui executionem commiserat, de illa certioratus circà eandem pronunciaret. Iudex enim executor potest cognoscere circà nullitatem, & alias exceptiones ad effectum prædictum, *ad Bart. in l. à Diuo Pio tit. de re iudic. num. 9. & seq.* & ad latè tradita per *Sebast. Vant. in suo tract. de nullit. in rubr. seu tit. Coram quo num. 22.* Et quidem rectè, cum alias non esset opus executionem Iudici dirigere, sed satellitibus ipsa commiti posset, vltrà quod certo certius videtur sententiam nullam exequendam non esse per vulgatum axio-
2 ma, quod non entis nullæ sunt qualitates, & ad id, quod posset dici, quod Inferior
3 de factis Superioris cognoscere non potest, *Cap. vt nostrum, de appel. cum similibus;* satis occurritur dicendo, quod inferior nullitatem non declarat, sed tantummodo supersederi mandat vsque dum circà eam Superior cognoscat.

Quia verò partes circà negotium principale amicabiliter concordarunt ad vlteriora non fuit processum.

ARGVMENTVM.

NEpotes vna cum Patruo succedere debent in hęreditate Patrui non obstante quod Auus in successione sui filij proximiores vocauerit.

SVMMARIVM.

1 *Nepotes in successione Patrui Patrem repræsentant, & ad illam vnà cum patruo per repræsentationem admittuntur.*
2 *Nepotes vnà cum patruo succedere non debent in hæreditate patrui, si Auus tali casu proximiores vocauit, sed contrà num. 4.*
3 *Veritas, & non fictio in fideicomissis consideratur; sed hoc non videtur procedere in successionibus ascendentium per repræsentationem, vt infrà num. 7.*
4 *Nepotes vnà cum Patruo succedere debent in hæreditate patrui, non obstante quod Auus tali casu proximiores vocauerit.*
5 *Voluntas testatoris etiam cum verborum magna impropriatione est attendenda.*
6 *Amor parentum ardentius descendit in Nepotes, quam vigeat ergà filios, & quarè.*
7 *Fictio etiam, & non tantum veritas, vt suprà num. 3. in fideicommissis ascendentium consideranda videtur.*
8 *Nuptiæ inter ascendentes, & descendentes in infinitum sunt prohibitæ.*

SINGVLARE XXXII.

INstitutis tribus filijs, & cuique ipsorum sine filijs decedenti substitutis proximioribus testatoris, contigit coram me dubitari, an in hæreditate secundo loco sine fi-
1 lijs defuncti vnà cum patruo succcedere deberent filij alterius iam prædefuncti, & prout illos per repræsentationem succedere debere tradit *Bart. in authen. Cessante num. 5. de leg. hæred.*
2 Et quod succedere non deberent suadebatur ex opinione, quam (contraria relata) amplectitur *Mantica, de coniect. vlt.*
3 *vol. lib. 8. tit. 9. num. 10.* hac potissimum motus ratione, quod in fideicommissis veritas, & non fictio consideratur *l. fideicommissum de cond. & demon. l. Statius florus §. Cornelio felici ff. de iure fisci.*

4 Ve-

4 Verùm ego contrariam partem tenui, per ea, quæ tradit latè *Menoch. conf.* 357. *num.* 27. *& sequentibus*, vbi hanc sententiam veriorem dicit, & latius *Hier. Gabr.*
5 *conf.* 107. *&* 112. *lib.* 2. & prò hac opinione philosophando considerabam, quod mens testatoris, quæ est attendenda etiam cum verborum magna impropriatione, *Mantica vbi suprà lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 6. videbatur magis adaptari in dicta suc-
6 cessione nepotibus, quam filio, cum amor parentum ardentius descendat in nepotes, quam vigeat erga filios, *l. Liberorum in fin. ff de verb. signif. Curt. Iun. conf.* 169. *num.* 13. *Cassan. conf.* 67. *num.* 30. *Surd. de alim. tit.* 4. *quæst.* 13. *num.* 26. & optima ratione, cum innatum desiderium hominis circà perpetuationem sui sanguinis, & descendentiæ magis verificetur in iunioribus, vt proinde mirum non sit, quod Iacob minorem natum Beniamin prædilexerit, & in dies experientia doceat, quod filij minores etsi malis moribus imbuti à parentibus magis amentur.
7 Neque existimaui vrgere rationem prò contraria parte adductam, quod scilicet in fideicommissis veritas, & non fictio attendatur, quia fictionem in hoc casu nec adesse colligitur, si perpendatur, quod ascendentes, & descendentes omnes eodem modo inter se distant, ex quo proximitas ita, & taliter inter ipsos consideratur, quod Adam si viueret, sicut non poterat contrahere cum sua filia, ita non posset cum qualibet nunc viuente, & in futurum
8 victura, cum in infinitum inter ascendentes, & descendentes nuptiæ sint prohibitæ, *ad textum in* §. *Ergo non omnes Inst. de nupt.*

ARGVMENTVM.

Svbstitutus lineæ masculinæ non excluditur à fœmina relicta ab vltimo moriente de ipsa linea masculina.

SVMMARIVM.

1 *Fœmina descendens de linea masculina est quidem de ipsa linea, sed non est linea ipsa, & in ea non continetur.*
2 *Linea masculina fæminam ex ipsa natam non comprehendit.*
3 *Naturalis in linea naturali, & sic dupliciter naturalis, non comprehenditur in simplici linea naturali à testatore vocata.*
4 *Naturalis legitimum non excludit.*
5 *Extensio non est licita in ijs, quæ sunt contrà ius commune ad casum, in quo minor est ratio vel dubitatur, an sit eadem.*
6 *Spurius non potest excludere substitutum, quem excludit simplex naturalis.*
7 *Spurius non est nominandus filius, & est insuccessibilis.*

SINGVLARE XXXIII.

Cvm quidam testator inter alia disposuisset, quod deficiente linea sua Masculina naturali, bona sua peruenirent in lineam fœmininam legitimam, euenit casus, quod ex linea masculinà naturali remansit tantum filia fœmina, & sic requisitus de voto, an ipsa excluderet dictam lineam fœmi-
1 ninam legitimam, dixi, quod non, quia etsi ipsa mulier esset de linea masculina natura-
2 li testatoris, quia ab ipsa descendebat, tamen non erat linea ipsa, cum in eadem linea contineri non valeret, ex quo iam finita, & extincta fuerat in personam sui patris, & aliorum mortuorum sine filijs masculis, ità in terminis tradit *Menoch. conf.* 1053. *num.* 9. Et melius declarando *dictum consilium* 1053. *in conf.* 625. *pariter num.* 9. Cum enim testator dixisset, quod deficiente linea masculina naturali, bona peruenirent in lineam fœmininam legitimam, ipsa linea fœminina legitima intrare debet exclusa dicta fœmina ex linea masculina naturali descendente, ad tradita per eundem *Menoch. in consilijs prædictis*, & tantò magis, quod dicta mulier
3 successionis, de qua tractabatur erat incapax, quia in linea naturali, & ipsa erat naturalis, & sic cum testator loquutus fuisset de simplici linea naturali, intrabat regula,
4 quod in ijs, quę sunt contrà ius commune (& proùt est quod naturalis excludat legitimum §. *Si quis igit. hab. Authen. Quib. modis nat. efficiantur sui*) extensio non sit
5 licita ad casum, in quo minor est ratio, vel dubitatur an sit eadem, ad tradita per *Manticam de coniect. vlt. volunt. lib.* 9. *tit.* 8. *num.* 25. *&* 26. & maximè cum eadem fœmina
6 esset etiam spuria, & sic non posset exclu-

dere substitutum, quamuis illum posset excludere si esset simpliciter naturalis ad deducta per eundem *Mantic. vbi suprà lib.* 11.
7 *tit. 9. num.* 23. Spurius enim non est nominandus filius, & est insuccessibilis, *Authen. Ex complexu de incest. nupt.* cum alijs citatis per *Mantic. vbi suprà*, & ex his ita resolutum audiui.

ARGVMENTVM.

SVccessor in officio Iudicis, qui admisit appellationem si & in quantum potest ad vlteriora procedere, si appellatio de iure non erat admittenda.

SVMMARIVM.

1 *Appellationem Iudex admittendo si & in quantum ligat sibi manus, & non potest ad vlteriora procedere, & quarè, sed contrà num. 3.*
2 *Appellatio interponitur à grauamine etiam inferendo, quando aliquod grauamen iam fuit illatum.*
3 *Iudex post sententiam vti suspectus non potest, inuito appellante, amplius iudicare.*
4 *Appellatione si & in quantum admissa, Iudex potest ad vlteriora procedere, si de iure appellatio non erat admittenda, & maximè si non sit idem Iudex, qui illam admisit, sed eius in officio successor, & quarè.*

SINGVLARE XXXIV.

ADmissa appellatione si & in quantum non videbatur deferendum instanti
1 prò executione sententiæ, cum per dictam admissionem Iudicis manus ita sint ligatæ, quod ad vlteriora procedere non possit, vt de *communi* Doctorum sententia testatur *Roman. cons.* 501. *num.* 7. *Plotus de in litem iur.* §. 4. *num.* 45. *Annot. ad pract. Vestr. lib. 7. cap. vltimo num.* 23. & de *magis communi Contard. de moment. possess. limit.* 13. *num.* 24. ex *Bal. cons.* 428. *num.* 25. & qui-
2 dem optima ratione, si consideretur, quod appellationes interponuntur etiam à grauamine inferendo, quando aliquod grauamen iam fuit illatum, vt innuunt illa verba in appellationibus apponi solita, videlicet; sentiens se læsum, & timens in futu-
3 rum magis lædi. *Scaccia de appellat. quæst.* 5. *num.* 113. & sic vti suspectus inuito appellante non potest amplius iudicare, *Scac. vbi suprà quæst.* 17. *limit.* 47. *membr.* 3. *nu.* 2. & 3.
4 Ab hac tamen opinione secundum quã alias iudicaueram recessi in casu proposito: tum quia mihi visum fuit ex magna accessione Modernorum contrariam opinionem in effectu esse communiorem, ad ea præcipuè, quæ inter alios tradunt *Menoch. de recuper. possess. Remed.* 9. *num.* 331. *Rub. decis.* 356. *num.* 18. *decis.* 219. *num.* 7. & 8. *post Postium de manut.* & latè *Scaccia, vbi suprà, quæst.* 17. *limit.* 6. *memb.* 7. *nu.* 100. tum quia ego eram successor in officio Iudicis a quo, & sic cum cessarent ea, quæ de ipso, vt suprà, dici poterant, constito mihi, quod re vera appellatio ad effectum suspensiuum non erat admittenda, executionem petitam (non obstante prædicta admissione appellationis cum clausula si & in quantum) commisi, & relaxaui.

ARGVMENTVM.

INstrumentum confessionatum, viri circà receptionem dotis, probat etiã contrà tertios, quamuis nulla præcesserit promissio, si cum ipso instrumento præsumptiones, & coniecturæ solutionis dotis concurrant.

SVMMARIVM.

1 *Dotis recepta confessio, vt contrà tertium probet, requiritur ipsius dotis præcedens promissio.*
2 *Dotis receptio ex alimentis vxore præstitis præsumitur.*
3 *Dotis exactio in viro ex eius paupertate præsumitur.*
4 *Dotem exegisse præsumitur ille Maritus, qui per decennium tacuit, & iuramento recepisse fassus fuit.*
5 *Dotem à marito receptam fuisse probatur ex eius instrumento confessionato; probatur etiam nulla præcedente dotis promissione, si indicia verisimilia concurrant, cum hac dotis promissioni æquiparentur.*

6 Con-

6 *Confessio mariti circà dotis receptionem, alijs non concurrentibus, tertijs non praeiudicat, quia lex ita fassum fuisse praesumit, vel in fraudem creditorum, vel seductum à muliebribus delinimentis.*
7 *Praesumptiones praesumptionibus tolluntur, & in specie circà dotem receptam, vel non receptam.*
8 *Index non debet sumere informationes aliundè, quam ex actis.*
9 *Mundi non sunt, quae sunt extrà acta.*
10 *Productio iurium debet fieri parte citata.*

SINGVLARE XXXV.

HÆres cuiusdam mulieris praetendens à quodam tertio recuperare ipsius mulieris dotem, de qua tantum instrumentum confessionatum mariti apparebat, absque
1 vlla praecedente dotis promissione, quae requiritur ad hoc, vt instrumentum praedictum confessionatum probet contrà tertium, ad passim tradita per *Rotam*, & signanter in *decis.* 62. *Ludouis. num.* 1. *&* 6. *& decis.* 67. *num.* 1. *&* 14. nisus fuit suam intentionem corroborare cum praesumptionibus, & indicijs verisimilibus, in er
2 quae adducebat, quod Maritus praestiterat alimenta vxori, & sic, quod dotem recepisset indicauerat, ad tradita per *Crauet. consil.* 40. *num.* 4 *& Gait. de credito Cap.* 4. *quaest.* 11. *num.* 1800. qui plures etiam de
3 communi attestantes referunt: Item, quia maritus fuerat pauper, *Surd. decis.* 105.
4 *num.* 3. Tandem, quia maritus per decennium tacuerat, & iuramento recepisse fassus fuerat, *Surd. vbi suprà num.* 4. *& cons.* 489. *num.* 10. *& seq. vbi de communi.* Et certè non videbatur, quarè ex hoc obti-
5 nere non deberet, cum promissio antecedens, & indicia verisimilia aequiparentur, vt dotis confessio etiam tertijs noceat, ad
6 *Gait. vbi suprà num.* 1794. *&* 1799. Ea enim ratione confessio mariti non praeiudicat tertijs, quia lex praesumit Virum fassum fuisse dotem recepisse; vel in fraudem creditorum, vel seductum à muliebribus delinimentis, vt passim tradunt Doctores; sed haec praesumptio alijs praesumptioni-
7 bus praedictis benè potest tolli, cum praesumptiones praesumptionibus tollantur iuribus vulgatis, & in terminis casus, praesentis scripsit *Grat. discept. foren. cap.* 362. *num.* 17. *Marescot. var. resol. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 9. *Amat. decis.* 98. *num.* 12. cum solutio dotis coniecturis probetur, ad *Surd. dicta decis.* 105. *per totam.*

Verùm, quia instrumentum praedictum confessionatum animaduersum fuit non fuisse productum, existimaui de illo nul-
8 lam habendam esse considerationem, cum Iudex non debeat sumere informationes aliundè, quam ex actis, ad *Rotam coram*
9 *Ludouis. decis.* 224. in fine, cum quae sunt extrà acta sint, extrà Mundum, vt habetur in *addit. ad dictam decis. Ludouis.* vbi consideratur etiam, quod si aliter fieri posset tollerentur defensiones, ex quo pars non posset facere suas diligentias, vndè sequi-
10 tur, quod nec sufficiat simplex productio, sed requiratur in productione & partis citatio, vt vltrà praedicta considerat *Rota in decis.* 238. *num.* 10. *post Postium de mand. de manuten.*

Netamen Actoris iura praedicta vllatenus vulnerarem, Reum conuentum ab obseruatione tantummodò illius iudicij, absolui, & liberaui.

ARGVMENTVM.

INterpres ad examinandum electus, suspectus allegari non potest, & maximè si ad id non vnus, sed duo, vnus scilicet prò parte, electi fuerint.

SVMMARIVM.

1 *SVspectus allegari non potest nudus minister, qui nihil iudicare debet.*
2 *Suspectus allegari non potest procurator, seu calculator partis aduersae, quando suspicionem allegans & ipse procuratorem, vel calculatorem iam elegit.*
3 *Suspectus allegari, recusarique non potest peritus ab altera parte electus, si recusans alterum iam elegit, & quarè.*
4 *Interpres ad examinandum electus, suspectus allegari non potest, maximè si cum alio interpretari debet.*

SINGVLARE XXXVI.

ALleganti suspectum interpretem ad examinandum iam electum non detuli

1 quia ipse interpres mihi visus fuit nudus minister, qui nihil iudicare deberet ad textum in *Cap. super eo, & in Cap. Nouit de appellat.* Quamuis enim interpres dicta testium interpretando videatur quodammodo circà eadem dicta iudicare, tamen cum hoc facere debeat in præsentia eorundem testium dicentium, & notarij scribentis, cessabat omnis scrupulus, quod aliquid extraneum à dictis eorundem testium scribi facere posset, & sic in nudo ministerio faciendi paraphrasim sermonis obscuri in-
2 clarum restrictus omninò videbatur; & tantò magis, quod id facere debebat vnà cum alio interprete electo ab eodem suspicionem allegante, quo casu nec procurator partis aduersæ, vel calculator suspectus allegari potest, vt de illo dicit *Laurent. de iud. suspect. Cap. 6. num.* 8. & de isto tradit
3 *Excobar tit. de ratiocin. Cap.* 8. *num.* 18. immò in terminis fortioribus peritorum scilicet, qui secundum peritiam iudicant, neutra ex partibus potest ab altera electum recusare, vt tradit *Sanchez, de matr. lib.* 7.
4 *disp.* 113. *num.* 9. & quidem optima ratione suadetur in interprete præcipuè si consideretur, quod quando electus ab vna parte alteri suspectus est, habet ipsa altera alterum à se electum, qui ius suum benè tueri valet, vt considerat *Sanchez, vbi suprà*, & in omnem casum ad Iudicem recurrere potest, cum passim obseruetur, quod ad instantiam cuiusuis ex interpretibus Iudex interloquatur.

ARGVMENTVM.

QVi potest ex pacto, vel aliter de aliqua re disponere, si de illa non disponat, & decedat intestatus, censetur de illa in fauorem venientium ab intestato disposuisse, & maximè si ad beneplacitum suum id facere poterat.

SVMMARIVM.

1 *(Disponere) verbum positum in contractu intelligi debet de dispositione inter viuos, & ex contractu; sed contrà num.* 3. *&* 4.

2 *Verba intelligi debent secundum subiectam materiam.*

3 *Verbum (disponere) vltimæ voluntati conuenit, & eidem adaptatur.*

4 *Disponere qui potest de aliquibus bonis ex pacto, vel aliter; si decedat intestatus, & absque vlla dispositione, censetur eadem bona proximioribus suis reliquisse.*

5 *Verbum (disponere) etsi intelligi deberet de dispositione inter viuos, tamen extendi debet & ad vltimam voluntatem, si eidem adiecta sint alia verba, puta, ad beneplacitum, & similia.*

SINGVLARE XXXVII.

PActo expresso in quodam contractu reseruatum fuerat, quod vni ex contrahentibus licitum esset disponere de scutis centum ad suum beneplacitum, ipsoque contrahente defuncto ab intestato, & absque eo, quod de dictis scutis centum disposuisset: contigit coram me dubitari, an censeretur tacitè voluisse de illis disponere, sicque de illis disposuisse in venientes
1 ab intestato, cum videretur, quod non, ex quo verbum (disponere) positum in contractu tantum de dispositione inter viuos, & ex contractu intelligi debeat, secundum ea, quę inter alios scripsit *Iason in cons.* 130. *num.* 21. *vol.* 4. Ea potissimum ratione,
2 quod verba intelligi debeant secundum subiectam materiam, *l. Insulam ff. de praescript. Cap. Constitutus de relig. dom.*
3 Iudicaui tamen in contrarium, quia verbum (disponere) vltimæ voluntati conuenit, & in dubio eidem adaptatur, *§. Disponat, Authen. de nupt. Gloss. in rubr. ff. sol. matr. Afflict. decis.* 370. *num.* 12. & sic opus non habet regulari secundum subiectam materiam, cum secundum naturam suam ex prædictis in vltimam voluntatem regulетur.
4 Tantòque magis id feci, quantò animaduerti, quod *in decis.* 272. *Surdi*, in qua latè, & ad partes ita hæc materia tractatur, quod nil desiderari posse videatur, firmatur absolutè *sub num.* 22. *in fine*, quod communis opinio sit, quod decedens ab intestato videatur proximioribus suis relinquere bona, de quibus ex pacto, vel aliter potest disponere, & sic indubitatum credi-
di,

di, quod id procedere deberet in casu proposito, in quo non solum dictũ fuerat, quod posset disponere, sed quod posset disponere ad beneplacitũ suum. Dato enim, quod dictum verbum disponere intelligi debuis-
5 set de dispositione inter viuos, tamen ex adiectione aliorum verborum, ad beneplacitum suum, extendi debebat vltrà proprium significatum, ad tradita etiam per eundem *Iasonem dicto cons.* 130. *num.* 19. *&* 21.

ARGVMENTVM.

ARticuli ad probandum titulum in summarijssimo possessorio non sunt admittendi.

SVMMARIVM.

1 *TItulus in summarijssimo possessorio plurimum operatur.*
2 *Titulus ad petitorium spectat.*
3 *Possessorium summarijssimum tunc solum respicientia petitorium admittit, quando ita sunt clara, & manifesta, quod probatione non egeãt.*
4 *Manutentio in summarijssimo retardari non potest ex eo, quod ex aduerso prætendatur possessio titulata.*
5 *Possessor anterior in iudicio summarijssimo obtinere debet.*
6 *Possessio iustior in summarijssimo possessorio attenditur, quando probationes in nuda possessione sunt pares.*
7 *Possessorium plenarium probationes petitorium respicientes admittit, quia in eo obtinet, qui iustiorem possessionem probat.*

SINGVLARE XXXVIII.

QVamuis articuli ad probandum titulum in summarijssimo possessorio non videantur impertinentes, ex quo ti-
1 titulus in summarijssimo plurimum operetur, ad *Rotam coram Caputaquen. decis.* 336. *part.* 2. *cum similibus*, tamen cum pe-
2 titorium respicerent, ex quo titulus ad petitorium spectat, vt dicit *Rota coram Ludouis. decis.* 107. *in fine*, illos in tali iudicio
3 reieci, quia respicientia petitorium tunc solum admittuntur in summarijssimo, quando ita sunt clara, & manifesta, quod probatione non egeant, *Ludouis. decis.* 425.
4 *num.* 3. *&* 4. Manutentio enim in summarijssimo retardari non potest ex eo, quod ex aduerso prætendatur possessio titulata, ad tradita per *Beltram. ad eundem Ludouis. decis.* 40. *num.* 5. *& decis.* 323. *num.* 7. In
5 tali enim iudicio obtinere debet, qui est in possessione anterior, *idem Ludouis. decis.* 9. *num.* 5. *& decis.* 549. *num.* 1. Nec indagandum est de iustiori possessione, ad *Beltram. vbi suprà*, sed solum iustior possessio est attendenda, quando probatione non eget, *ad Ludouis. dicta decis.* 425. vel
6 quando probationes super nuda possessione sunt pares, *Beltram. vbi suprà decis.* 323. *num.* 7. Si enim aliter diceretur, sequeretur absurdum, quod nulla distinctio esset inter possessorium summarijssimum, &
7 possessorium plenarium, in quo & de respicientibus petitorium probari potest, ex quo de maiori præiudicio in ipso tractatur, & sic meritò in ipso iudicio obtinet, qui iustiorem possessionem probat, ad tradita per *Cyriac. controuers. foren.* 10. *num.* 33. *vol.* 1.

ARGVMENTVM.

PEnsione affictus non conuenta, pensio solita censetur stipulata.

SVMMARIVM.

1 *COnsuetudo in dubijs est attendenda.*
2 *Locationis in contractu consuetudo attendi debet.*
3 *Consuetudo potest facere quod facit pactum.*
4 *Damnosa non sunt præsumenda.*

SINGVLARE XXXIX.

AFfictu quorundam bonorum inito, cum de pactis, & conditionibus eiusdem affictus actum non fuisset, ad arbitrium boni viri conductor se offerebat pensionem soluere locatori, qui illam prætendebat, iuxta solutiones aliàs factas. Causa itaque instructa, & probato, quod pluries, & pluries locatio prò scutis quadraginta annuis facta fuerat, tenui, quod prò ea-
1 dem pensione & tunc facta fuisset, cum consuetudo, quæ in dubijs intrat sit attendenda, ad tradita per *Afflict. decis.* 192. *nu.* 4. &

2 4. Et in terminis locationis per *Rotam Romanam decis. 88. in princ. parte 2. diuers. ad mentem Glos. & Doctorum in l. Exceptio, Cod.*
3 *locat.* Et quidem meritò, cum consuetudo possit facere, quod facit pactum, vt volunt *Doctores in l. de quibus ff. de leg.*

Vlterius casus mihi visus fuit indubitabitabilis, considerando, quod conductor nullo modo præsumere potuit, quod locator
4 vellet pensionem minuere, cum damnosa non sint præsumenda, ad tradita per *Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 31. num. 7.* Et sic, cum hoc non obstante conduxerit, pro pensione solita conduxisse tenui, ipsumque ad illam soluendam condemnaui.

ARGVMENTVM.

AFfictuarius remissionem pensionis obtinere potest, si damnum vltrà dimidium eiusdem pensionis habuit, & hoc non obstante, quod casus fortuitos in se susceperit, si casus, qui euenit sit valdè insolitus. Interim autem quod prædicta probantur, aliqua dilatio ad soluendum eidem concedi potest, si de eodem damno saltem fumum præbet.

SVMMARIVM.

1 *PEnsionis remissio ex siccitate, & aquarum affluentia maximè competit.*
2 *Affictuarius, qui suscepit in se casus fortuitos, non intelligitur suscepisse valdè insolitos.*
3 *Pensionis remissio non conceditur, si damnum vltrà dimidum eiusdem pensionis non probatur.*
4 *Pensionis solutio non retardatur, dum quæritur, an ipsius pensionis remissio concedi debeat; dari tamen potest aliqua dilatio ad soluendum, si de damnis, ob quæ ipsa remissio petitur, fumus aliquis præbeatur.*

SINGVLARE XXXX.

1 INstante quodam affictuario pro remissione pensionis propter nimiam siccitatem, & aquarum affluentiam, quæ sunt causæ potissimæ eiusdem remissionis, vt post alios scripsit *Caroc. Loc. & cond. de remis. merced. quæst. 2.* & hoc non obstante,
2 quod in contractu affictus ipse affictuarius suscepisset in se casus fortuitos, cum valdè insolitos suscepisse non esset intelligẽdum, ad latè tradita per *Menoch. de arbitr. cas. 80. per totum*: Contigit dubitari, an casus prædicti essent valdè insoliti, & quatenus essent tales, an adesset damnum vltrà dimi-
3 dium eiusdem pensionis, & proùt requiritur pro mercedis remissione obtinenda secundum communem, immò magis communem, & veriorem opinionem, de qua *Caroc. vbi suprà quæst. 1. num. 4.*

Dato autem prò constanti, quod terminus ad probandum circà prædicta esset assignandus, subdubitabatur an interim
4 solutio esset retardanda, & tenui quod non per decisa à *Rota in Romana affictus 5. Nouembris 1612. coram Caualerio, & in Theatina affictus 20. Nouembris 1615. Coram Coccino relatis per Beltram. ad decis. Ludouis. 235.* Quia tamen affictuarius ipse dabat iam fumum talium damnorum, multarumque expensarum per ipsum occasionibus prædictis factarum, soluta medietate debiti, mandaui supersederi vsque ad nouum ordinem quoad aliam medietatem, vt videre possem quò vergerent probationes prædictæ. Ex ijs enim, quæ Iudex in procedendo degustat, benè potest moueri ad concedendam aliquam dilationem ad soluendum, vt tradit *Menoch. vbi suprà casu 27. in fine.*

ARGVMENTVM.

STatutum auferens vires, & probationes instrumentis absque speciali confirmatione non tenet.

SVMMARIVM.

1 *STatutum potest tollere vires, & probationes instrumentis, quæ alias de iure communi probarent.*
2 *Statutum quando est contrà ius commune speciali Summi Pontificis confirmatione indiget.*
3 *Probationum facultas non est angustanda.*
4 *Probationum facultas est amplianda.*
5 *Statutum iuri positiuo, & non Diuino etiam*

sine

sine causa contrariari potest.
6 *Probatione carere, & iure carere paria sunt.*

SINGVLARE XXXXI.

AGenti ex quodam instrumento ad exactionem cuiusdam crediti videbatur rectè opponi, quod post decennium non
1 erat licitum ex instrumento agere, stante dispositione statuti, quod vtique potest tollere vires, ac probationes instrumentis, quæ alias de iure communi probarent, vt etiam ex pluries resolutis per *Rotam firmat*
2 *Grat. discept. forens. cap.* 490. *num.* 11. Quamuis enim sit indubitatum, quod quando statutum est contrà ius commune speciali Summi Pontificis confirmatione indigeat, vt signanter dixit *Rota decis.* 780. *num.* 6. *parte* 1. *& decis.* 103. *num.* 27. *parte* 2. *diuers.* nec videretur posse dubitari, quod tale statutum non esset contrà ius com-
3 mune, quod vult probationum facultatem non esse angustandam *l. Quoniam Cod. de heret. & manich. in fine*, immò esse
4 ampliandam, ad *Glos. ibidem in verbo, Angustetur*. Tamen non videbatur dicta con-
5 firmatio specialis necessaria in tali casu, in quo contrariabatur quidem statutum iuri positiuo, sed non Diuino, & sic etiam sine causa id facere poterat, vt obseruat *Rota parte* 2. *diuers. decis.* 104. *num.* 2.

Cum autem ipse Pontifex confirmando expresè dixisset, quod non intendebat confirmare statutum in illa parte, in qua iuri communi esset contrarium, & sic nullatenus posset saluari, quod confirmatio saltem esset generalis, & sufficeret ad ea, quæ de sui natura statutum facere potest: tenui, quod exceptio non releuaret, & tantò magis, quod ius partis omninò perimebat, cum aliundè creditor suam in-
6 tentionem probare non valeret. Paria enim sunt probatione carere, & iure carere, vt tradit *Menoch. cons.* 136. *num.* 49. & proindè cum ad vlteriora procedi mandassem, si rectè recordor, partes inuicem concordarunt.

ARGVMENTVM.

EXemptiones titulo oneroso concessę à Communitatibus Superiorem recognoscentibus, habent vim contractus, in illumque transeunt, & sic subsistunt, & reuocari non possunt.

SVMMARIVM.

1 *EXemptio titulo oneroso concessa habet vim contractus, & in eundem transit.*
2 *Exemptio, quæ fines priuilegij excedit, absque iusta causa reuocari non potest.*
3 *Exemptio titulo oneroso concessa nec à successore absque iusta causa reuocari potest.*

SINGVLARE XXXXII.

COmmunitatem nullam dicentem quandam exemptionem à se concessam, per textum expressum in *l. Vacuatis, Cod. de Decur.* quo cauetur Communitates superiorem recognoscentes immunitates, & exemptiones concedere non posse; non au-
1 diendam dixi, quia cum exemptio, de qua tractabatur fuisset concessa titulo oneroso, habebat vim contractus, ad *Rotam coram Seraph. decis.* 1082. *num.* 3. Et in contractum transierat, *Felin. in Cap. Nouit de Iu-*
2 *dici. num.* 8. Et sic cum ipsa exemptio fines priuilegij excessisset, absque iusta causa reuocari non poterat, *l. fundi Cod. de fund. patrimon. Cap.* 1. *de feud. sine culpa non amit.* ità vt nec à diuersis personis ean-
3 dem Communitatem repræsentantibus reuocari valeret, cum nec à successore concedentis reuocari possit, ad tradita per *Cyn. & Bal. in l. Digna vox, Cod. de legi. relatos per Felin. vbi suprà.*

Manutenui itaque in quasi possessione eiusdem exemptionis reum conuentum, & tantò magis, quod contractus vndique iustus apparebat, læsaque Communitas in aliquo non videbatur.

ARGVMENTVM.

IVramentum litis decisorium recusari potest, si instrumento publico lis decidi possit.

SVMMARIVM.

1 *IVramentum litis decisorium recusari non potest, sed iuxtà ipsum iurari, vel referri debet.*

2 *Iura-*

2 *Iuramentum litis decisiuum recusari non potest sub praetextu probandi sua incumbentia per testes.*
3 *Iuramentum litis decisorium est maximum remedium litium dirimendarum.*
4 *Iuramentum litis decisiuum nec ex timore detectionis periurij recusari potest.*
5 *Iuramentum litis decisiuum recusari potest, si lis per instrumentum publicum terminari valeat.*
6 *Instrumentum publicum facit probationem probatam.*
7 *Periurium detegi potest non solum à parte, sed & à tertio, & fisco, & etiam in alio iudicio.*

SINGVLARE XXXXIII.

1 IVramentum litis decisiuum non posse recusari, ita vt non iuretur vel referatur, habetur clarè in *l. Manifestæ turpitudinis ff. de iureiur.* & id procedit etiam si
2 quis intenderet sua incumbentia probare per testes, vt ex communi Doctorum sententia tradit *Iason. in dicta l. Column. 3.*
3 *vers. Tertio quæro,* Et quidem rectè cum iuramentum sit maximum remedium li-
4 tium dirimendarum *l. 1. ff. de iureiur.* Vnde fit, quod tale iuramentum nec possit recusari ex timore detectionis periurij, ad ea, quæ firmat *Crauet. cons. 207. num. 4.* Si enim quis timet, quod suum periurium detegatur; veritatem dicat prònt tenetur, vel iuramentum in alium referat, prout referre potest.
5 In contrarium tamen iudicaui in quodam casu, in quo ille, cui iuramentum proponebatur, offerebat se velle ostendere
6 sua incumbentia per instrumentum publicum, quod facit probationem probatam, *Rota coram Ludouis. decis. 180. num. 1.* & sic cessabat ratio fundamentalis *dicta legis 1. de iureiur.* cum æquè benè in tali casu posset tollere litem instrumentum, ac iuramentum, immò melius, cum ex iuramento posset resultare periurium, & sic ex ter-
7 minatione vnius litis, insurgeret alia lis, criminalis scilicet, cum tale periurium detegi valeat non solum à parte, sed etiam à tertio, & fisco etiam in alio iudicio, vt ex *Purpur. in dicta l. Manifestæ turpit. num. 26. & sequenti* & sic à ratione cessante; & Crauetam ità intelligendum tenui, quod scilicet eius dictum procederet in probandis, non autem in probatis, & solum exhibendis, cum illa litem protrahant, ista statim dirimant.

ARGVMENTVM.

POsitionibus datis terminus ad probandum suspenditur, sed postea à die responsionis currere incipit, non obstante, quod per Iudicem integrè responsum fuisse declaratum non fuerit.

SVMMARIVM.

1 *Positionibus quandiù non respondetur, terminus ad probandum ponenti non currit, vt & num. seq.*
2 *Positiones ad releuandum ab onere probandi dantur.*
3 *Causa cessante cessare debet effectus.*
4 *Actus secundum dispositionem iuris præsumitur factus.*

SINGVLARE XXXXIV.

1 DAtis quibusdam positionibus, fuerat eisdem responsum, & sic à die responsionis ponenti terminum ad probandum currisse prætendebatur, impugnante ipso, & opponente, quod requirebatur vltrà responsionem pronuncia Iudicis, qua declaratum fuisset integrè esse responsum.

Hoc tamen non obstante decreui cucurrisse, quia ideo terminus prædictus non currit quandiu positionibus non res-
2 pondetur, quia ponens, qui ab onere probandi ex positionibus releuari debet, nescit ante responsionem quid sibi probandum, vel non probandum sit, vt tradit *Neuiz. cons. 42. num. 7.* Responsione autem data iam de prædictis certus remanet, & sic vlterius in suspenso terminus stare
3 non debet, cum cessante causa cessare debeat effectus, *Tiraq. tract. Cessante causa, parte 1. num. 11. & seqq.* Et quamuis ipse ponens ostenderet, quod saltem de stylo tribunalis, in quo causa tractabatur dicta pronuncia requirebatur, tamen non effugiebat, quod ex eodem stylo replicabatur, scilicet, quod ipse illam obtinere debebat,

& tantò magis, quod vigore statuti tenebatur facere quantum in se erat, vt causa expediretur intrà duos menses, suaque intererat, quod ita fieret, cum ipse esset in tali iudicio appellans, appellatusque in possessione rei controuersæ existeret. Esto enim quod prætendere potuisset, quod non purè, & simpliciter responsum fuisset, & quod non videbatur, tamen ipse instare debebat, quod hoc declararetur ne terminus curreret, cum alias actus secundum
4 iuris dispositionem præsumatur factus, *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 14. nu. 8.*

ARGVMENTVM.

PRomittens obseruare omnes exemptiones, obseruare tenetur nedum à Principe concessas, sed & à Communitate, quamuis reuocatæ fuerint, & si iurauit, agendo absque absolutione à iuramento, cadit à quocumque iure, quod sibi competere posset.

SVMMARIVM.

1 *SVperfluitas est vitanda etiam in materia stricta, & odiosa.*
2 *Princeps auxilio inferioris opus non habet, cum omnia possit, & super omnia sit.*
3 *Verbum (omnes) est omnium comprehensiuum.*
4 *Iuramentum præcisè obligat.*
5 *Iuramenti absolutione non obtenta, contrà iurata agi non potest.*
6 *Promissio ad reuocata non extenditur; sed contrà num. seq.*
7 *Promissio etiam ad reuocata extenditur.*

SINGVLARE XXXXV.

COnductore gabellarum cuiusdam Communitatis, qui inter alia promiserat facere bonas omnes exemptiones, impugnante concessas ab eadem Communitate, illasque non esse obseruandas declarari in-
1 stante, ipsum audiendum non esse dixi, quia cum superfluitas sit vitanda etiam in materia stricta, & odiosa, ad *Rotam coram Ludouis. decis. 516. num. 4.* Superflua alias fuisset eius promissio restricta ad exemptiones
2 Principis tantum, qui auxilio inferiorum opus non habet, cum omnia possit, & super omnia sit, *Bald. in cap. 1. Qual. Domi.*
3 *prop. priu.* Vltrà quod ita suadebat & dictum verbum, omnes, quod est omnium comprehensiuum; *l. si cui serui in princ. ff. de leg. 1. cum similibus.* Tantòque magis id feci, quantò consideraui, quod etsi prædicto conductori id prætendere licuisset; tamen malè agebat, ex quo dictam simplicem, & generalem promissionem iura-
4 mento vallatam, quam præcisè obseruare tenebatur, cum iuramentum præcisè obliget, ad *Glos. in l. si pecuniam, verbo, ne-*
5 *cesse, ff. de cond. caus. dat.* impugnare non poterat absque absolutione à iuramento prædicto, vt inter cæteros consuluit *Natta cons. 144. num. 1. & 373. num. 38. vol. 1.*

Nec mihi visum fuit obstare, quod prædictæ exemptiones de tempore promissionis iam reuocatæ prætenderentur, & quod
6 per consequens promissio ad reuocata extendi non posse videretur, ad tradita per *Surd. cons. 330. num. 14.* quia contrarium
7 dixit *Rota coram Seraph. decis. 205.* in terminis Episcopi iurantis statuta, quo casu intelliguntur & iurata reuocata per Conc. Trident. si alias actus superfluus redderetur, & prout alias reddebatur casus, de quo tractabatur, cum promissione conductoris non indigerent exemptiones, quæ indubitanter subsistebant.

ARGVMENTVM.

IVdicium via ordinaria cæptum in executiuum variari non potest, nec etiam in vim obligationis cameralis, & maximè non refectis expensis.

SVMMARIVM.

1 *VIa iam electa in iudicio teneri debet.*
2 *Variari in Iudicio non potest nisi refectis expensis.*
3 *Expensæ, quando sunt reficiendæ, in primis, & ante omnia refici debent, & oblatio non sufficit.*
4 *Iudicium via ordinaria cæptum in executiuum mutari non potest, nec etiam in vim obligationis cameralis, & quarè.*

SINGVLARE XXXXVI.

INtroducto quodam iudicio via ordinaria, cum Actor ad viam executiuam redire

vellet, eidem opponebatur tritum axio-
1 ma, ex *l. si mulier §. fin. ff. Quod met. caus.*
Via, quam elegisti tibi pateat, & quidem
2 rectè, cum nec expensæ reficerentur, quæ
in omnem casum refici debebant, ad tra-
dita per *Zacchiam ad Galles. de oblig. cam.*
3 *quæst.* 11. *nu.* 11. & refici debebant in pri-
mis, & ante omnia, cum oblatio non esset
sufficiens ad tradita per *Grat. discept. foren.*
cap. 786. *num.* 16.
4 Suadente itaque ratione iuris quæsiti
Reo, & forsan ex conscientia Actoris, qui
potuerat credere, quod ipsi Reo compe-
teret aliqua exceptio, quæ proponi non
posset in iudicio executiuo, cum alias es-
set credendum, quod viam sibi magis pro-
ficuam elegisset, si illam in conscientia eli-
gere sibi licitum credidisset; variationem
prædictam denegaui, non obstante etiam
obligatione camerali, cum nec in vim ta-
lis obligationis à via ordinaria ad executi-
uam conuolari possit, ad ea, quæ latè dixit
Rota decis. 68. *post Zacchiam per totam.*

ARGVMENTVM.

Contrà Administratorem, qui minus idoneè rationem administrationis reddit, datur iuramentum in litem, si concurrant difficultas probationis, & dolus.

SVMMARIVM.

1 *ADministrator libros conficere, & in ratione reddenda illos exhibere tenetur, alias contrà ipsum in litem iuratur.*
2 *Doli præsumptio insurgit contrà administratorem, qui libros administrationis non confecit.*
3 *Libri rationum non debent esse confusi.*
4 *Iuramentum in litem datur, quando concurrunt difficultas probationis, & dolus.*
5 *Dolus ex mendacio resultat.*

SINGVLARE XXXXVII.

MErcantili societate contracta emptio-
nis, & venditionis plurium, & diuer-
sorum bonorum, etiam minutim, & in
diuersis locis, cum vnus ex socijs admini-
strasset vt suprà emendo, & vendendo,
compura dabat in quibusdam notulis, &
propterea alter ex socijs, qui in prædictis
1 computis se læsum asserebat, iuramentum
in litem sibi concedi instabat, quasi quod
ipse socius aministrator obligatus fuisset
conficere libros, illosque in reddenda ra-
tione exhibere, ne contrà ipsum in litem
2 iurari posset ex præsumptione doli, quæ ta-
li casu contrà ipsum insurgit, vt de commu-
ni testatur *Rota coram Veral. decis.* 159. *num.*
3 5. *& 6. parte* 2. & quidem videbatur non
posse id suppleri cum notulis prędictis val-
dè confusis, cum nec libri simpliciter, sed
libri non confusi requirantur, ad ea, quæ
habentur in *dicta decis. num. sequenti.*
4 Quia tamen vltrà prædicta mihi visum
fuit, quod in casu prædicto concurrerent
clarè requisita à *Glos. in l. In actionibus ff. de*
in litem iur. Difficultas scilicet probation-
is, & dolus; illa quidem, quia bona vt su-
prà, minutim, & in diuersis locis, & tem-
poribus fuerant empta, & distracta; iste
quia non omnia adnotasse compertum
fuerat, & pròut adunguem adnotare de-
bebat, *l.* 1. *§. Officio ff. de tute. & ratio. di-*
strahen. vbi Bart. & Bal. argumento l. fin. §.
Inter cætera ff. de lib. leg. & l. Si ita fuerit la
prima, *vers. In reliquis ff. de manu. testa.* iu-
ramentum prædictum concessi, ad ea, quæ
clarè in tali casu per prædicta concluditur
in *cons.* 73. *num.* 4. *& sequentibus, vol.* 1.
Mariani, & Bartol. Soccin. & maximè stan-
tibus nonnullis, & euidentibus mendacijs,
quæ in sui lucrum dixerat, & de quibus
5 postea ipse administrator conuictus, &
confessus in processu apparebat, & ex qui-
bus dolus resultabat, per *l. Et eleganter §.*
fin. ff. de dolo cum ibi notatis.

ARGVMENTVM.

PEndente iudicio nullitatis census per Actorem intentato, fructuum exactio non retardatur.

SVMMARIVM.

1 *ACtum impugnans interim ex ipso actu nullum emolumentum sentire potest.*
2 *Census nullitatis exceptio principaliter per viam actionis proposita executionem contra-*

ctus

ctus retardat; sed quomodo intelligendum vide sub num. 4.

3 *Damnum euitare tractanti lex est fauorabilis.*

4 *Census extinctionis mandato obtento non statim fructus cessant, sed eiusdem mandati executio requiritur, alicuiusque saltem partis sortis exigentia.*

5 *Census nullitas incidenter, & per viam exceptionis proposita, vt retardet executionem contractus, debet esse euidens, & clara, vt nulla oppositione velari, aut offuscari possit, opusque aliqua disputatione non habeat.*

6 *Census validè super re emphiteutica constituitur, si expressa prohibitio non adsit.*

7 *Census constitutus super re emphiteutica non est nullus ab initio, quando non adest expressa prohibitio, sed tantum volente, & declarante Domino directo.*

SINGVLARE XXXXVIII.

Census nullitate intentata, iudicioque super illa introducto pendente, recusabat Reus soluere fructus, dicebatque ge-
1 neraliter quod Actor ex actu impugnato nullum fructum sentire potest *Cap. Ex eo, de regul. iur. in sexto, Gabr. tit. eod. concl. 1.*
2 *num. 1. cum ibidem citatis*. Specialiter autem adducebat *Cencium de cens. parte 2. cap. 2. quæst. 4. art. 1. num. 6. & sequentibus impressionis Gellij 1621.* qui firmat, quod exceptio nullitatis census proposita principaliter per viam actionis executionem contractus retardat.

In contrarium autem replicabat Actor, quod ipse non tractabat de fructu acquirendo, de quo in casu citati *Cap. ex eo* sed
3 de damno vitando, quo casu lex est fauorabilis, *l. & si quis §. sed si adita ff. de Relig.*
4 *& sumpt. fun.* & allegabat eundem *Cencium parte 3. cap. 1. quæst. 3. art. 5. num. 23.* vbi firmat, quod fructuum exactio non cessat nisi post susceptum mandatum, de extinctione census, *& num. seq.* comprobat, quod vltrà relaxationem mandati requiritur, quod etiam vlterius in executione procedatur, aliquaue saltem pars sortis exigatur, ad ea, quæ dixit *Rota decis. 272. num. 4. post eundem Cencium*.

Ego itaque prò Actore tenui, ad vlterioraque in exactione fructuum procedi mandaui, quia censui *Cencium in dicta parte 2. cap. 2. quæst. 4. art. 1. num. 6. & seqq.* intelligendum esse de exceptione proposita à Reo, & non ab Actore, cum Reo, & non Actori exceptio competat, alias ipse Cencius esset sibi contrarius, dicendo prius loco citato, quod per solam impugnationem Actoris, & lite pendente executio contractus retardetur, & subiungendo postea *parte 3. cap. 1. quæst. 3. art. 5. num. 23. & 24.* quod ad id & mandatum, & eius executio requiratur. Et quidem optima ratione fundatur, si consideretur, quod cum impugnat Reus, scilicet venditor census, vtiquè offert sortem restituere, & si Actor illam recipere non vult, sibi imputare debet damnum, quod sentit ex non perceptione fructuum, quod non est, quando Actor, idest emptor impugnat, & Reus, idest venditor sortem reddere recusat; tunc enim fructus cessare non debent, ne coactè emptor damnum sentiat non habendo sortem, nec fructus.

5 Tantoque magis id feci, quantò consideraui, quod nullitas census in omnem casum non erat talis naturæ, quod executionem contractus retardare posset, ex quo non solum non erat ita euidens, & clara, quod nulla oppositione velari, aut offuscari nequiret, opusque aliqua disputatione non haberet, ad ea, quæ loquendo de exceptione per viam exceptionis, & incidenter proposita, tradit *Cencius dicta parte 2. cap. 2. quæst. 4. art. 1. num. 9.* sed videbatur omninò inefficax, & irreleuans, ex quo dicebatur census nullus, quia funda-
6 tus fuerat super re Emphiteutica, cum tamen taliter constitutus, si expressa prohibitio non adsit, validè constitutus habeatur à *Rota, vt decis. 76. num. 7. post Cencium,*
7 & alibi passim, & quando non adest expressa prohibitio saltem non dicatur nullus ab initio, sed tantum Domino directo volente, & declarante, ad ea, quæ tradit *Rota post eundem Cencium decis. 40. num. 6. 7. 8. & 9.*

ARGVMENTVM.

Positionibus qualificatè responderi potest etiam in terminis statuti mandantis responderi absque vlla condi-

tione, si qualitas adiecta sit eiusdem causæ in positionibus expressæ.

SVMMARIVM.

1 *Respondens recepisse, quæ sibi debebantur, indiuisibiliter respondit.*

2 *Rusticus positionibus respondens cum additionibus toleratur, etiamsi simpliciter ex statuto respondere debeat.*

3 *Positionibus respondens cum qualitate, quæ solùm vnicum actum importat, admittitur; secus si duplicem actum constituat.*

4 *Responsio debet esse talis, qualis præcessit interrogatio.*

5 *Statutum ius commune restringens strictè est interpretandum, & extrà casum suum neque ex maioritate rationis est extendendum.*

SINGVLARE XXXXIX.

Mandante statuto, quod positionibus responderetur absque vlla conditione, euenit casus, quod quidam Rusticus respondendo circà receptionem nonnullorum bonorum, dixit illa habuisse ad computum sui crediti, & sic quærebatur an ad formam statuti talis responsio esset admittenda.

Tenui, quod tam positio, quam responsio declaratione opus haberent, quia cum ponens dixisset simpliciter, quod prędicta bona dederat, vtiquè respondens potuit dicere, quod illa habuit ad computum sui crediti, cum & ad computum sui cre-
1 diti tradita esse possent. Talis enim responsio sic simpliciter considerata est indiuisibilis, ad ea, quæ tradit *Surd. decis. 258. num. 5. & Amat. decis. 82. num. 3.* vbi de
2 communi testatur, & eò magis in respondente Rustico, cuius responsio etiam qualificata arbitrio Iudicis admittenda est, ad ea, quæ in terminis statuti notat *Menoch. de arbitr. cas. 251. num. 6.*

Verùm, quia poterat esse, quod re vera bona data fuissent causa mutui, vel alia speciali, & sic quod responsio contineret factum diuersum ab ipsa causa, cum data exempli gratia causa mutui, potuissent fateri recepta causa debiti, & quod propte-
3 rea qualitas addita reijci posset, iuxtà doctrinam *Abbatis in cap. Bonæ memoriæ* il secondo, *de postulat. Prælat. num. 29.* vbi distinguendo dicit, quod si confiteor recepisse centum, quæ mihi debebas, depono de vnico actu qualificato indiuisibili; verùm si dico recepisse centum, sed ex alia causa esse de ipsis tui creditorem, depono de duplici actu diuisibili.

Decreui tam per ponentem, quam per respondentem causam exprimi debere, vt ex ipsa expressione dignosci posset, an qualitas, quę adijci contingeret per respondentem, esset eiusdem causæ, vel alterius ab ex-
4 pressa à ponente. Cum enim responsio debeat esse talis, qualis præcessit interrogatio *l. vt responsum, Cod. de transact. §. Præterea, Instit. de inut. stipul.* Meritò diuidi, & reijci posset conditio alterius causæ, quæ non esset ad propositum interrogationis.

Nec mihi visum fuit obstare, quod statutum responderi mandaret absque vlla conditione, quia si additio esset ex eadem causa, non conditio, sed potius qualitas indiuisibilis ex prædictis dicenda foret, & sic esset extrà terminum eiusdem statuti ius
5 commune coercentis, quod strictè interpretandum venit, & extrà casum suum neque ex maioritate rationis extendi potest, vt pluries dixit *Rota, & signanter in Giennen. Portionis 13. Nouembris 1613. coram Buratto.*

ARGVMENTVM.

Minister intentionem sui Domini executioni demandare non tenetur, si de illa clarè non liquet.

SVMMARIVM.

1 *Minister intentionem sui Domini executioni demandare tenetur.*

2 *Verbum (licet) facultatem, & non necessitatem importat.*

3 *Obseruantia subsequuta benè intentionem contrahentium declarare potest.*

SINGVLARE L.

In stipulatione instrumenti initi cum quodam Ministro, expresso inter alia, quod eidem liceret ex pecunijs ad eius manus perueniendis extinguere quendam censum,

sum, absque eo, quod aliter pecunias expendere teneretur: censu non extincto agebatur contrà ipsum prò reintegratione fructuum per eundemet solutorum, & videbatur, quod teneretur, cum omissa extinctione census pecunias expendisset in
1 alium vsum, quam in destinatum, cum tamen videretur teneri vti minister intentionem sui Domini executioni demandare, *l. 1. & 2. §. Quod de frumentaria ff. de admi. rer. ad Ciuit. pertin. & dixit Rota coram Ludouis. in Gerunden. distributionum 16. Februarij* 1604. *num.* 5. *qua in decis. ipsius est* 154.

Fui tamen in voto cum sentientibus in contrarium, & ita fuit resolutum, quia extinctio remissa videbatur in arbitrium Mi-
2 nistri ex verbo (liceat) quod facultatem, & non necessitatem importat, *l. Non quicquid ff. de Iudic. cum similibus*, & quia fructuum solutiones postea factæ fuerant nedum sciente, & patiente ipso Domino, sed ipsomet annuente, & sic intrabat re-
3 gula, quod obseruantia subsecuta benè declarare posset mentem contrahentium, & in tali casu firmare, quod Minister potuisset, & non debuisset censum prædictum extinguere, vt pluries tenuit *Rota*, & præcipuè *coram Ludouis. decis.* 502. *num.* 10. & 511. *num.* 8.

ARGVMENTVM.

Artifex non dicitur, qui semel tantum artem exercuit, & vti consuetus in eadem arte ad eiusdem artis onera subeunda compelli non potest.

SVMMARIVM.

1 *Solitum etiam pro vnica vice inducitur, sed contrà num. 4.*
2 *Consuetum ex vnica vice dici non potest, sed per plures induci debet.*
3 *Copia non est attendenda, sed originale.*
4 *Solitum per vnicam vicem induci non potest.*
5 *Artifex, seù vt vulgo dicitur, del mestiere, non dicitur ille, qui semel tantum artem, vel mesterium facit.*
6 *Mercator non dicitur, qui semel merces emit, & vendit.*
7 *Solitum etsi induci possit per vnicum actum, non inducitur tamen in tali casu habitus, seu ars, vel mesterium illius actus, nisi per plures actus.*
8 *Contractus ab initio est voluntatis, & ex post facto necessitatis.*
9 *Voluntas coacta non dicitur propriè voluntas.*

SINGVLARE LI.

Cvm statuto cautum esset, quod consuetus exercere aliquam artem teneretur prò suo, vt vulgo dicitur, *mestiere*, compositionem facere cum Gabellarijs, eisdemque soluere ex dicta compositione determinandam summam, aliàs haberetur prò composito in summa ab eodem statuto expressa.

Quærebatur, an qui semel lanio fuerat, idest per annum laniarium conduxerat, & non se composuerat, prò composito ad formam statuti habendus esset, vel potius gabellam soluere teneretur ad ratam carnium per ipsum venditarum, & venden- darum, prout ipse soluere offerebat, & vi-
1 debatur, quod prò composito habendus esset, cum solitum etiam prò vnica vice inducatur, ad *l. Mela ff. de alim. & cib. legat.* Et ad ibidem per *Doctores notata*.

In contrarium tamen tenui, & decreui, quia non de solito, sed de consueto statu-
2 tum loquebatur, & consuetum ex vnica vice dici non posse, sed ex pluribus tradunt *Bart. in dicta l. Mela §. sed si alimenta, Bertaz. de clausul. claus.* 4. *Glos.* 34. *nu.* 1. vbi de communi, & in terminis statuti, Decius *cons.* 222. *num.* 7. & *Magon. decis. Lucensis* 93. *num.* 5. & esto quod de solito loqueretur, cum in copia vulgarizzata ita
3 legeretur, quamuis non ipsa copia, sed originale esset attendendum, ad tradita per *Curt. Iun. in cons.* 166. Tamen non est cla-
4 rum, quod solitum per vnicam vicem induci possit; tum quia non desunt Doctores contrarium tenentes, vt per *Bertaz. vbi suprà claus.* 21. *Glos.* 12. Tum quia textus *dicta l. Mela non est clarus*, cum non loquatur de vnica vice, sed de præstatione alimentorum tempore mortis facta, quæ non excludit, quod per plures vices fieri potuerit, & prout loquuntur etiam alia iura, quæ ad id probandum adduci solent,

Sed

Sed esto, quod solitum & prò vnica vice
induci posse esset dicendum, adhuc non
erat locus prætensæ compositioni, ex quo
statutum non dicebat tantum de solitis se
componere, sed addebat, *per le loro arti, ò*
5 *mestieri*. Clarum est enim, quod artifex,
& vt dicitur, *del mestiere*, non dicitur ille,
6 qui semel tantum artem, vel mesterium fe-
cit, sicut Mercator non dicitur, qui semel
merces emit, & vendit, & hoc fortassis est
quod vult inferre *Bertaz. in dicta clausula 21.*
Glos. 12. vbi contraria proponere videtur.
7 Solitum enim etsi induci possit per vnicum
actum, non inducitur tamen tali casu habi-
tus, seù ars, vel mesterium illius actus nisi
per plures actus, vt latè per *Stracchana de*
mercat. parte 1. nu. 6. & seq. ab ipso etiam
Bertaz. relatum, vbi dicitur in specie, quod
ad id assiduitas requiratur.

Nec mihi visum fuit obstare, quod ipse
lanio per annum laniarium conduxerat,
& quod proinde non semel, sed centies, &
millies in eodem anno actus lanionis fe-
cisset, quia non poterat negari, quod non
esset vnica conductio, & sic vnicus actus
voluntarius, cum cæteri essent ex contra-
8 ctu iam inito necessarij, ex quo contractus
ab initio est voluntatis, & ex post facto ne-
cessitatis *l. Ab emptione ff. de pact. l. sicut*
Cod. de actio. & oblig. Et proinde ad dete-
gendam voluntatem circa velle, vel nolle
comprehendi in arte, eiusdem voluntatis
liberi, & non necessarij actus erant inspi-
9 ciendi, cum voluntas coacta non dicatur
propriè voluntas, *l. si mulier §. si metu coa-*
ctus, & ibi Alex. in addit. ad Bart. ff. Quod
met. causa.

ARGVMENTVM.

PRæceptum cum clausula si senseris te grauatum compareas iustitiæ complementum recepturus, si per comparitionem præceptati absque citatione partis non reuocatur, suspenditur saltem ne transeat in iudicatum.

SVMMARIVM.

1 *PRæceptum, vt valeat, requiritur clausula*
si senseris &c.
2 *Præceptum cum clausula si senseris, &c. ne*
transeat in iudicatum, & sit reuocatum, re-
quiritur quod præceptatus intra decem dies
compareat, vel appellet; sed vide num. seqq.
3 *Præceptum cum clausula si senseris &c. vt in*
iudicatum non transeat, videtur quod cum
comparitione præceptati requiratur citatio par-
tis, quæ præceptum obtinuit, & quarè; sed
contrà, & quarè.
4 *Præceptum cum clausula vim citationis habet.*
5 *Præceptum cum clausula si senseris &c. vt re-*
uocetur, videtur necessaria citatio illius, qui
illud obtinuit.
6 *Citatio in quolibet actu requiritur.*
7 *Præcepti cum clausula si senseris &c. reuoca-*
tio cum citatione partis in aliquibus tribunali-
bus fieri solet.

SINGVLARE LII.

FActo præcepto cum clausula si senseris te
grauatum, &c. quæ clausula est necessa-
1 ria vt præceptum valeat, ad ea, quæ com-
muniter notant *Doctores in l. de pupillo §.*
2 *meminisse ff. de noui oper. nunc.* comparuit
præceptatus intra decem dies, & prote-
status de eiusdem præcepti nullitate, &
inualiditate, præceptum ipsum ne dum
in iudicatum non transisse, sed omninò re-
solutum esse prætendebat, cum ad prædi-
cta sufficere vedeatur, vel ipsius præ-
ceptati intra decem dies comparitio, vel
appellatio, ad ea, quæ notant *Doctores in di-*
cto §. meminisse, & quæ habentur *in decisione*
540. Rotæ Romanæ in antiquis.
3 Insistente tamen parte aduersa pro re iu-
dicata, ex quo talis comparitio præceptati
ipsa non citata facta fuerat, & prout fieri
debere videbatur ex verbis, quibus Do-
ctores in tali materia vtuntur, & præcipuè
Iason in l. Nec quiquam ff. de off. Procons. &
leg. num. 6. & Ripa in dicto §. meminisse num.
24. qui dicunt, Præceptum validatur cum
clausula si senseris &c. & comparente cita-
to resoluitur in vim simplicis citationis,
quasi quod citari debeat ille, qui prò præ-
cepto comparet, & proprium sit simplicis
citationis præceptum reuocare.

Tenui præceptum quidem transitum in iudicatum non fecisse, verba enim illa, comparente citato, intelligenda esse de illo, qui præceptatus fuit, clarè tradit *Paul. de Cast.*

in

in dicto §. meminisse sub num. 5. Et quidem rectè, cum ipse iam per præceptum ex clausula prædicta fuerit citatus, dum dicendo si senseris te grauatum compareas iustitiæ
4 complementum recepturus, satis superque in iudicium fuerit vocatus, vt proinde tale præceptum vim citationis habere meritò notauerit *Bart. in l. 1. Cod. de vsur. rei iud. num. 3.* Et alia verba in vim simplicis citationis intelligenda non esse, ita vt præceptum resolui deberet ex simplici citatione, videbatur patere ad sensum, cum ad id fuisset dicendum per vim, & non in vim, cum aliud sit resolui in vim, & aliud resolui per vim.

Et sic ita decreui quicquid posset dici, an præceptum ipsum, quod vt suprà transitum in iudicatum non fecerat, reuoca-
5 tum esset, cum ad reuocationem videatur necessaria citatio ex regula generali, quod
6 in quolibet actu pars citari debeat, vt tra-
7 dit *Gabr. de cit. concl. 1. num. 1.* & maximè stante consuetudine tribunalis, in quo causa tractabatur, & de qua consuetudine in Ciuitate etiam Bononiæ testatur *Scaccia in tract. de iud. caus. ciuil. criminal. & haeretical. cap. 57. num. 20.*

ARGVMENTVM.

Legatarius prò annuis legatis etiam decurrendis sententiam reportare potest, debet tamen quolibet anno ipsius executionem obtinere.

SVMMARIVM.

1 *Plus petit, qui ante tempus petit; sed quomodo intelligendum vide sequenti nu. 5.*
2 *Plus petenti obstat exceptio quod agere non potest.*
3 *Legatarijs omnimodò est succurrendum.*
4 *Testatorum voluntates exequi publicè interest.*
5 *Petens ante tempus plus petit, si debito tempore exequi facere non intendat.*
6 *Litibus iniustè nemo est vexandus.*
7 *Creditor annuus etiam ex sententia vti talis canonizatus quolibet anno ipsius sententiæ executionem petere debet.*
8 *Citatio in quolibet actu requiritur.*
9 *Citatio non requiritur vbi pars non potest opponere.*

SINGVLARE LIII.

A Gente Legatario ad consecutionem legati sibi quolibet anno debiti, opponebat
1 hæres, quod prò annis futuris non erat audiendus cum qui ante tempus petit plus
2 petat, ad *textum in §. Plus, Inst. de actio.* & sic meritò intret exceptio, quod agere non possit *§. Temporales Inst. de except.*

In contrarium tamen tenui *per l. 1. Cod.*
3 *Communia de leg.* quæ omnimodo legatarijs succurrendum dicit, & rectè cum publicè
4 interfit voluntates testatorum exequi *l. vel negare ff. Quemad. test. aper.*
5 Nec mihi visum fuit obstare motiuum contrarium, quia iura prædicta sunt intelligenda agi non posse, vt tunc soluatur, secus autem, vt fiat tempore debito adueniente, & pròut egerat legatarius ipse ita iudicium intentando, *Alex. cons. 95. num. 3. vol. 1.* & in terminis legati *Marches. de salu. parte 1. cap. 9. num. 2. & Vrsil. ad decis. 279. Afflicti num. 2.* Sequeretur enim alias, quod legatarius singulis annis deberet facere vnum processum litigando rem claram, & iam per sententiam annorum decursorum canonizatam, contrà regu-
6 lam vulgarem, quod nemo litibus iniustè est vexandus.

Codemnato itaque hærede ad singulis annis soluendum, mandatoque commisso, dixi tamen quolibet anno ipsum hæredem citandum esse ad videndum exequi, ne sic ipsi hæredi exceptionem solutionis, & alia, quæ ei competere possent tollerem, Legatarioque ius sibi dicere permitterem, maximè in dubijs, quæ sæpe sæpius inter cre-
7 ditores, & debitores oriri solent. Quod enim creditor annuus etiam ex sententia debeat coram Iudice executionem ipsius sententiæ quolibet anno petere, clarè tradit *Vrsil. vbi suprà*, & quod fieri debeat cum partis citatione dubitari non potest,
8 cum in quolibet actu pars citari debeat, ad tradita per *Gabr. de citat. concl. 1. num. 1,*
9 & maximè si vt supra potest opponere, per ea, quæ à contrario sensu notat *Gabr. vbi suprà num. 332.*

AR-

ARGVMENTVM.

Saluianum vtile interdictum datur prò legato.

SVMMARIVM.

1 *Legatarius pro legato omnia bona sui testatoris obligata habet.*
2 *Saluianum vtile interdictum competit cuicumque creditori habenti bona sui debitoris obligata.*
3 *Legatario prò legato competit hypothecaria.*
4 *Hypothecaria cui competit, competit & vtile Saluianum interdictum.*
5 *Saluianum vtile interdictum competit cui competit hypothecaria, & etiam contrà tertios possessores.*
6 *Saluianum vtile interdictum competit pro legato.*
7 *Voluntates testatorum exequi publicè interest.*
8 *Legatorum causa pluribus beneficijs est decorata, & omnimodè executioni est demandanda.*
9 *Saluianum habet locum tribus extremis probatis, videlicet Actoris credito, possessione debitoris, & possessione Rei conuenti.*

SINGVLARE LIV.

Saluianum vtile interdictum competere prò legato tenui.

1 Primo, quia legatarius pro legato bona sui testatoris obligata habet *l. 1. Cod. Com.*
2 *de leg.* & cuicumque creditori habenti bona sui debitoris obligata tale beneficium competit, secundum ea, quæ, quicquid dicant alij, firmat *Bart. in l. 1. num. 2. ff. de sal. interd. & in l. 1. quæst. 1. Cod. eodem tit.*
3 Secundo quia legatariò prò legato competit hypothecaria, vt habetur *d. l. 1. Cod.*
4 *Com. de leg.* & cui competit hypotecaria, competit vtile Saluianum interdictum, ad ea, quæ dixit *Rota Rom. præcipuè in decis. di-*
5 *uers. parte 1. decis. 44. nu. 4.* & etiam contrà tertios possessores, *vt parte 2. decis. 34. nu. 24.* vbi de communi, & de magis communi æquiori, & veriori testatur *Marc. Ant. Eugen. cons. 65. num. 20. lib. 1.* vbi reijcit Modernos contrariam tenentes.
6 Tertio denique quia pro legato in specie tale beneficium competere firmant *Aret. in §. Item Seruiana num. 9. Instit. de act. nec non Rota vbi supra parte 3. decis. 674. num. 4. & 689. num. 4.* quicquid in contrarium vti Modernus dicat *Surd. cons. 191. num. 16. lib. 2.*
Causa enim tam priuilegiata (quæ & in-
7 teresse publicum respicit, cum publicè interesit testatorum voluntates exequi *l. vel negare ff. Quemad. test. aper.*) non potest persuaderi quod ab hoc beneficio remaneat
8 exclusa, & maximè cum pluribus beneficijs decorata omnibus modis tandem executioni demandanda statuatur in *dicta l. 1.*
9 *Cod. Com. de leg.* & sic probatis tribus extremis, credito scilicet legati, possessione testatoris de tempore mortis, & possessione Rei conuenti; prò legatario decreui, ad tradita præcipuè per *Scapuc. de Salu. lib. 1. quæst. 3. num. 1.*

ARGVMENTVM.

Fideicommissarius possessionem hereditatis propria auctoritate capere potest, si licentiam testatoris saltem tacitam id faciendi habet.

SVMMARIVM.

1 *Fideicommissarius de licentia testatoris expressa possessionem hæreditatis propria auctoritate capere potest.*
2 *Fideicommissarius de licentia testatoris etiam tacita possessionem hæreditatis propria auctoritate capere potest.*
3 *Testatoris voluntas in vltimis voluntatibus totum facit, regit, & dominatur.*
4 *Possessionem capiendi propria auctoritate fideicomissarijs concessum esse censetur, si totam, & integram hæreditatem ad ipsos testator peruenire voluerit detractionibus prohibitis.*
5 *Detractiones quando non sunt faciendæ, & hæreditas tota est restituenda, immissio hæredi non est danda.*
6 *Hæredi immissio non est danda, quando manifestè, & notoriè constat totum esse restituendum, & nihil penes ipsum hæredem esse remansurum.*
7 *Dubium iuris altiorem indaginem requirens in possessorio non est discutiendum, sed ad petitorium est remittendum, sed declara vt nu. seq.*

8 Pos-

8 *Possessorium dubium iuris altiorem indaginem requirens ad petitorium remitti non debet, si de communi opinione constat, & rationes tales non adducuntur, quibus liceat Iudici à dicta communi oppinione recedere.*

9 *Quæstio iuris obscura ob varias interpretationes aequiparatur quæstioni facti.*

SINGVLARE LV.

FActa per testatorem substitutione directa ab extraneo in extraneos, dictoque in testamento, quod tota, & integra hæreditas absque detractione falcidiæ, & Trebellianicæ ad fideicomissarios peruenire deberet, eueniente casu fideicomissi, fideicomissarij eiusdem hæreditatis propria auctoritate possessionem vacantem cœperunt, introductoque dubio coram me an
1 eisdem id licuisset, decreui, quod sic, quia quod fideicomissarius possit id facere ex licentia expressa testatoris, *textus est clarus in l. Titia cum testamento §. Lucius Titius ff.*
2 *de leg.* 2. & quod possit etiam ex tacita firmat *Peregr. de fideicom. art.* 47. *num.* 43. ex communi intentione, ad tradita per *Dec. in l. fin. num.* 48. & alios, vt per ipsum *Peregr. dicto num.* 43. vbi addendo etiam
3 rationem dicit esse, quia in vltimis voluntatibus testatoris voluntas totum facit, regit, & dominatur *l. in conditionibus ff. de cond. & demon. l. ex facto ff. de hared. inst. & l. cum quæstio Cod. de leg.*

Quod autem de licentia testatoris ap-
4 pareret in supradicto casu, dubitari non posse renui, per ea quæ tradit *Honded. cons.* 28. *num.* 10. *& seqq. lib.* 2. Intrabat enim casus alias à *Rota decisus in Senogallien. fideicom.* 22. *Maij* 1606. *coram Card. Sacrato*, & de quo late per *Argel. de leg. contradict. quæst.* 10. *art.* 16. *num.* 235. *& seq. post Paris. cons.* 53. *num.* 113. *& seq. lib.* 3. vt notatur in *addit. ad Ludouis. decis.* 206.
5 *num.* 12. scilicet quod quando non sunt faciendæ detractiones, sed tota hæreditas venit restituenda ad euitandum inanem circuitum, non est danda immissio hæredi, & hoc non obstante, quod hæres præcipuè diceret, sed nullatenus ostenderet, quod defunctus esset creditor fideicommittentis, quia iam elapsi fuerant decem anni à die mortis ipsius fideicommittentis, & in quibus verisimile erat, quod exegis-
6 set ne in præscriptionem incurreret. Quamuis enim dicta conclusio Rotæ procedat, quando constat manifestè, & notoriè nihil esse remansurum penes hæredem vt notatur *in dictis addit. ad decis.* 206. *Ludouis.* tamen ex prædictis alijsque friuolè allegatis per hæredem dictum manifestum, & notorium non offuscabatur, cum non solum de allegatis nec fumus quidem daretur, sed potius contrarium esse præsumendum resultaret. Si enim friuolæ hæredum exceptiones essent attendendæ, nunquam verificari posset dicta conclusio Rotæ coram Sacrato, cum semper ipsi proponere possent aliqua, quamuis non vera, ad ipsam conclusionem euitandam.

Nec mihi visum fuit obstare, quod cum sit dubium, an fideicommissarius ex licentia tacita testatoris possit propria auctori-
7 te possessionem capere, debeat propterea tale dubium tanquam altiorem indaginem requirens ad petitorium remitti *arg. l. fin.*
8 *Codice de edicto Diui Adr. tol. quia vt notat Argel. de acq. poss. quæstione* 2. *num.* 156. *& sequentibus*, tunc controuersia iuris in possessorio obstat, cum non apparet de communi opinione, vel si apparet cum contrà ipsam communem opinionem adsunt rationes ita validæ, quod per eas lice-
9 at Iudici à communi recedere. Quæstio enim iuris obscura ob varias interpretationes æquiparatur quæstioni facti, & requirit altiorem indaginem, *Argel. vbi supra num.* 154. non autem erat talis proposita, in qua de communi opinione, vt suprà, testatur *Peregrin.* & in contrarium ne dum non adducebantur, sed nec adduci posse videbantur rationes, quæ à prædicta communi recedi posse suaderent, cum alias fuisset dicere quod coniecturæ locum habere non possent in vltimis voluntatibus, contrà ea, quę passim in iure à Doctoribus notantur. Omnia enim iura, quæ allegabantur in contrarium, vel loquebantur in casu, in quo non aderat licentia testatoris saltem tacita, vel in quo hæredi competebat aliqua detractio, vel tandem in quo hæreditas non erat iacens, aut vacans, quæ omnia per prædicta cessabant in casu proposito, & sic ad fauorem eorundem fidei-

K com-

commissariorum pronunciaui, saluis iuribus hæredi in petitorio, quatenus, &c.

ARGVMENTVM.

Fideicommissarius qui potest possessionem capere propria auctoritate, sibi quoad dictam auctoritatem non præiudicat, si Iudicem adeat prò immissione ad omnem bonum finem, & effectum, & possessio capta tenet auctoritate propria, etsi ex facto Iudicis sustineri non valeat.

SVMMARIVM.

1 *Auctoritate propria si quis rem capere potest, sibi non præiudicat, si prò illa capienda Iudicem adit; sed vide infrà num 3.*

2 *Superflua non nocent.*

3 *Possessionem capere si quis potest auctoritate propria, sibi praiudicat, si pro immissione Iudicem adeat, cum auctoritati propria renunciasse censeatur.*

4 *Possessionem si quis capere potest auctoritate propria, & Iudicem adit pro associatione, sibi non praiudicat, & quarè.*

5 *Associatio petita censetur ad euitanda scandala, & in ipsa partis citatio non requiritur.*

SINGVLARE LVI.

Fideicommissarius, cui competebat ius accipiendi possessionem fideicommissi propria auctoritate ex licentia sibi à fideicommittente concessa, Iudicem adeundo institerat immitti in eandem possessionem ad omnem bonum finem, & effectum, & cum nulliter postea fuisset immissus, actum ex auctoritate propria sustinere nitebatur,
1 cum qui potest rem capere auctoritate propria sibi non præiudicet, si prò illa capienda Iudicem adeat, ad ea, quæ notat
2 *Menoch. de recuper. poss. remed.5. nu.29.* Superflua enim non nocent, ad textum expressum in *l. Testamentum, Cod. de testamentis.*
3 In contrarium autem dicebatur, quod satis superque sibi præiudicauerat ex ijs, quæ in terminis habentur in *decis. 105. nu. 14. coram Ludouis.* etiamsi ex vrbanitate Iudicem adijsset, vt subditur in *dicta decis. eodem num. 14.*

Tenui tamen ego prò fideicommissario,
4 & prò ipso iudicaui, quia non simpliciter Iudicem adiuerat, sed ad omnem bonum finem, & effectum, quæ verba meo iudicio excludebant omnimodum præiudicium, cum præiudicium cum bono fine, & effectu vtiquè stare non possit. Omnes enim, qui firmant cadere à facultate, quam habet ex auctoritate propria illum, qui Iudicem prò immissione adit, dicunt id procedere ex eo, quod censetur facultati propriæ renunciasse; at hoc mihi cessare visum fuit in casu, de quo tractabatur, & in quo potius apparebat ipsam facultatem
5 reseruatam esse per prædicta verba, quæ expressa credidi, vt non immissio, sed associatio intentata declararetur, & quæ associatio auctoritati propriæ vtique non præiudicat, vt dixit *Rota coram Seraph. decis. 1003. num. 1. & notatur in addit. ad dictam decis. 105. Ludouis. in fine,* suadebatur enim eandem assoctationem petitam fuisse nedum ad euitanda scandala, vt consideratur in allegatis, sed & ad effugiendas pœnas, quæ comminatæ erant contrà capientes possessionem auctoritate propria, & proinde nec actus iudicialis erat iudicandus, cum in mandato associationis nec partis citatio requiratur, ad ea, quæ tradit *Surd. cons. 221. num. 45.* Et latius notat *Afflict. decis. 326. num. 2.*

ARGVMENTVM.

Instrumentum in summarijssimo possessorio rem claram, & manifestam non facit, probationemque probatam vti notorium non inducit, & maximè si est antiquum, & impugnatur.

SVMMARIVM.

1 *Instrumentum facit rem claram, & manifestam, probationemque probatam inducit; sed limita, vt num. 3.*

2 *Possessorio in summarijssimo possessio de tempore mota litis attenditur.*

3 *Instrumentum in summarijssimo possessorio non facit rem claram, & manifestam, probationemque probatam vti notorium non inducit,*

dicit, & maximè si impugnatur, & est antiquum.

4 *Notorium in summarijssimo possessorio solum resultat ex confessione partis, & ex re iudicata.*

SINGVLARE LVII.

1 Qvamuis regulariter instrumentum faciat rem claram, & manifestam, probationemque probatam inducat, vt pluries dixit *Rota*, & signanter *coram Ludouis. decis.* 180. *num.* 1. Tamen id non probandum duxi in summarijssimo
2 possessorio, in quo possessio de tempore moræ litis attenditur, ad resoluta per *Rotam vbi suprà decis.* 582. *num.* 1. Et sic instrumenta in tali iudicio ad probandum dominium producta, tanquam altiorem indaginem requirentia non attendenda, & ad petitorium reseruanda dixi,
3 Quicquid enim potuisset dici si impugnata non essent cum acriter impugnarentur, & nonnulla etiam contrà ipsa resultarent, tenui quod nullo modo notorium facere possent, per ea, quæ in tali materia notat *Rota in decis. diuers. parte* 1. *decis.* 28.
4 *num.* 9. vbi clarè concludit, quod in tali iudicio notorietas solum dominij locum habeat, & quod notorium solum resultet ex confessione partis, & ex re iudicata, & tantò magis id feci, quantò instrumenta ipsa erant tam antiqua, quod ex aduersò deducta satis superque euenire potuisse suadebatur.

ARGVMENTVM.

Hæres vt acquirat possessionem hæreditatis mediantibus colonis testatoris, requiritur quod isti continuent in colonia nomine ipsius hæredis: quod cum solutione fructuum illum recognoscant: & quod adsit scientia, & voluntas ipsius hæredis.

SVMMARIVM.

1 *Haeres possessionem acquirit mediantibus colonis, quando testator ipsis mediantibus possidebat; sed declara vt num. seq.*

2 *Possessionem vt acquirat hæres mediantibus colonis testatoris, requiritur, quod isti continuent in colonia nomine ipsius hæredis: quod cum solutione fructuum illum recognoscant: & quod adsit scientia, & voluntas ipsius hæredis; sed considera vlterius, vt ibidem.*

3 *Voluntas non fertur in incognitum.*

4 *Qui per alium facit per se ipsum facere videtur.*

SINGVLARE LVIII.

Hæredem, qui prætendebat in possessione anteriorem esse, ex eo quod testator possideret animo proprio, & corpore alieno, colonis scilicet mediantibus, non
1 audiendum dixi, quia etsi verum sit, quod tali casu hæres per colonos possessionem acquirat, ad notata per *Doctores præcipuè in l. Qui vniuersas. §. Quod per colonum ff. de acq. poss. Afflict. decis.* 167. *num.* 6. *& decis.* 325. *num.* 3. & latè *Natta cons.* 538. *num.* 7.
2 *& Surd. cons.* 117. *num.* 8. Tamen vt *Rota Rom. notauit in vna Ceruien. bonorum* 30. *Maij* 1580. *coram Seraph.* Quæ inter *decis. diuers. est in prima parte decis.* 681. *& inter decis. eiusdem Seraph. est decis.* 466. ad hoc vt actoritates prædictæ procedant, requiritur primò quod colonus continuet nomine hæredis, secundò, quod illum recognoscat cum solutione fructuum, & tertiò quod adsit scientia, & voluntas eiusdem hæredis, & sic cum in casu, de quo tractabatur cessarent prædicta requisita, cum ex processu appareret, quod coloni mortem testatoris solum sciuerant, quando pars aduersa possessionem cœpit, ad fauorem istius decreui contrà hæredem, qui possessionem naturalem nullatenus ex prædictis iam acquisierat, nec acquirere potuerat, cum nedum coloni ipsum hæredem esse nescissent, sed & mortis Domini fuissent ignari, & sic nullatenus velle potuerant,
3 quod ignorauerant, cum voluntas in incognitum non feratur, *l. Labeo §. Id Tubero, de supell. lega.* Quicquid tamen dici potuisset, si iam saltem probatum fuisset, quod coloni declarassent se velle possidere nomine cuius de iure, quo casu dubitassem, an requisita prædicta concurrere debuissent, cum si est verum prout est verissimum
4 dicere, quod qui per alium facit per se ipsum facere videtur, si ipsemet hæres abs-

que fructuum perceptione possessionem acquirere poterat, ita & mediante alio, meo iudicio, acquirere potuisset, & maximè si fructus (prout erat in casu, de quo tractabatur) maturati non essent.

ARGVMENTVM.

Alternatiuæ electio regulatur ex fauore illius, cuius gratia alternatiua ipsa fuit introducta.

SVMMARIVM.

1 *Alternatiuæ electio in contractibus spectat ad debitorem; sed vide numeris sequentibus.*
2 *Electio alternatiuæ exigendi ad creditorem, & non ad debitorem spectat.*
3 *Alternatiuæ electio semper est illius in cuius fauorem alternatiua fuit apposita, quicquid dici possit, si de cuius fauore dubitaretur.*
4 *Alternatiua exigendi in fauorem creditoris posita dici debet.*
5 *Verba superflua esse non debent.*
6 *Verba in dubio interpretari debent contrà proferentem.*

SINGVLARE LIX.

IN accollatione cuiusdam census censuarius ipse subintrans declarauerat se velle posse cogi ad extinctionem eiusdem census tempore quodam præciso adueniente, alias teneri velle subiunxerat ad omnia damna, expensas, & interesse. Vnde introducto articulo, an talis alternatiua esset introducta ad fauorem creditoris, vel debi-
1 toris, deducebatur inter alia prò isto, quod electio alternatiuæ in contractibus spectat ad debitorem *l. Plerumque in fine ff. de iure dot. & dixit Rota in Recens. parte 1. decis. 203. num. 3.*
2 Prò creditore autem replicabatur, quod erat alternatiua exigendi, & sic, quod electio ad creditorem, & non ad debitorem spectaret, per ea, quæ tradit *Grat. discept. foren. cap. 338. per totum,* & signanter *num. 12.* & quidem meo iudicio rectè, cum quic quid sit dicendum in dubio ex regula præ-
3 dicta contractus, certo certius sit, quod alternatiuæ electio sit semper illius in cuius fauorem apparet apposita, cum hæc sit ratio naturalis, vt dicit *Afflict. decis. 398. num. 8.* Quod autem ipsa alternatiua in fauorem creditoris concepta fuisset, dubitari non posse videbatur, ex quo fuerat dictum *voglio che mi possa sforzare,* & non prout dici solet, *mi obligo di fare, prometto di fare* &
4 similia, & sic cum alternatiua exigendi clarè resultaret vtique in fauorem ipsius creditoris ipsam positam esse dicendum erat, ad *Bald. in l. fin. col. pen. nu. 5. Cod. de pet. hær. Purpur. cons. 188. nu. 1. lib. 1. & Afin. de execut. §. 7. c. 268. col. 1. in fine, num. 5. fol.*
5 *mihi 237.* Si enim alternatiua prò debitore stetisset, & proinde cogi non potuisset, superfluè fuisset appositum illud verbum, *sforzare,* contrà *tex. in l. si quando de leg. 1. cap. Si Papa de priuil. in 6.* vltrà quod dato etiam dubio, alternatiua in fauorem credi-
6 toris posita videbatur, cum verba in dubio contrà proferentem sint interpretanda, & sic contrà debitorem, qui apocham scripserat, ad ea, quæ dixit *Rota vbi suprà in vna Gerunden. anniuersariorum 9. Decemb. 1585. coram Gypsio parte 2. decis. 2.*

Et sic censuarium ad extinguendum censum per illum in cuius locum subintrauerat, cogi posse decreui

ARGVMENTVM.

IN capienda possessione coloni omninò eijci debent, nec sufficit illos in viam adiacentem vel aliter expellere, si statim reuertantur, dummodo possessio non sit vacans, vel Iudicis auctoritate possessio non capiatur, quibus in casibus sufficit recognitio.

SVMMARIVM.

1 *Possessio non subsistit, si coloni eijciantur, & non recedant à conspectu prædij, statimque reuertantur; sed declara vt num. seq.*
2 *Electio colonorum non requiritur, si possessio est vacans; sed sufficit recognitio.*
3 *Colonorum expulsio non requiritur, quando possessio Iudicis auctoritate capitur.*
4 *Citatio non requiritur vbi pars opponere non potest.*

SIN-

SINGVLARE LX.

Electis in adeptione possessionis cuiusdam prædij colonis eiusdem prædij, ipsisque a via adiacenti ad idem prædium statim recursis, quærebatur, an possessio capta sub-
1 sisteret, & videbatur, quod non, quia erant omninò eijciendi,& talis eiectio non sufficiebat, ad tradita in puncto per *Gozzad. cons.* 86. *nu.* 13.*&* 14. *per Rotam coram Seraph. decis.* 342. *& in prima parte diuers. decis.* 80.

2 Quia tamen possessio erat vacans, & hæredi adhuc quæsita non erat, tenui in contrarium, per ea, quæ tradit *Rota decis.* 681. *dicta parte* 1. *diuers. in fine*, cum tali casu, vt dicit ibidem Rota, sufficiat recognitio, & de ista in casu, de quo tractabatur, satis superque apparebat.

3 Vlterius, cum possessio fuisset capta authoritate Iudicis, expulsio non fuerat necessaria, ad tradita per *Angel. in l. Qui vniuersas ff. de acq. poss. & dixit Rota in dicta decis.* 342. *coram Seraph.* Nec poterat dici, quod Iudex nulliter processisset, vt in *dicta decis.* 342. dictum fuerat, quia possessio erat vacans, & de euidenti licentia testatoris constabat, quod etiam propria authoritate possessio capi posset, & sic vel
4 nullus erat, qui citari posset, vel citandus non erat, cum opponere non valeret, ad ea, quæ latè tradit *Gabr. de citat. concl.* 1. *num.* 332.

ARGVMENTVM.

Creditor à debitore moroso nec cum requisitis à *Paulo de Castro in l.* 2. *§. fin. ff. de eo, quod certo loco*, potest interesse exigere, si sibi ex pacto licebat in casu moræ pecunias ad cambium recipere, & non fecit.

SVMMARIVM.

1 *Creditor à debitore moroso potest prætendere interesse probatis requisitis* Pauli de Castro in l. 2. §. fin. ff. de eo, quod certo loco.
2 *Fauoris causa inducta in odium retorqueri non debent.*
3 *Via, quæ eligitur patere debet.*
4 *Præsumptio præsumptione eliditur.*
5 *Præsumptiones in concursu probationum cessant.*

SINGVLARE LXI.

1 Probatis requisitis *Pauli de Castro*, quem sequuntur omnes *Doctores in l.* 2. §. *fin. ff. de eo, quod certo loco*: quidam creditor instabat prò interesse sibi debito ob dilatam restitutionem quarundam suarum pecuniarum; At in contrarium opponebatur, quod cum ex pacto expresse potuisset in casu moræ prædictæ pecunias accipere ad cambium, & recambium, & non fecisset, sibi interesse prædictum imputare debebat.

2 Replicabat creditor, quod pactum prædictum in sui fauorem factum in odium retorquendum non erat *l. Quod fauore Cod. de leg.* & sic lite super hoc coram me contestata tenui contrà creditorem, per ea, quæ tradunt *Anton. de Amat. var. resol. resol.* 27. *num.* 18. Et alij multi, quos citat, & præcipuè *Caualc. decis.* 2. *num.* 23. *lib.* 2. Quamuis enim mihi non satisfaceret ra-
3 tio, quæ ab aliquo adducitur ex regula, quod sola via, quæ fuit electa, patere debeat *l. si mulier* §. *fin. ff. si certum petatur*, cum vrgeat contrà hanc alia regula allegata, videlicet, quod inducta in fauorem non debent retorqueri in odium, & sic quod cambium, quod fuerat pactum ob commoditatem creditoris tollere non potest interesse legale, quod ex traditis per *Paul de Castro vbi suprà*, omninò debetur, tamen considerabam, quod cum præcipuum requisitum *Pauli de Castro* sit, quod creditor sit solitus fœnerari, pecuniasque suas otiosas non tenere, & sic insurgat præsumptio, quod si illas habuisset, vtique fœneri dedisset, & sic lucratus esset, ac proinde lucrum amissum veniat à debitore moroso reficiendum, hoc cessabat in casu, de quo tractabatur, cum præsumi non posset, quod creditor pecunias ipsas fœneri dare voluisset, cum illas ad cambium sibi permissum accipere non curasset, eo enim ipso, quod nec constabat pecunias ad cambium quæsisse animum illas fœnerandi non habuisse ostendebatur, quia etsi crederet

ret posse prætendere interesse à debitore,
4 tamen tutius erat fœnerando lucrari. Vndè cum præsumptio præsumptione elidatur *l. Diuus ff. de in integr. restit.* & proinde
5 de re, vt ita dicam, clara multò magis elidi deberet, cum præsumptiones cessent in concursu probationum, ad tradita per *Menoch. de præsumpt. lib. 1. quæst. 31. num. 7.* decreui contrà creditorem, reseruando tamen eidem iura melius probandi sua incumbentia, quatenus illa probare vellet.

ARGVMENTVM.

Valor scutorum aureorum si crescit lite pendente, crescit in damnum illa debentis, non obstante, quod valor ipse non sit liquidus, & sit liquidandus, vt ex præstatione eiusdem valoris debitor liberari valeat.

SVMMARIVM.

1 *Mora non contrahitur in liquidandis; sed declara, vt num. 4.*
2 *Debitor scutorum aureorum vt liberetur, vel ipsa scuta aurea præstare debet, vel quantitatem alterius monetæ, ex qua emi possint eadem scuta aurea debita.*
3 *Valor scutorum aureorum soluendus prò ipsis scutis aureis intelligi debet de valore tempore solutionis currenti.*
4 *Debitor non constituitur in mora, quando solutio per ipsum non stat, & ab aliquo extrinseco impeditur ne ipsa solutio fiat; secus autem, quando de modo solutionis liquidè constat, & per ipsum debitorem adimpleri potest.*
5 *Mora per debitorem, etiam lite pendente, committitur.*

SINGVLARE LXII.

Lata sententia contrà Reum conuentum prò scutis nonnullis auri ad formam præcisam suæ obligationis, vel prò valore eorundem liquidando, idem Reus appellauit, & cum etiam in secunda instantia succubuisset, offerebat tandem solutionem eorundem scutorum aureorum, non tamen secundum valorem currentem tunc temporis, sed secundum illum, qui currebat de tempore primæ sententiæ, vel de tempore litis motæ, & postquam notabiliter creuerat absque eo, quod scuta ipsa aurea in bonitate intrinseca alterata essent.

Prò fundamento autem suæ intentionis adducebat, quod debitum non fuerat liquidum, cum valor iuxtà sententiam liqui-
1 dandus esset, & sic quod ipse non fuerat in mora, cum mora non contrahatur in liquidandis, *Bal. in l. Acceptam oppos. 6. & 7. Cod. de vsur.* & latè *Surd. cons. 38. num. 13. & sequentibus vol. 1. & Afflict. decis. 205. per totam.*

In contrarium autem replicabatur, quod
2 cum ipse esset debitor in scutis aureis, nunquam ipsum satisfecisse poterat dici nisi solutis in corpore scutis aureis, vel soluta quantitate alterius monetæ, ex qua emi possent scuta prædicta aurea in obligatione deducta, cum vnum de duobus facere deberet, vt dixit *Rota in Mantuana Pensionis 12. Iulij 1617. coram Dunozzetto, & notatur in*
3 *addit. ad decis. 42. Ludouis.* qua resolutum fuit solutionem scutorum aureorum faciendam in valore fieri debere in valore aureorum de tempore solutionis currentium, & sic ego ita tenui, & decreui, cum liquidum in casu, de quo tractabatur esset in specie scutorum aureorum in corpore, & liquidatio valoris non erat ob aliud facienda, quam ob commodum debitoris, ad hoc scilicet, vt præstando valorem liberaretur à cura, & diligentia inueniendi in specie prædicta scuta aurea, & sic ipse debitor tenebatur vel dicta scuta in corpore præstare, vel liquidationem procurare, si damnum ab augumento sentire nolebat.

Nec mihi visum fuit obstare contraria, quia animaduerti loqui de quantitate incerta rei debitæ, puta frumenti debiti ex affictu cuiusdam territorij ad rationem iugerum, quæ iugera ad liquidandam quan-
4 titatem veniebant mensuranda; semper enim arguunt, quod debitor non constituatur in mora, quando solutio per ipsum non stat, & impeditur ab aliquo extrinseco, vt per *Surdum vbi suprà*, quod non erat in casu proposito, in quo semper fuit verum dicere, quod debitum erat scutorum aureorum, & liquidè constabat, quod per solutionem eorundem obligatio tolli

po-

poterat, & solutione non facta mora satis
5 superque resultabat, non obstante etiam litis pendentia, cum mora etiam lite pendente committatur, ad tradita per *Rotam in Romana Caducitatis 20. May 1602. coram Ottembergio num. 4.* & quæ decisio post *Cencium de cens. est decis. 224.*

ARGVMENTVM.

IMpedito facto aduersarij in probando, tempus non currit, dummodo impeditus de tali impedimento protestetur.

SVMMARIVM.

1 *IMpedito facto aduersarij præstitutum tempus, siue dilatio non currit, dummodo tamen protestetur, vt num. 6. & 7.*
2 *Impedito iura ipsa tẽpus, ne labatur, preseruant*
3 *Dilatio tota ad probandum est reintegranda, si pendente termino superueniat, impedimentum.*
4 *Probationum facultas non est tollenda, vel angustanda.*
5 *Tempus ad probandum ne currat ob aliquod impedimentum, sufficit protestatio per se non stare.*
6 *Impedito facto aduersarij in probando tempus non currit, si de impedimento protestetur.*
7 *Impedito facto aduersarij in probando, ne tempus currat requiritur quod ipse impeditus protestetur per se non stare, & quarè.*

SINGVLARE LXIII.

DAtis literis remissorialibus super examine quorundam testium faciendo intra mensem, assignatoque in ipsis termino quindecim dierum proximè sequentium parti aduersæ ad illos reprobandum, cum hæc citare non potuisset Actorem, qui erat forensis, & completo suo examine à loco, vbi causa tractabatur, recesserat, & proinde sua incumbentia in termino prædicto facere non poterat, instabat coram me, cui remissio examinis facta fuerat, declarari sibi tempus, & terminum non cucurisse, negante Actore, & dicente me vti simplicem executorem nihil posse facere, & tantò magis, quod citatio saltem ad valuas fieri potuerat.

1 His tamen non obstantibus decreui prò Reo, quia impedito per moras, & dilationes aduersarij præstitutum tempus, siue dilatio non currit *l. si cum ipse ff. de excus. tut. & ibi Bart. Bal. & Alex. in addit. ad eundem*
2 *Bartol.* Item, quia non ego, sed lex ipsa tale tempus præseruabat, cum vt firmatur
3 *in decis. 50. Afflicti num. 6.* si pendente termino superueniat impedimentum, etiam tota dilatio sit reintegranda, & meritò, ne sit in arbitrio cuiuscumq; impedire probationes, & terminos expirare facere, facul-
4 tatem probandi sic tollendo, vel angustando contrà *l. Curent ff. de testibus cap. Dilecti eodem tit. cum similibus.*

Nec habui in consideratione quod dice-
5 batur de citatione ad valuas, quia mihi visum fuit sufficere, quod ipse Reus fieri fecisset diligentias Actorem inueniendi, & postea iudicialiter protestatus fuisset per se non stare, interpellando sic Iudicem ad sibi de iustitia prouidendum, cum alias ex se ad valuas citando nullitates incurrere
6 potuisset. Quod enim talis protestatio sufficiat ad faciendum, quod tempus impedito non currat est *tex. & Glos. in l. fin. Cod. de. tempor. appell.* & volunt Doctores citati in allegata *decis. Afflicti sub num. 4.* & quod in his terminis ita sit tenendum, tradunt *Vestr. & Adden. ad ipsius pract. lib. 6. cap. vlt. de remis. ad partes, ac illius processu, & exe-*
7 *cut.* dummodo tamen dicta protestatio interueniat, quæ meo iudicio, quicquid in contrarium notetur in dicta *decis. Afflicti*, est semper necessaria, ne negligens in probando, vel resolutus non probare, allegando postea impedimentum, dicere possit se non probasse, non quia probare noluit, sed quia probare non potuit.

ARGVMENTVM.

INterpres vti suspectus recusari potest si interesse in causa habet.

SVMMARIVM.

1 *DEdecus si alicui ex aliqua causa imminet, in ea se ingerere non debet, & quarè.*
2 *Testis nullus in re propria admitti debet, & sic nec interpres.*
3 *Interpres vti nudus minister, ex quo nihil mali fa-*

facere potest, recusari non valet; limita tamen si interesse in causa habet.

4 *Pecunia sufficit, quod fuerit præsens, vt dici possit, quod fuerit habita, & recepta.*

5 *Verbum (videtur) est veritati congruens, cum sit etiam veritatis expressiuum.*

6 *Falsitas vt excludatur, verba contra ipsam sunt interpretanda, etiam illa impropriando.*

SINGVLARE LXIV.

CONtrouertebatur, an venditor recepisset nonnullas pecunias, quas Notarius in stipulatione instrumenti recepisse dixerat, & hoc, quia testes instrumentarij illas tradere, & respectiuè recipere non viderant. Cum autem testes ipsi essent examinandi, inducebatur à parte aduersa prò interprete idemmet Notarius, qui de instrumento rogatus fuerat, & quod admitti deberet, videbatur per ea, quæ alias notaui in Singulari 36. vbi tanquam nudum ministrum recusari non posse firmaui.

1 Verùm, quia vti Notarius in causa interesse habebat, cum dedecus ei resultare posset, si téstes contrà ea, quæ scripserat attestati fuissent, non admittendum tenui, per ea quæ inter alios de testibus tradit *Mascard. de prob. Concl.* 1357. *num.* 1.

2 Cum enim nullus testis in re propria admitti debeat *l. Nullus ff. de test. l. Omnibus, Cod. eod. tit.* nec interpres, qui testificata declaret ex eadem ratione admitti debet;

3 Nam meo iudicio cessabat ratio, quam in dicto singulari consideraui, videlicet quod interpres non posset vti nudus minister dicta testium alterare, maximè in præsentia alterius interpretis, & notarij scribentis, cum in casu præsenti posset circa ea, quæ sibi displicuissent, testes verbis, & signis terrere, stante prædicto interesse, quod in causa habebat, vltrà quod considerabam nimis periculosum esse testes timidos, prout mihi videbantur inducti, ad deponendum arctare contrà ipsum Notarium præsentem, qui satis conspicuus erat, per ea, quæ seruant criminalistæ in non facienda confrontatione similium personarum, ne à testificando veritatem retrahantur, vt inter alios notat *Ambros. in suo procef. inform. lib.* 2, *cap.* 9. *num.* 7.

Quamuis enim videretur, quod ea, quæ ipsi testes deponere debebant, Notario præiudicare non possent, cum solum articulatum esset, quod testes non viderant venditorem pecunias recepisse, sed tantum quod pecuniæ fuerant præsentes, & sic adhuc remanebat verum dictum Notarij,

4 ex quo sufficit, quod pecunia sit præsens, adhoc vt possit dici habita, & recepta, *l.* 1. §. *si iusserim ff. de acquir. poss. & l. Pecuniam ff. de sol.* per quas ita in terminis casus præsentis censuit *Bart. in l. singulari num.* 23. *ff. de reb. cred. & si cert. petat.* Tamen non erat simpliciter articulatum, quod pecuniæ fuissent præsentes, sed quod fuerant visi quidam sacculi, qui videban-

5 tur pecunijs pleni. Verbum enim, videtur, etsi sit veritati congruens, cum veritatis etiam sit expressiuum, *Cap.* 1. *de iudic. in* 6. *vbi Glos. in verbo videtur cum similibus*; tamen negari non poterat, quod veritatem simpliciter non importaret, & sic quod in falsitatem Notarij non posset

6 influere. Quamuis enim in dubio verba interpretanda sint contrà falsitatem, etiam illa impropriando, ad *trad. per Farin. de falsit. & simulat. quæst.* 153. *num.* 194. & 195. Certum tamen erat, quod articulans ad falsitatem probandam tendebat, & ex dictis testium vtique falsitas resultare poterat.

ARGVMENTVM.

EMphyteusi finita renouatio peti potest solum in casu, in quo Ecclesia rem Emphyteuticam nolit prò se retinere.

SVMMARIVM.

1 *EMphyteusis renouationem petere potest proximior vltimi possessoris.*

2 *Emphyteusis renouatio per cursum temporis extincta ab illis, quibus competit, peti potest.*

3 *Ecclesia cogi potest ad renouandam inuestituram, etiamsi velit rem emphyteuticam prò se retinere, & maximè si retentione ipsa Ecclesia opus non habet; sed contrà num seq.*

4 *Ecclesia inuestituram proximiori vltimi possessoris renouare non tenetur, si rem emphyteuticam*

ticam ad se ob lineam finitam reuersam velit prò se retinere, & hoc etiamsi ratione melioramentorum renouatio pratendi possit, & quare.

5 *Damnum, quod quis sua culpa patitur sibi imputare debet.*

SINGVLARE LXV.

Finita generatione cuiusdam Emphyteutæ, reuersaque re Emphyteutica ad Ecclesiam, instabat prò renouatione proxi-
1 mior vltimi possessoris, secundum receptam sententiam, de qua testatur *Soccin. cons.* 249. *num.* 16. *& sequentibus, & in l.*
2 *si cognatis ff. de reb. dub. ad Bart. doctrinam communiter receptam in l.* 1. §. *Permittitur*
3 *ff. de aq. quo. & ast.* prætendebatque Ecclesiam cogi debere ad renouandum, maximè quod opus non habebat rem emphyteuticam prò se retinere, ad ea, quæ latè tradit *Caldas de renouat. emphyteut. quæst.* 8. vbi ad partes materiam tractat, & ita sub num. 20. concludit præcipuè ex *Decio cons.* 131. *Beroio cons.* 98. *vol.* 1. *Hieron. Gabr. cons.* 30. *& Nonio cons.* 3.

4 In contrarium tamen decreui, quatenus Ecclesia vellet prò se retinere, per ea, quæ in contrarium passim notant Doctores, ità & taliter, quod hoc amplius non controuertitur, vt est videre in celebri illa *decis. Rauennaten. Emphyteusis 6. Martij* 1637. *coram Dunozzetto, folio volanti impressa*, in qua etsi tractaretur de Ecclesia Rauennatensi, quæ est ex ditioribus Italiæ, tamen controuersum non fuit, immò prò constanti admissum extitit, quod potuisset, si voluisset Castrum, & Marchionatum Theodorani iam ob lineam finitam ad se reuersum prò se retinere, & quidem hoc idem innuere videtur supracitatus *Caldas sub num.* 18. vtque existimo rectè, etiamsi renouatio prætendi posset ratione melioramentorum, quo casu, ad ea quæ notat idem *Caldas*, multò magis æqua videtur opinio, quæ renouationem suadet; Nam ne detur illlud maximum inconueniens, quod scilicet nulla emphyteutica concessio temporalis finiretur, cum semper renouatio peti posset, est dicendum vel me-
5 lioramenta refici debere, vel meritò perdi, si in contrarium pactum sit, cum sibi imputare debeat, qui damnum patitur, si damnum aliquid non faciendo euitare poterat, cum damnum, quod quis sua culpa sentit, ei sit imputandum, *Rota in nouissim. diuers. parte* 1. *decis.* 276. *num.* 2.

ARGVMENTVM.

Exceptio non numeratæ pecuniæ secundum ius canonicum perpetuò opponi potest; Opposita tamen post lapsum temporis præscripti à iure ciuili per opponentem probari debet.

SVMMARIVM.

1 *Exceptionem non numerata pecunia non potest opponere, qui ex interuallo debitum agnoscit.*
2 *Exceptio non numerata pecunia etiam iam soluti repetitionem parit.*
3 *Exceptio non numerata pecunia in contractu mutui intra biennium opponi debet, & in alijs contractibus infra triginta dies.*
4 *Exceptio non numerata pecunia de iure canonico perpetuò opponi potest; sed declara, vt infrà num.* 7.
5 *Ius ciuile in ijs, in quibus iuri canonico contrariatur, Clericos non ligat, & in foro Ecclesiastico seruari non debet.*
6 *Exceptio non numerata pecunia de iure canonico etiam extrà terras Ecclesia perpetuò opponi potest.*
7 *Exceptio non numerata pecunia proposita in tempore à iure ciuili praescripto retardat executionem, si Actor contrarium non probat. Dicto autem tempore elapso, si opponens iure canonico vult iuuari, opus habet illam probare; sed vide num. sequenti* 9.
8 *Correctoria strictè sunt interpretanda.*
9 *Exceptio doli est perpetua.*
10 *Exceptio non numerata pecunia continet exceptionem doli, & ex hoc capite etiam de iure ciuili perpetuò opponi potest; si tamen opponatur elapso tempore à iure ciuili praescripto non retardatur executio, dum pendet terminus ad illam probandam, pròut retardatur de iure canonico.*
11 *Probationes post conclusum in causa amplius non admittuntur.*

SINGVLARE LXVI.

IN calculo ferendæ ſententiæ inſiſtebat Re-
us in propoſita exceptione non numera-
ræ pecuuiæ, & quamuis conaſtret, quod
iam poſtea in parte ſoluiſſet, & ſic, quod
1 debitum re vera recognouiſſet, cum debi-
tum agnoſcens ex interuallo talem exce-
ptionem opponere non poſſit, ad tradita
per *Puteum deciſ.* 418. *lib.* 2. *num.* 2. *&* 4.
adhuc tamen prætendebat moleſtari non
2 poſſe, cum & iam ſolutum ſibi ex exceptio-
ne prædicta repetere liceret, ad tradita per
Areſm. Tepat. var. ſentent. iur. tit. 525. *cap.*
10. *qui repet. pot. vel non, in fine verſ. Ha-
bens, folio* 1053. *col.* 2. quod in alia impreſ-
ſione legitur in *fol.* 263. *lib.* 2. *ſub tit. de
condit. indebiti*.

Neque videbatur obſtare, quod elapſo
biennio exceprio prædicta fuiſſet oppoſita,
& ſic non obſtaret, cum eſto quod tracta-
3 retur de contractu mutui, debuiſſet oppo-
ni dicta exceptio intra biennium, ex quo in
alijs contractibus intrà triginta dies oppo-
ni debeat, *ad tex. in l. in contractibus Cod. de
non num. pec. & tradit. Affl. deciſ.* 105. *n.* 2.
4 Quia id procedit de iure ciuili, ſe-
cus autem de iure canonico, ſecundum
quod perpetuo opponi poteſt, ad ea, quæ
inter alios notat *Roman. conſ.* 44. *num.* 2.
vbi & Mandoſ. in ſuis addit. iuſque cano-
nicum, & non ciuile videbatur ſeruandum,
non obſtante quod cauſa agitaretur extrà
terras Eccleſiæ, cum id eueniret in tribu-
nali Eccleſiaſtico, & Reus ipſe eſſet Eccle-
5 ſiaſticus, & proinde Actor ius ipſius ſubire
deberet, cum ius ciuile in ijs, in quibus iu-
ri canonico contrariatur clericos non li-
get, & ſeruari non debeat in foro Eccleſia-
ſtico, *ad trad. per Carol. de Graſſ. de effect.
6 clericatus, effectu* 2. *num.* 238. Vltrà quod
hoc generaliter procedere debere tam in
terris Eccleſiæ, quam extrà, & in vtroque
foro, tradit *Menoch. conſ.* 47. *num.* 9. cum
æquitas, vt dicit ipſe, & clericum, & lai-
cum tueri debeat.
7 Verùm in tali caſu adhibendam credidi
diſtinctionem de qua meminit *Grat. deciſ.
March.* 164. *num.* 9. videlicet quod propo-
ſita in tempore à iure ciuili præſcripto ſuf-
ficiat ad retardandum, ſi Actor non pro-
bat contrarium; dicto autem tempore ela-
pſo opus habere Reum illam probare, alias
non releuare, & quidem optima eſt diſtin-
ctio, ex quo cum ius canonicum tali caſu
8 ius ciuile corrigat, ſtrictè eſt interpretan-
dum per regulam, quod in correctorijs
ſtricta fieri debet interpratatio, *cap. cum
dilectus, de conſuet. cum ſimilibus*.

Quamuis autem ius ipſum canonicum
in tali materia ex hac diſtinctione ſuperflu-
um videatur, cum & de iure ciuili compe-
tat dictam exceptionem perpetuo propo-
nere, & probare, ſaltem ex capite doli,
9 quod in exceptione non numeratæ pecu-
niæ continetur, & ſemper poteſt deduci,
ad ea, quæ tradit *Grat. vbi ſuprà num.* 6. 7.
10 *&* 8. tamen adhuc ius canonicum opera-
tur, ſi dicatur, quod ex ipſo intentio Acto-
ris, exactio ſcilicet, durante termino Reo
ad probandum aſſignato, retardetur, quod
non fit ex iure ciuili, iuxtà quod vt exactio
differatur ex exceptione prædicta, & onus
probandi contrarium in aduerſarium tran-
sferatur, debeat ipſa exceptio in mutuo
opponi intrà biennium, & in alijs contra-
ctibus intrà triginta dies, ad ea, quæ notat
Grat. vbi ſuprà dicto num. 9.
11 Quia tamen iam concluſum erat in cau-
ſa, & Reus nihil circa hoc probauerat,
probareque non poterat, cum probatio-
nes poſt concluſionem in cauſa amplius
non admittantur, *ad trad. per Maſcard. de
probat. concl.* 17. *num.* 43. reſeruatis ipſi
Reo iuribus talibus, qualibus &c. eundem
in petitis per Actorem condemnaui.

ARGVMENTVM.

BOna poſſeſſa à filio, ſi ab aliquo di-
cantur eſſe bona paterna, contra-
que illa vti talia agatur, talia non præſu-
muntur, ſed talia probari debent.

SVMMARIVM.

1 *PRobandi onus ei, qui dicit, incumbit.*
2 *Principium intrinſecum, ex quo oritur
actio, probari debet per Agentem, etiam par-
te non opponente.*
3 *Bona poſſeſſa à filio eſſe paterna probari debent
ab illo, qui talia eſſe aſſerit.*

4 *Bo-*

4 *Bona esse paterna saltem coniecturis probari debet.*

SINGVLARE LXVII.

INtroducto articulo, an bona per filium possessa præsumi deberent paterna, vt per
1 ipsum filium asserebantur: Videbatur, quod non cum regulariter ei, qui dicit incumbat onus probandi, ad cumulata per
2 *Mascard. de probat. concl.* 78. *num.* 1. & maximè si sit principium intrinsecum, ex quo oritur actio, prout erat in casu, de quo tractabatur, cum tali casu etiam parte non opponente probandum esset, *ad trad. per Grat. decis. March.* 89. *num.* 14.
3 Tenui ergo, quod probanda essent talia non obstantibus deductis per *Surdum in decis.* 15. *num.* 10. Nam idem *Surdus cons.* 505. *num.* 6. præcipuè *ex Rolando à Valle cons.* 90. *num.* 9. *vol.* 2. tradit contrarium, & dicit, quod Senatus Mantuanus coniecturis non accedentibus sæpè in contrarium iudicauit, probandum enim est saltem
4 coniecturis bona esse paterna, vt firmat *Fusar. de fideicom. quæst.* 618. *num.* 13. & indubitanter; vt asserit *Peregrin. pariter de fideicom. art.* 44. *num.* 21. indubitanterque ita iudicaui & ego, cum non esse paterna, & aliquibus coniecturis suaderetur.

ARGVMENTVM.

POssessorio summarijssimo expressè intentato cum clausula super quibus ius, & iustitia ministrari, &c. dicitur intentatum & possessorium plenarium, si aliquid fuerit narratum, quod ad ipsum plenarium spectet, & ex quo & ipsum plenarium intentari potuisset.

SVMMARIVM.

1 *MAnutentio ad possessorium summarijssimum spectat.*
2 *Instrumentum producens ne dum narrat, sed etiam fatetur contenta in illo.*
3 *Clausula super quibus ius, & iustitia ministrari, &c. facit, quod si ex narratione facti colligitur, quod poterat intentari alia actio, quam illa, quæ expressè fuit deducta, intelligitur intentata & actio omissa, etiam quod fuerit facta particularis prosecutio actionis expressa.*
4 *Clausula peto ius, & iustitiam ministrari omni meliori modo, comprehendit omnia narrata etiamsi non petita, ac facit, quod Iudex possit suum officium impartiri, etiamsi non fuerit petitum, ita vt Actor obtinere possit ex causa probata, quamuis non deducta.*
5 *Clausula peto ius, & iustitiam ministrari omni meliori modo habet vim herba bettonicæ, quæ est ad omnia valens.*
6 *Clausula ius, & iustitiam ministrari quoad contraria operari non valet; sed contrà.*
7 *Possessorium summarijssimum potest stare cum possessorio plenario, quamuis possessorium non possit stare cum petitorio.*
8 *Cumulatio semper admittitur, si ad faciliorem exitum causæ tendat.*
9 *Variatio est licita, si libellus non est restrictus.*

SINGVLARE LXVIII.

CApta possessione quorundam prædiorum cum expressa declaratione, quod ipsa possessio capiebatur iure dominij spectantis ad ipsum capientem, confectoque desuper præmissis publico instrumento, ac ipso tandem in iudicio producto, fuerat expressè institum contrà turbantes eandem possessionem in ipsa manuteneri, & instantia fuerat conclusa cum clausula super quibus ius, & iustitia, &c. & proinde contigit dubitari, an solum possessorium summarijssimum, vel etiam possessorium
1 plenarium intentatum esset, cum manutentio ad summarijssimum ita spectet, quod tale iudicium non immeritò mandati de manutenendo intituletur, & prout de illo intitulauit nouiter *Postius* de tali materia tractatum suum.
Tenui tamen, & iudicaui in casu proposito, & possessorium plenarium intentatum fuisse ex productione prædicti instrumenti, in quo cum de proprietate, & dominio etiam actum esset, vtique de ipsa proprietate, & dominio agi voluisse colli-
2 gebatur & in tali iudicio, ex quo cum producens instrumentum nedum narret, sed etiam fateatur contenta in illo, vt pluries
3 dixit *Rota*, & præcipuè *in Recens. parte* 1. *decis.* 555. *num.* 9. intrabat doctrina *Curtij Iunioris in cons.* 284. *num.* 16. *& seq. lib.* 3.

quod scilicet si ex narrationem facti colligitur, quod poterat intentari alia actio, quam illa, quæ expressè fuit deducta, si subijciatur clausula prædicta super quibus &c. pròut factum fuerat, intelligitur intentata & illa actio omissa, quod adeò est verum, vt communiter approbatum, & à practicantibus celebratum tradat idem *Curt. vbi suprà*, & idem firment *Contard. de moment. possess. quæst.* 13. *num.* 49. *& Pract. Papien. in for. libelli actione reali, clauß. Saluo iure adden. in addit. sub littera* E. Et quidem meritò, si consideretur, quod prædi-
4 cta clausula peto ius, & iustitiam ministrari omni meliori modo, comprehendit omnia narrata etsi non petita, ac facit, quod Iudex possit suum officium impartiri etiam si non fuerit petitum, ita vt actor obtinere possit ex causa probata, quamuis non deducta, vt latè congerit *Aresmin. Tep. in suo compend. var. sent. iur. tit.* 125. *claus. Peto iustitiam ministrari omni meliori modo, &c.*
5 vbi inter alia habetur etiam, quod clausula prædicta habet vim herbæ bettonicæ, quæ est ad omnia valens.

6 Nec mihi visum fuit obstare, quod possessorium plenarium videatur contrarium possessorio summarijssimo, & sic quod clausula prædicta quoad contraria operari non valeat, ad ea, quæ post alios scripsit *Aug. Barbos. tract. de clausul. clauß.* 35. *nu.* 9.

Quia vltrà quod contrariantur ea, quæ collegit *Aresm. Tep. vbi suprà*, & per quæ habetur quod Actor tali casu potest obtinere super id, super quod iustitiam habet, non obstante, quod dici posset, quod contraria petijsset, Non est verum, quod in effectu in casu proposito contraria petita es-
7 sent, si animaduertatur, quod possessorium plenarium potest stare cum possessorio summarijssimo, ex quo in isto asseritur possessio, & in illo iusta possessio, quod non sit respectu possessorij, & petitorij, cum in petitorio semper supponatur aduersarium possidere, quod negatur in possessorio.

Cum itaque cumulatio possessorij plenarij cum summarijssimo re vera nec con-
8 traria esset, sed ad faciliorem exitum causę tenderet, ipsam cumulationem non obstare credidi, per ea, quæ tradit *Rota decis.* 256. *num.* 4. *parte* 1. *diuers.* quam sequitur *Grat. discept. foren. cap.* 681. *num.* 23. *vol.* 4. & cum vlterius in processu causæ etiam expressè institum, & probatum fuisset circà possessorium plenarium, variari in om-
9 nem casum licuisse credidi, ex quo libellus ex supradictis restrictus non fuerat, & sic variari poterat non obstante, quod iam in actione deducta prosecutum esset, vt dixit *Rota etiam de mente Curtij Iun. in dicta decis.* 256. *num.* 6.

ARGVMENTVM.

CArceratus prò criminali si sit relaxatus cum fideiussione de habendo Ciuitatem prò carcere, potest prò debito ciuili capi, & recommendari.

SVMMARIVM.

1 *Carceratus prò criminali non potest recommendari prò ciuili.*
2 *Carceratus dicitur, qui sub fideiussore retinetur.*
3 *Carceratus prò criminali, quarè prò ciuili recommendari non potest.*
4 *Carceratus prò debito publico, si relaxetur sub fideiussione de se consignando, potest recommendari prò alio debito; secus autem si sit sub fideiussione de stando in loco.*
5 *Restitutio in integrum competit ei, qui detinetur sub fideiussione, & non potest recedere, vt rebus suis consulat.*

SINGVLARE LXIX.

CVm quidam carceratus prò criminali fuisset relaxatus cum fideiussione de habendo Ciuitatem prò carcere, fuit iterum prò debito ciuili captus, & sic contigit dubitari, an benè, vel malè, ex quo
1 carceratus prò criminali non potest recommendari prò ciuili secundum communem opinionem, de qua testatur *Ricc. decis. Archiep. Neapol. parte* 2. *decis.* 52. *num.*
2 2. Et qui sub fideiussione relaxatur adhuc carceratus dicitur *Ricc. vbi suprà decis.* 225. *num.* 2. præcipuè ex *decis.* 563. *Guid. Pap.*

Multa hinc inde deducebantur, ego tamen ratiocinando dicebam, quod non ob

aliud

3 aliud videbatur, quod carceratus prò criminali non posset prò ciuili reccommendari, nisi quia captura prò criminali nullo iuris ordine exequitur, etiam scilicet die feriata, item de nocte, item in domo propria, & aliquando ex qualitate criminum etiam in Ecclesia, quod vtique fieri non potest prò ciuili. Si enim taliter prò criminali captus prò ciuili recommendaretur, posset dari casus, quod priuilegijs sibi prò ciuili competentibus spoliaretur.

Cum itaque relaxatus, vt supra, priuilegijs prædictis vtique posset vti, ex quo in Ciuitate sub fideiussione detentus poterat solum incedere diebus feriatis, item de nocte, item stare in domo propria, ac tandem in Ecclesiam se recipere, absque eo quod ex hoc pœnam fideiussionis incurreret, cum omnia intrà Ciuitatem, & sic intrà limites fideiussionis exequi valerent, mihi videbatur, quod sibi imputare deberet, si se capi permiserat, quod vtique non militasset, si non in Ciuitate, sed in cubiculo, vel in domo sub fideiussione detentus fuisset.

Quia tamen auctoritates circà hoc mihi in promptu non erant malui potius ipsum carceratum cum fideiussione de se præsentando dimittere, quam iudicio meo nimis fidere; vt sic postea liceret articulum melius discutere.

Verùm negligentibus postea partibus, ad vlteriora procedere, vt curiositati adhuc indulgerem, ex eo, quod creditorem exanimabat, mihi visum fuit potius posse colligi, quod sibi optimum ius foueretur. Quamuis enim *Carpan. ad statut. Mediolani, cap. 242. Rubr. Quod detenti prò debito publico non possint contestari, litera C. in verbo Detineantur*, resoluat hanc quæstio-
4 nem cum distinctione dicendo, quod recommendatio habet locum si carceratus prò debito publico est sub fideiussione de se consignando, secus autem, si de stando in loco, prout verificari videbatur in casu proposito; tamen eius doctrina in meam ratiocinationem coincidit, quia cum detentus sub fideiussione de se consignando possit priuilegijs debitorum vti, continendo scilicet se domi, vel in Ecclesia, vel solum de nocte, aut in diebus feriatis incedendo, iure merito potest recommendari, secus autem est, si fideiussio sit de stando in loco, quia cum ab ipso loco non possit recedere, & in loco tuto se recipere; vtique si in illo caperetur, contrà priuilegia debitorum caperetur, & recommendaretur, & proinde capi, & recommendari non potest.

Nec facere mihi visum fuit, quod & detentus sub fideiussione in Ciuitate sit sub fideiussione de stando in loco, & sic quod ex traditis per *Carpan. vbi suprà* recommendari non valeat, quia locus debet esse talis, à quo non possit detentus recedere, vt sibi subuenire queat, & sic locus restrictus, qui Ecclesiam, domum propriam, & alia priuilegia suprà expressa excludat, vt colligitur clarè ex *tex. l. Nec non* §. 1. *ff. ex quibus caus. maior 25. an. rest. per ipsum-*
5 *met Carpan.* ad prædicta *citato*, & in quo dicitur, quod detentus sub satisdatione ex qua non potest recedere, vt rebus suis consulat, si captus, idest læsus est, in integrum restituitur.

ARGVMENTVM.

NVllitas per modum exceptionis, vel vnà cum negotio principali deducta, incidenter proposita censetur, & circà eam, tanquam de incidenti, & notorio, ac absque iudicij solemnitate cognosci potest.

SVMMARIVM.

1 *NVllitas incidenter proposita nullam telam, vel ordinem iudiciarium requirit, & de ea, tanquam de incidenti, & notorio, absque iudicij solemnitate cognosci valet.*

2 *Nullitas principaliter, & non incidenter deducta omnem iuris ordinem, & telam iudiciariam requirit.*

3 *Nullitas per viam exceptionis deducta, incidenter deducta dicitur.*

4 *Nullitas incidens dicitur, quæ ex eisdem actis resultat.*

5 *Excipere dicitur etsi petat, qui in iudicio est prouocatus.*

6 *Nullitas principaliter intentata dicitur, quando quis in iudicio non prouocatus illā proponit*

7 *Nulli-*

7 *Nullitas principaliter intentata dicitur, quando illa absque vlla instantia circà negotium principale proponitur.*
8 *Nullitas deducta vnà cum negotio principali, incidenter deducta dicitur.*
9 *Successiuè verbum ordinem demonstrat.*
10 *Incidentia ex ordine secundariò denotatur.*
11 *Incidenter, & secundariò sunt synonyma.*

SINGVLARE LXX.

1 CVm circa nullitatem incidenter propositam nulla tela, vel iuris ordo requiratur, sed de ea tanquam de incidenti, & notorio absque iudicij solemnitate cognosci valeat, vt passim tradunt *Doctores*, & firmat *Vant. de nullit. Rub. Quot, & quibus mod. num.* 27. Dubitabatur, an principaliter, vel incidenter dici deberet proposita quædam nullitas, quæ fuerat deducta à quodam, qui citatus ad videndum mandari fieri tale quid, opponendo dixerat mandari debere non esse locum petitis, & successiuè protestatus fuerat de nullitate, circà
2 quam pariter pronunciari institerat. Videbatur enim quod æquè principaliter nullitas deducta fuisset, & quod proinde & super nullitatem omnis iuris ordo, & tela iudiciaria seruanda esset, ad ea, quæ inter alios præmittit *Vant. vbi suprà num.* 24. *& seq.*
3 Verùm, quia per viam exceptionis talis nullitas deducta videbatur, vtique incidenter deducta erat censenda ad eundem met
4 *Vant. loco citato num.* 20. & maximè cum prætenderetur, quod ex eisdem actis resultaret, *Afflict. decis.* 283. *num.* 2. & idem met *Vant. seq. num.* 21.

Nec videbatur obstare, quod qui petebat pronunciari super nullitate ageret, &
5 non exciperet, quia cùm iam prouocatus in iudicio peteret, vtique partes Rei sustinebat & sic excipiebat ad *Bartoli doctrinam in l. non cogendum* §. *Si procurator ff. de procur. num.* 1.

Minus, quod ex tali doctrina *Bart.* sequeretur, quod nunquam nullitas principaliter deduci posset, cum semper aliquid præcedere debeat, ad hoc, vt de nullitate
6 dici valeat, quia principaliter nullitas deduci posset, quando aliquis non prouocatus, sed ex se impugnaret actum nullum ipso non citato factum, vel si citato, solum
7 de nullitate diceret, & super negotio principali pronunciari non instaret, quod cæteris omissis est modus clarus ad dignoscendum, quod nullitas incidenter fuerit
8 proposita, cum quando super negotio principali pronunciari instatur, & etiam super nullitate hæc incidenter deducta di-
9 catur, ad *Vant. vbi suprà num.* 17. & maximè stante verbo successiuè, quo ordo demonstratur, *Rota in recens. par.* 2. *decis.* 453.
10 *num. primo*, & ordo secundarius inciden-
11 tiam denotat, ad *Vant. dicto num.* 17. vbi ponit vti synonyma hæc duo verba, incidenter, & secundariò, & sic prò nullitate incidenti pronunciaui, denegando quandam copiam, quæ ordinem, & solemnitatem iudicij respiciebat.

ARGVMENTVM.

RENunciatio ex transactione non inducitur, si de ea in ipsa expressè actum non fuerit.

SVMMARIVM.

1 *REnunciatio præsumi non debet.*
2 *Renunciatio claris probationibus probari debet.*
3 *Renunciatio ne inducatur, qualibet interpretatio fieri debet.*
4 *Renunciatio est stricti iuris.*
5 *Renunciatio expressè fieri debet.*
6 *Transactio de sui natura continet pactum de non petendo, & non molestando.*
7 *Actus vltrà intentionem agentium operari non debet.*
8 *Extensio in materia stricta non fit.*
9 *Transactionis in materia extensio fieri non debet.*
10 *Remissionis materia est strictissima.*
11 *Iuramentum habet vim specifica renunciationis.*
12 *Renunciatio non trahitur ad ea, quæ aliquo modo expressa, & significata non sunt.*
13 *Iuramentum non supplet consensum.*
14 *Iuramentum non extenditur ad ea, in quibus consensus deficit.*
15 *Transactionis natura vt saluetur sufficit, vt aliquid hinc inde remittatur.*

16 Tran-

16 *Transactio dicitur, etiamsi aliquid minimum hinc inde remissum fuerit.*

SINGVLARE LXXI.

INtroducta lite inter quosdam consocios, cum ad transactionem deuenissent, in qua Actor liti cessit, & Reus è contrà quandam pecuniarum summam soluit, Reus ipse postea ex alio capite, occasione tamen eiusdem societatis, contra prædictum Actorem litem mouit, & sic introducto articulo, an transactio obstaret, tenui quod non, quia in ipsa transactione, nec verbum de renunciatione iurium ipsius Rei factum
1 fuerat. Renunciatio enim præsumi non debet, *Rota in recens. parte 1. decis. 636.*
2 *num. 6.* immò claris probationibus est pro-
3 banda, *Seraphin. decis. 252. num. 3.* & quælibet interpretatio potius fieri debet, quam propriorum iurium renunciatio inducatur, *Rota in recens. dicta decis. 636. & dicto nu. 6.*
4 *Seraph. decis. 696. nu. 1. cum similibus*, & ratio omnium est, quia cum renunciatio sit stricti iuris, ad tradita per *Rotam coram Ca-*
5 *putaquen. decis. 308. num. 4. parte 3.* expressè fieri debet, vt notat pariter *Rota in recens. parte 1. decis. 115. num. 9.*
6 Nec obstare credidi, quod ipsa transactio contineret de sui natura pactum de non petendo, & non molestando, *ad Bal. in l. cum proponas* la seconda, *num. 5. Cod. de pactis*, *& ad Rotam coram Ludouis. decis. 286. num.* 8. quia est dicendum id procedere quoad ea, quæ in transactione fue-
7 runt deducta, ne alias actus vltrà agentium intentionem operetur, contrà regulam *l. non omnis ff. si cert. pet. cum similibus.* Quamuis enim Actor liti renunciasset, non per hoc poterat dici, quod idem fe-
8 cisset & Reus, cum extensio in materia stricta non fiat, *c. ap. super eo cum concord. & ibi Glos. in verbo Intentionis, de Off. de-*
9 *leg.* & in specie in materia renunciatio-
10 num, *Seraph. decis. 638. num. 2.* est enim remissionis materia non solum stricta, sed strictissima, ad *Ludouis. decis. 311. num. 9.*

Minus facere tenui iuramentum in in-
11 strumento transactionis appositum, quia quamuis dicatur habere vim specificæ renunciationis, ad *Rotam in recens. parte 1. decis. 665. num. 9.* intelligi tamen debet in casu, in quo præcesserit generalis renuncia-
12 tio, nam renunciatio non trahitur, ad ea, quæ expressa, & significata aliquo modo non sunt, *Rota vbi suprà decis. 471. num. 5.*
13 cum iuramentum non suppleat consen-
14 sum; *Seraph. decis. 969. num. 2.* & non extendatur ad ea, in quibus consensus ipse deficit, *Mantica de tac. & ambig. conuent. parte 2. lib. 26. tit. 2. pag. 697. num. 33.*

Nec tandem mihi visum fuit obstare, quod sic transactio prædicta respectu Actoris nullius videretur momenti, quia non poterat negari, quod aliquid operata non esset etiam ad fauorem ipsius, cum etsi litium renunciationem reportatus non esset, pròut ipse eisdem renunciauerat,
15 tamen pecuniam habuerat, sufficit enim ad saluandam transactionis naturam, vt aliquid hinc inde remittatur, *l. transactio nullo dato, Cod. de transact. Rota in recens. par-*
16 *te 2. decis. 447. num. 2.* & etiamsi esset quid minimum, *Rota in nouiss. parte 1. decis. 727. num. 3.*

ARGVMENTVM.

REscriptum gratiæ in dubio non præsumitur.

SVMMARIVM.

1 *CEssionis bonorum miserabile beneficium ex obligatione camerali impeditur.*
2 *Obligationis cameralis exceptio non nisi per gratiam specialem signaturæ tolli potest.*
3 *Specialiter interpretatur expressim.*
4 *Rescriptum iustitiæ in dubio verius, & facilius præsumitur, quam rescriptum gratiæ.*
5 *Rescriptum gratiæ est odiosum, magis præiudicale, & obligationem minuit.*

SINGVLARE LXXII.

PRoducto coram me rescripto, quo mandabatur producentem ad miserabile beneficium cessionis bonorum admitti, cum clausula tamen, attentis narratis &c. & quibus ipse producens expresserat se tali beneficio dignum, cum re vera deprehenderetur ex pluribus indignus; contigit dubitare an tale rescriptum censendum esset iustitiæ, vel potius gratiæ, & quidem gratiosum illud asserebat producens, cum alias

lias frustratorium videretur, ex quo prò iustitia tali rescripto opus non habebat, cum & coram me vti iudice Ordinario tale beneficium pròut iuris petere potuisset.

Quia tamen inter alia opponebatur ex-
1 ceptio obligationis cameralis, quæ tale beneficium impedit, ad ea quę notat *Zacch.*
2 *de oblig. cam. quæst.* 19. *num.* 1. & talis exceptio tolli non potest nisi per specialem gratiam signaturæ; ad ea, quæ subdit idem *Zacch. num.* 24. Decreui non esse ad tale beneficium admittendum. Esto enim, quod Superior, qui rescripserat, potuisset talem exceptionem, & alias, quæ opponeban-
3 tur, tollere, id expresè facere debuisset, cum specialiter interpretetur expressim, *l. si quis in princ. de leg.* 3. *l. fin. Cod. de neg. gest. l. Omnes, Cod. de præscript.* 30. *ann.*
4 *cum similibus*, & maximè cum in dubio verius, & facilius præsumatur concessum rescriptum iustitiæ, quam gratiæ, *Gomes. in rubr. de rescript. in* 6. *num.* 16. *& suprà reg.*
5 *cancel. de annali possess. quæst.* 10. *in fine.* Rescriptum enim gratiæ est odiosum, magis præiudiciale, & obligationem minuit, vt notat *Menoch. de arbitr. cas.* 201. *num.* 6. 7. *&* 8.

Nec mihi visum fuit obstare, quod alias tale rescriptum superfluum remaneret, quia maius vtique inconueniens erat, si ius alteri quæsitum ex ipso ablatum fuisset, absque eo quod de expressa mente rescribentis constasset, & maximè quando potius contrarium suadebatur ex prædicta clausula attentis &c. vltrà quod nec superfluum dici poterat respectu Superioris, cum potuisset credere, quod impetrans se adijsset, vt promptius ab Ordinario Iudice iustitiam consequi posset.

ARGVMENTVM.

GAbella soluenda de contractu olei intelligi debet de quocumque oleo saltem ad ratam valoris, & maximè adminiculis concurrentibus.

SVMMARIVM.

1 *GEnus quascunque species continere debet etiamsi in vna vigeat maior ratio, quam in alia.*
2 *Genus species ita continere debet ac si omnes specialiter fuissent enumeratæ.*
3 *Vel, ponitur inter diuersa.*
4 *Vel, stat ampliatiuè ad præcedentia, & addit casum diuersum, diuersamque dispositionem.*
5 *Superflua verba esse non debent.*
6 *Species non restringit genus, & maximè quando species non exprimitur per viam dispositionis sed per viam declarationis.*
7 *Demonstratiuè potius, quam limitatiuè verba censeri debent apposita.*
8 *Denominatio fieri debet ab eo, quod principaliter venit.*
9 *Gabellæ in fauorem si dubia interpretanda esse statuto caueatur, tale statutum valet, & obseruari debet.*

SINGVLARE LXXIII.

MAndante statuto, quod prò contractibus olei solueretur gabella, fuit coram me dubitatum, an tale statutum comprehenderet etiam oleum sementis lini, cum videretur quod non, ex eo quod gabella est odiosa, & sic strictè interpretanda, vt communiter tenuerunt *Doctores*, ad ea, quæ tradit *Gutierrez de gabel. quæst.* 6. *num.* 5. Et maximè cum quæstio esset, an gabella esset soluenda nec ne, quo casu videtur certum, quod gabella sit odiosa, ad ea quæ subdit *Gutierrez, vbi suprà*, quo loco distinguit, & firmat, quod fauorabilis tunc solum dicitur, quando constat quidem de gabellæ debito, & solum tractatur de solutione, vel detectione fraudis, & doli.

1 Tenui tamen, & decreui in contrarium: tum quia nomen, oleum, est genericum, cum prædicetur de pluribus differentibus specie, olei scilicet oliuarum, sementis lini, nucum, & similium, *Glos. in* §. *Constat, &* §. *Plebiscitum, Inst. de iure nat. gent. & ciuil.* & ideo quascumque olei species continere debet, etiamsi in vna vigeat maior ratio, quam in alia, *l.* 1. §. *Quod autem ff. de aleat. Rota in recens. parte* 1. *decis.* 352.
2 *num.* 6. *& parte* 2. *decis.* 357. *num.* 5. & ita & taliter, ac si essent omnia specialiter enumerata, *Oldrad. cons.* 322. *num.* 2. tum quia id colligebatur etiam ex verbis sequentibus eiusdem statuti, dum occasione olei

olei nominando possessiones, vel oliueta, videbatur non se restrinxisse tantum ad oliuas, sed nomine possessionis voluisse comprehendere & nuces, & sementem lini, ac
3 alia, ex quibus fit oleum, & maximè attenta illa particula, *vel*, quæ ponitur inter diuersa, vt in *Rubr. de consecr. Eccles. vel Alt. ac alibi Dec. cons.* 227. *num.* 4. & *Cra-*
4 *net. cons. vlt. num.* 2. stat enim ampliatiuè ad præcedentia, addendo casum diuersum, diuersamque dispositionem, *Rota Bonon. inter decis. selectas ad interpret. stat. decis.*
5 66. *num.* 49. alias dictum verbum, *possessiones*, fuisset superfluum contrà *l. si quando de leg.* 1. & *cap. si Papa de priuileg. in* 6. & hoc non obstante, quod in alio loco eiusdem statuti nominarentur tantum oli-
6 uæ, quia species non restringit genus, vt dixit *Rota coram Ludouis. decis.* 257. *num.* 9. maximè quando species exprimitur, prout ibi exprimebatur, non per viam dispositionis, sed per viam declarationis, vt habetur in *decis. prædicta num.* 8. dato enim
7 etiam quod de modo expressionis posset dubitari, tamen adhuc verba censeri debent potius demonstratiua, quam limitatiua, ad *Rotam in recens. parte* 2. *decis.* 186. *num.* 3. & 357. *num.* 4. & non mirum debebat videri, quod demonstratiuè oliuæ nominatæ fuissent, quia cum hæ primum locum teneant inter fructus, ex quibus fit
8 oleum, denominatio facienda erat ab eo, quod principaliter venit, ad tradita per *Surd. cons.* 523. *num.* 33. *lib.* 4.

Quod autem omnem difficultatem tollere videbatur, erat, quod ex eadem statu-
9 ti dispositione dubia tam iuris, quam facti interpretari debebant in fauorem gabellæ; & talis dispositio valet, & obseruari debet, *l. omnes populi ff. de iust. & iure*, & dixit in terminis *Ferret. de gabel. & publ. pag.* 203. *num.* 354. & vlterius ex eadem dispositione in casibus omissis de similibus ad similia procedi debebat, & sic cum tractaretur de contractu olei seminis lini, quod valebat paulò minus, quam oleum oliuarum, non remanebat dubium, quod saltem ad ratam valoris, & de ipso gabella solui deberet, & prout illam solui mandaui.

ARGVMENTVM.

Statutum vsu receptum obseruari debet, nec eidem refragatur non vsus, vel contrarius vsus respectu solutionis ex ipso debitæ, si contrà ipsum non extat aliquis titulus, vel non probatur scientia, & patientia statuentium, vel ipsos repræsentantium.

SVMMARIVM.

1 *Statutum vsu receptum præsumitur, & maximè si sit publicatum, & in volumine statutorum insertum.*
2 *Statutum, vel lex tolli non potest nec per non vsum mille annorum.*
3 *Lex, & statutum per contrarium vsum non tollitur absque scientia, & consensu Principis.*
4 *Statutum, quod contrà se aliquem titulum non habet, tolli non potest absque eo, quod probetur scientia, & patientia contrarij vsus.*
5 *Negatiuus actus quasi possessionis non soluendi, vt inducatur, requirit denegationem solutionis, & taciturnitatem per decennium.*
6 *Possessio, vt priuatiuè acquisita dicatur, requiritur prohibitio, & acquiescentia prohibitioni, & dubitatur an sufficiat vnus actus.*
7 *Possessio in incorporalibus per possessionem ciuilem retinetur.*
8 *Possessio, seu quasi possessio non soluendi contra prohibitionem statuti improba, & immanutenibilis dicitur.*

SINGVLARE LXXIV.

1 Quoddam statutum vsu receptum, & obseruandum dixi ex regula generali, qua statuta vsu recepta præsumuntur, *Seraph. decis.* 153. *num.* 2. & maximè quia fuerat publicatum, *Rota in nouiss. parte* 1. *decis.* 97. *num.* 2. & quia in volumine statutorum erat insertum, *Rota in recens. parte* 2. *decis.* 15. *num.* 4. & *decis.* 398. *num.* 2. & absque dubio, ex quo constabat de pluribus actibus vsum prædictum concernentibus.

Nec mihi visum fuit obstare non vsus, & contrarius vsus qui ex aduerso allegabatur, quia dato prò constanti, quod iam

2 statutum vsu fuisset receptum, nec per non vsum mille annorum tolli poterat, ad *Iason. in l. de quibus num. 33. ff. de leg.* vbi te-
3 statur de communi. Lex enim, vel statutum taliter non potest tolli, immò nec per contrarium vsum absque scientia, & consensu Principis, ad *Rotam in recens. parte 1.*
4 *decis. 213. num. 2.* Cum enim tractaretur de quadam solutione ærario publico facienda, & nullus adesset titulus contrà idem statutum, scientia, & patientia contrarij vsus probari debebat, ad ea, quæ habentur in *dicta decis. 213.* quicquid esset si aliquis titulus contrà fuisset vt tradit *Rota coram Ludouis. decis. 249. num. 7. & 282.*
5 *num. 2.* In actu enim negatiuo quasi possessionis, scilicet non soluendi, requiritur denegatio solutionis, & taciturnitas per decennium, *Rota in recens. parte 1. decis. 454.*
6 *num. 3.* immò vt possessio priuatiuè acquisita dicatur, requiritur prohibitio, & acquiescentia prohibitioni, *Rota in recens. parte 2. decis. 299. num. 1.* & dubitatur, an sufficiat vnus actus, *Afflict. decis. 67. num. 1.*
7 alias possessio non releuat, quia in incorporabilibus possessio per ciuilem possessionem retinetur, *Rota in nouis. decis. 99. parte 1. num. 1.*
8 De allegata itaque quasi possessione non soluendi contrà prohibitionem statuti improba, & non manutenibili, ad *Rotam vbi suprà parte 2. decis. 41. num. 1.* non curaui, & ad vlteriora quoad prætensam solutionem procedi mandaui.

ARGVMENTVM.

TEstis vnicus contrà inducentem est omni exceptione maior; non probat tamen plus, quam probare potest vnus, & nihil probat, si deponat super interrogatorijs partis aduersæ, quæ sint impertinentia, & contineant capitula diuersa à capitulatis per inducentem.

SVMMARIVM.

1 *INductus testis contrà inducentem plenè probat, idest sit contrà ipsum omni exceptione maior, cum exceptiones ab inducente videantur eidem remissæ; non autem probat plus, quam probare possit vnicus.*
2 *Testi contrà inducentem deponenti plus non debet tribui, quam si ex aduerso esset inductus.*
3 *Iuramentum in supplementum requirit saltem semiplenam probationem.*
4 *Inductus testis deponens super interrogatorijs partis aduersæ nihil probat, si interrogatoria sint impertinentia, & ad causam non faciant, eo quia contineant capitula diuersa à capitulis per inducentem factis, & quarè.*
5 *Compensatio de liquido ad illiquidum fieri non potest.*
6 *Compensatio de specie ad quantitatem admitti non debet.*

SINGVLARE LXXV.

AGente Actore ex mutuo, cum plenè suam intentionem probasset, opponebat compensationem Reus, illamque fundabat in dicto vnius testis per Actorem inducti, & qui in interrogatorijs datis prò parte Rei circa ipsam compensationem testificatus fuerat. Dicebat enim ex regula vulgata, quod testis inductus contrà inducentem plenè probat, & in omnem casum, quod per iuramentum in supplementum plenæ probationis suppleri poterat.

Contrà ipsum tamen Reum pronunciaui, eumque ad restitutionem debiti ex mutuo condemnaui, quia regula prædicta est
1 intelligenda, quod testis inductus plenè probet, idest quod sit omni exceptione maior, cum ipsi exceptiones videantur remissæ, ex eo quod approbatus à producente censetur, *Farin. de oppos. contrà pers. test.*
2 *quæst. 62. num. 213.* non autem, quod probet per duos, vel tres testes, quia semper est vnicus, & ex sententia Rotæ plus don debet tribui vni testi contrà inducentem deponenti, quam si ex aduerso esset inductus, *Seraph. decis. 1249. num. 4.*

Nec locum esse iuramento in supplementum credidi, quia dictus testis ne dum semiplenam probationem non faciebat,
3 quæ saltem requiritur, vt iuramento prædicto sit locus, ad tradita per *Mascard. de probat. vol. 2. Concl. 955. & signanter sub.*
4 *num. 3.* sed nihil probabat, cum depositio ipsius esset facta super interrogatorijs ipsius

us Rei, quæ erant impertinentia,& ad causam non faciebant, cum continerent nouum capitulum,compensationem scilicet, quæ nihil facere habebat cum mutuo, *Farin. de oppos. contrà dicta test. quæst.* 73. *nu.* 48. *&* 72. Quamuis enim interrogatoria directa fuissent ad probandam solutionem mutui, adhuc nouum capitulum continebant, ad tradita per *Farin. dicto num.* 72. Reus enim debet principaliter suam intentionem probare, & sic dare capitula, & citare Actorem ad dandum interrogatoria, prout facit Actorin probanda, & fundanda sua intentione, ne alias esset melior eius conditio, & indirectè consequretur, quod directè consequi forsan non posset, faciendo scilicet examinare testes circa suam exceptionem sine interogatorijs Actoris, vt in terminis tenuit *Rota coram Aldobrand. postea Clemente Octauo in vna Tullen. Matrimonij* 8. *Febr.* 1574. *impressa in supracit. quæst.* 73. *Farin. sub dicto nu.* 48.

5 Compensationem itaque reieci, cum saltem de liquido ad illiquidum non fiat compensatio, vt tradit *Maran. in suo speculo parte* 4. *rubr. an sit iud. conu. vel reco. dist.* 6 6. *num.* 2. & etiam quia in omnem casum fuisset compensatio de specie ad quantitatem, quæ pariter admitti non debet, vt notat *idem Maran. vbi suprà.*

ARGVMENTVM.

PErsona non ius ante litis contestationem legitimari debet.

SVMMARIVM.

1 *EXceptio, quæ, negotium principale tangit, litis contestationem non impedit.*

2 *Contestationem litis probatio negotij principalis præcedere non debet.*

3 *Probare circa negotium principale ante litis contestationem, esset ridiculum.*

4 *Scriptura, quæ est fundamentum intentionis, & statim exhiberi potest, statim exhiberi debet, & quarè.*

SINGVLARE LXXVI.

NVllum dicenti processum, ex quo Actor non iustificauerat se esse talem, qualem se fecerat ante litis contestationem, non detuli, quia etsi Actor ipse nomine hæreditario egisset, tamen vtilem actionem sibi competentem intentauerat, & non nomine defuncti egerat, qui enim nomine alieno agit, non deducit in iudicio de suo nisi personam, quæ absque dubio in primis, & ante omnia legitimari debet. Qui autem vtilem actionem sibi competentem intentat vltra personam etiam ius proponit, & sic litem contestari potest, cum alias esset velle litem dirimere prius quam ipsa contestaretur, contra id, quod expresè legi-
1 tur in *cap.* 1. *de lit. contest. in* 6. scilicet quod per exceptionem, quæ tangit negotium principale litis contestatio non impeditur,
2 non enim admittitur probatio super negotio principali ante litis contestationem, toto *tit. Vt lite non contestata, & cap. exhibi-*
3 *ta de Iud.* esset enim ridiculum aliter dicere, vt notat *Surd. ex specul. in cons.* 22. *num.* 19. vbi latè omnia supradicta discutit, & ita concludit, casu quo (vt dicit ipse) ius cessionis deducens de instrumento cessionis mentionem non faciat, & pròut de testamento mentionem non fecerat, qui ius prædictum hæreditarium deduxerat, & sequitur *Chart. decis.* 63. *num.* 16. vbi plures etiam de magis communi attestantes citat, inter quos diffusè materiam tractat *Io. de Amicis toto cons.* 24. vbi concludit iuxtà *textum prædicti cap.* 1. *de litis contest. in* 6. Si enim mentionem de testamento fecisset, & ante litis contestationem illud non exhibuisset, vltra ea quæ notat ipse *Surdus*, prò nullitate, & ego tenuissem, saltem vt ipsum
4 in expensis condemnassem, cum quæ de facili possunt liquere, omnis ratio suadeat, quod statim exhibeantur, vt pars aduersa possit cedere, & ex dubio non cogatur litigare.

ARGVMENTVM.

MAndatum procuræ productum lite pendente inducit ratificationem gestorum, etiamsi sit factum de recenti, dummodò sit factum in personam procuratoris, qui acta gesit, sit speciale ad illam causam, & constet de spe-

ciali scientia gestorum in mandante, vel contineat expressam ratificationem gestorum.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum procuræ tacitè inducit ratificationem gestorum, etiamsi fiat, & producatur lite pendente, & post acta iam facta, sed vide numeris seqq.*

2 *Mandati procuræ præexistentia requiritur, si producatur post sententiam.*

3 *Mandatum procuræ, vt inducat ratificationem gestorum requirit, quod sit factum in personam procuratoris, qui acta gessit: quod sit speciale ad causam, de qua tractatur; & quod mandans specialem scientiam gestorum habuerit, sed vide num. sequenti.*

4 *Mandatum procuræ inducit ratificationem gestorum absque vllo requisito, si expressè id in ipso dictum fuit.*

5 *Ratificans expressè præsumitur habere specialem notitiam rei ratificatæ.*

6 *Cogitatio in genere facit præsumere notitiam in specie.*

7 *Iuramentum habet vim expressionis, & trahit generalia ad specialia.*

8 *Actus validus in dubio est præsumendus, & prò validitate ipsius est respondendum.*

SINGVLARE LXXVII.

1 Lite pendente producto per procuratorem mandato procuræ tunc facto, controuertebatur, an ex ipso possent dici ratificata omnia acta per ipsum procuratorem antea gesta, & videbatur quod sic per tradita à *Vant. de nullit. tit. Qualiter sententia, &c. num.* 103. vltra textum clarum *in l. Iulianus ff. Qui satisd. cogantur*, & hoc non obstante, quod mandatum non esset factum de tempore, quo acta prædicta facta fuerant, cum alias esset contra textum
2 expressum *in dicta l. Iulianus*, & cum in omnem casum dicta præexistentia mandati tunc solum requaritur quando mandatum ipsum post sententiam producatur, vt habetur in *decis.* 105. *Marchiæ num.* 10. *& in addit. ad eandem per eundemet Grat. collectorem factis*. Tunc enim non mirum si talis præexistentia requiritur, cum ex quo ius fuerit parti quæsitum, non debeat pendere à voluntate illius, qui nullitatem commisit, illam posse sanare, quod est id, quod innuit *Gabr. de Iudic. Concl.* 3. *num.* 19. dum dicit, & per plures firmat, quod mandatum superueniens post actum perfectissimè consumatum non habet vim ratificationis.

3 Verùm cum non appareret in confectione mandati concurrisse illa tria requisita à *Rota in Claraualien. Grani*, 3. *Nouembris* 1606. *coram Card. Lancellotto relata à Beltram. in Addit. ad decis.* 576. *Ludouis. sub n.* 20. videlicet specialis notitia gestorum in mandante: specialitas mandati ad illam causam, & constitutio eiusdem procuratoris, qui acta gessit, prò ratificatione non resoluissem, prout resolui, ex clausula cum ratificatione gestorum, quam mandatum ipsum factum ad eandem causam, & in eundem procuratorem expressè continebat. Quamuis enim non desint, qui volunt, quod etiam mandatum cum expressa ratificatione gestorum, vt acta facta validare possit, requirat scientiam specialem, & indiuiduam in mandante, & quam omnes
4 affirmant requiri in tacita; tamen in contrarium tenuit *Rota apud Seraph. decis.* 544.
5 *num.* 5. cum in ratificatione expressa talis scientia sit præsumenda, & prout præsumenda erat in casu, de quo tractabatur, à fortiori, ex quo constabat de scientia aliquorum, & sic præsumi debebat & omnium, argumento *l. non est ferendus ff. de transact.* Colligebatur enim ex hoc, quod saltem in genere de ipsis actibus fuerat cogi-
6 tatum, quod sufficit ad tradita per *Grat. discept. foren. cap.* 505. *nu.* 27. *& Rotam in nouis. decis.* 89. *nu.* 12. *parte* 2. stante maximè
7 iuramento, quod habet vim expressionis, & trahit generalia ad specialia, vt habetur ex *Rota in recens. parte* 1. *decis.* 665. *num.* 9.

Et sic prò ratificatione pronunciaui sublata amaritudine, quæ resultabat ex con-
8 trarium firmantibus, ex regula, qua fertur in dubio esse præsumendum, & respondendum prò validitate actus, vt præcipuè dixit *Rota coram Seraph. decis.* 509. *num.* 4.

AR-

ARGVMENTVM.

ORiginale attendi debet, si de errore dubitetur in copia, & secundum ipsum iudicari debet, etiamsi error in calculo ferendæ sententiæ detegatur, & prout faciendum videtur, si id contingat post conclusionem in causa.

SVMMARIVM.

1 *IVdex secundum acta iudicare debet.*
2 *Originali standum est, si error in copia authentica, & etiam parti data supponitur.*
3 *Notarius errorem suum corrigere non potest.*
4 *Probationes, quæ fiunt per literas, & instrumenta, statim fieri dicuntur, & sic semper etiam post conclusum in causa admitti possunt.*
5 *Copia non attenditur, sed originale, quando error in ipsa copia deprehenditur, etiamsi error animaduertatur in calculo ferendæ sententiæ, & prout videtur faciendum, si sit conclusum in causa.*
6 *Stylus, qui respicit ordinatoria iudicij, subiacet informationi Iudicis, qui de ipso etiam extraiudicialiter potest se informare.*

SINGVLARE LXXVIII.

IN calculo ferendæ sententiæ animaduertebam copiam cuiusdam scripturæ ita ab originali discordantem, quod ipsa copia attenta, contrà illum, qui eam produxerat, & qui in rei veritate bonum ius habebat, erat pronunciandum. Vnde dato dubio an secundum ipsam copiam productam, vel secundum originale sententiare
1 deberem, prima facie videbatur secundum copiam, cum Iudex secundum acta iudicare debeat, ad ea, quæ præcipuè notantur in *Addit. ad decis.* 224. *Ludouis. num.* 6.
2 Verùm contrarium tenui, & secundum originale iudicaui per *cons. Alex.* 105. *lib.* 2. & per ea, quæ tradit *Farin. de falsit. & simul. quæst.* 156. *parte* 3. *num.* 135. quibus in locis firmatur quod, credendum, & standum est originali, si error in copia etiam authentica, & data parti supponitur.
3 Nec aduersabatur quod Notarius suum errorem non posset corrigere, vt inter alios præmittit *Farin. vbi suprà*, quia non ipse Notarius talem errorem corrigebat, sed potius iam per Protocollum ipsius Notarij correctus apparebat; & quamuis saltem ab obseruatione talis Iudicij pars aduersa absoluenda videretur cum iam in causa prætenderetur fuisse conclusum, tamen ex notorietate facti ex originale re-
4 sultante, illam condemnaui, cum probationes, quæ fiunt per literas, & instrumenta, statim fieri dicantur, & sic semper admitti possint etiam post conclusum in causa, saltem de æquitate, ad *trad. per Masc. de prob. Concl.* 1229. *præcipuè num.* 19. &
5 21. Vltra quod id mihi suasum erat etiam ex *decis.* 502. *Seraph.* In qua deprehenso simili errore in calculo ferendæ sententiæ, ad originale fuit recursum.

Dato enim quod & Originale produci debuisset ante conclusionem in causa (& prout productum quodammodo in dicta *decis.* poterat censeri) iam & in casu, de quo tractabatur dici poterat productum, cum conclusio in causa saltem de stylo su-
6 stineri non posset, & de quo stylo vti respiciente ordinatoria iudicij, saltem extraiudicialiter, satis superque mihi constabat, & constare poterat, præcipuè per ea, quæ habentur in *decis.* 484. *Ludouis. num.* 6. & *ibidem in suis additionibus.*

ARGVMENTVM.

PRobationes, quæ possunt fieri statim, puta per literas, & instrumenta, de æquitate etiam post conclusum in causa admittuntur, sed non ad fauorem negligentis, vel si altiorem indaginem requirant.

SVMMARIVM.

1 *PRobationes de æquitate etiam post conclusum in causa admittuntur, sed æquitas debet esse magna, vt infrà num.* 5.
2 *Probationes, quæ post conclusum in causa admittuntur, debent posse fieri statim, puta per literas, & instrumenta, & hæc altiori indagine opus habere non debent, vt infrà num.* 4.
3 *Probationes nullæ post conclusum in causa admit-*

mittuntur, nec etiam de æquitate ad fauorem negligentis.

4 *Conclusione facta in causa, instrumenta, quæ altiorem indaginem requirunt, nec de æquitate admitti possunt.*

5 *Probationes, vt post conclusum in causa admittantur, magna æquitas concurrere debet.*

SINGVLARE LXXIX.

1 QVamuis de æquitate probationes etiam post conclusum in causa admitti possint, ad tradita per *Menoch. de arbitr. quæst. quæst.* 35. *num.* 22.
2 *lib.* 1. & maximè si incontinenti fiant, vt per literas, & instrumenta, iuxtà limitationem, quam notat *Mascard. in concl.* 1229. *num.* 21. Tamen cum versarer in casu, in quo qui nonnulla instrumenta post conclusum in causa producere volebat, illorum plenam notitiam & ante habuerat, dictis instrumentis non attentis ad expeditio-
3 nem causæ deueniendum duxi, cum negligentibus nec de æquitate sit succurrendum, ad tradita per *Mascar. vbi suprà num.* 42. *&* 43. & maximè cum dicta instrumenta &
4 multas exceptiones recipere possent, & sic tanquam altiorem indaginem requirentia omninò reijci deberent, cum ex ipsis statim veritas apparere non valeret, ad nota-
5 ta per *Masc. dicto num.* 21. & ita feci tantò magis, quod non concurrebat in omnem casum illa magna æquitas, quam requirit *Menoch. vbi suprà*, quia saltem & æquitas, quæ militabat prò parte aduersa, illam minuebat, & ius experiendi de dictis instrumentis in alio iudicio remanebat.

ARGVMENTVM.

MInor vigintiquinque annis, & maior septendecim potest quidem constitui procurator ad negotia, secus autem ad lites, & iudicia.

SVMMARIVM.

1 *PRocurator ad negotia potest constitui maior septendencim; ad lites autem, & ad iudicia solum maior vigintiquinque, & procedit tam de iure canonico, quam de iure ciuili.*

2 *Extensio in materia correctoria est prohibita.*

3 *Extensio ad diuersa non est licita, & solum ex indentitate, vel maioritate rationis procedit.*

SINGVLARE LXXX.

INtroducta coram me Iudicem Ecclesiasticum agente causa appellationis à pronuncia illegitimitatis personæ cuiusdam procuratoris standi in iudicio, eo quia erat minor vigintiquinque annorum, dixi benè
1 iudicatum, & male appellatum, cum possit quidem maior decem, & septem annorum constitui procurator ad negotia, secus autem ad lites, ad quas requiritur ætas vigintiquinque annorum, vt apertè disponitur in *cap. Qui generaliter* §. *Licet de procurat. in 6.* & tradit inducendo etiam ex iure ciuili *Mynsing. Inst. lib.* 1. *tit.* 6. *Quib. ex caus. man. licet* §. *eadem lege num.* 5.

Nec mihi visum fuit obstare, quod ipse procurator iam veniam ætatis obtinuisset prò suis negotijs peragendis, & litibus proprijs tractandis, & quod proindè videretur, quod ea, quæ prò se ipso facere poterat, & prò alijs facere valeret, quia cum dicta ætatis venia contra ius commune tenderet,
2 illudquè corrigeret, strictè interpretanda erat, cum extensio in tali materia non sit licita *Glos. in authen. Quas actiones*, in verbo, *excluduntur*, *vers. Item an idem in Ciuitate, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* & tanto magis, quod maior ratio considerari poterat in concedenda venia ætatis standi in iudicio prò se ipso, quam prò alio, cum non tanta diligentia posset præsumi in minore procurante in iudicio prò alio, quanta præsumi poterat in procurante prò se ipso, &
3 sic cessare debebant & ea, quæ in contrarium arguendo de mente *Pla. & Vltramontanorum excitat Glossa*, *maior*, *& minor vbi suprà*, dicendo, quod vbi est eadem, vel maior ratio, & idem ius esse debet, *l. illud ff. ad l. Aquil. cum alijs allegatis.*

ARGVMENTVM.

APpellans si iudicialiter aliquid petit coram Iudice à quò in executionem sententiæ latæ, appellationi renunciasse est censendum.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Appellatione iurisdictio Iudicis à quo suspenditur.*

2 *Appellans petens aliquid iudicialiter à Iudice à quo in executionem sententia per ipsum latæ, appellationi renunciat, sed declara vt num. sequenti.*

3 *Apellantem petentem aliquid iudicialiter à Iudice à quo, appellationi renunciasse non est dicendum, si id prouocatus ipse facit, & timore censurarum.*

4 *Iudicari ad imparia quis non debet.*

5 *Protestatio contraria facto non tenet.*

6 *Plus valet factum, quam dictum.*

SINGVLARE LXXXI.

1 CVm iurisdictio Iudicis à quo per appellationem remaneat suspensa,
2 *Franch.in Rubr. de Appellat.num.* 29. ex quo appellans à quadam mea sententia iudicialiter petierat, & acceptauerat postea à me quendam terminum ad faciendum nonnulla in eadem sententia contenta, tenui quod appellationi renunciasset, per ea, quæ in his terminis tradit *Scaccia de appell. lib* 3. *cap.* 2. *quæst.* 17. *limit.* 2 *num.*22 *vers. Secus*, præcipuè ex *Rota coram Achill, de Graf. decis.* 19. *alias* 245. *de appellat.vbi sub num.* 24. *vers. Non recedas*, habetur etiam, quod ita communiter tenetur.

3 Nec mihi visum fuit obstare, quod aliter *Rota sensisse videatur vbi supra sequenti decis.* 21. *alias.* 247. quia responsio ex eadem *decis.* resultat, dum ibi supponitur, quod appellans non sponte, sed prouocatus comparuisset timore etiam censurarum, quod non erat in casu, de quo tractabatur, vbi etsi citatus esset, citationes tamen iam expirauerant.

Minus pariter facere tenui, quod id factum fuisset cum protestatione faciendi solummodo magis constare de grauami-
4 ne, quia si est verum, prout est verissimum, quod quis non debet ad imparia iudicari *l. in sacris* la 3. *Cod. de Prox. Sacr. scrin.* hoc modo ipse appellans litigare potuisset coram Iudice à quo, absque eo, quod aliquid posset perdere.

5 Cum itaque dicta protestatio videretur contraria facto, & propterea non atten-
6 denda, cum factum plus sit, quam dictum, vt norat idem *Scaccia vbi suprà num.* 23. ad vlteriora in causa procedendum duxi, & procedi mandaui.

ARGVMENTVM.

ACtus non seruitutis iure, sed potius ex familiaritate, & licentia domini præsumitur factus, & seruitus absquè titulo, vel saltem absque longinquitate temporis contra Dominum nec ad effectum manutentionis induci valet.

SVMMARIVM.

1 *Seruitutis iure non, sed potius ex familiaritate,& licentia Domini actus præsumitur factus.*

2 *Liberum præsumitur vnumquodque prædium.*

3 *Seruitutis possessionem, seu quasi, probare non sufficit pro manutentione obtinenda, si agitur contra proprietarium pradij seruientis, de cuius proprietate, & dominio constat; sed requiritur etiam titulus, quia alias possessio præcaria præsumitur; declara tamen vt num. sequenti.*

4 *Possessio longæua tituli locum obtinet, si est pacifica, & iustificatur ex patientia illius, contra quem possidetur.*

SINGVLARE LXXXII.

PRætendenti manuteneri in quasi possessione transeundi per quoddam prædium, opponebat eiusdem prædij dominus, quod dicta quasi possessio nihil eidem suffragare poterat, ex quo non probauerat, quod transisset iure proprio, & sic iu-
1 re seruitutis. Cum enim potuisset transisse iure familiaritatis, vel de licentia domini, præsumi debebat quod ita, & non alias transijsset, vt ex pluribus deducit *Surd, decis.* 177, *num.* 2. & 3. & est indubitatum
2 si consideretur, quod vnumquodque prædium præsumitur liberum. *Glos. in l. Altius, Cod. de seruit.*

Quia tamen ipse Dominus, dictam quasi possessionem impugnando, probauerat, quod se prohibente, & contradicente aduersarius transierat, & sic ius familiaritatis,

tis, & eius licentia excludebantur, tenui quod non nisi iure seruitutis transisse præsumendum esset, & quod proinde manutenendus veniret in summarijssimo, & prout ipsum manuteneri mandaui.

3 Nec obstare credidi, quod quando agitur contra proprietarium prædij seruientis, de cuius proprietate, & dominio constat, & prout constabat in casu, de quo tractabatur, prò manutentione sit necesse probare titulum, & non sufficiat simplex possessio, ad ea, quæ tradit *Marescot. var. resol. lib. 1. cap. 11. num. 51.* Quia cum id procedat ex quo tali casu possessio præcaria præsumitur, & sic possessionis vis cessat, vt notat idem *Marescot. vbi suprà*, hoc casui nostro non poterat adaptari, stante quod possessio præcaria ex prædicta contradictione domini exclusa remanebat, &

4 omnem difficultatem tollebat, quod quasi possessio prædicta erat nedum longæua, sed longissima, & sic etiam absque titulo operari poterat, cum tituli locum obtineret, vt declarando etiam ex magis recepta, & vera sententia subdit idem *Marescot. num. 53.*

Nec pariter mihi visum fuit obstare, quod limitando iterum subdit *Marescot. nu. 57.* quod scilicet longinquitas possessionis operetur tali casu absque titulo, quando est pacifica, & iustificatur ex patientia illius, contra quem possidetur; quia in casu, de quo tractabatur, nec talis patientia videbatur posse desiderari, dum ipse dominus contradicebat quidem, sed in contradictione postea non persistebat, & transire sinebat.

ARGVMENTVM.

PRobatio, quæ exprimit horam, in dubio anterioritatis, præfertur probationi, quæ horam non exprimit, & instrumentum per eundem Notarium confectum præualere debet instrumento confecto mediante substituto, maximè si de aliquo postea dubitari contingat, & quod ex responsione Notarij dilucidari posset.

SVMMARIVM.

1 *PRobationem magis certam ex hora habens præfertur ei qui minus certam habet, & maximè si hora non sit postrema diei.*

2 *Processus, & acta facta per Iuuenes Notariorum nomine ipsorum sunt valida.*

3 *Notarij per se ipsos instrumenta conficere debent.*

4 *Extensio non est facienda de casu ad casum, quod quis nomine alterius rogatus esse possit.*

5 *Notarius debet posse respondere Iudici de ijs, de quibus rogatus extitit.*

SINGVLARE LXXXIII.

INstructa causa in summarijssimo possessorio, dubium erat, quis nam ex litigantibus esset in possessione anterior, cum vterque de possessione eadem die capta documenta daret, alter tamen per instrumentum confectum per Notarium, & cum expressione horæ, & alter per instrumentum Notarij mediante quodam suo Iuuene substituto, & absque expressione horæ.

1 Tenui ego prò primo, ipsumque manuteneri mandaui contra secundum; tum quia horam certam prò se habebat, & sic præferri debebat, ad ea quæ congerit *Tiraquel. de retraict. lignagier. §. 11. le plus Prochain. Glos. 1. num. 11.* & etiam de mente Rotæ, *Grat. discept. Foren. cap. 742. num. 72. & 73.* latissimèque *Gait. de cred. cap. 4. quæst. 11. num. 1871.* & maximè quod hora non erat postrema illius diei, & sic cessare videbatur dubium, quod releuat ipse *Tiraquel.*

2 *vbi suprà*; Tum quia instrumentum receptum à Iuuene substituto mihi visum fuit nullam probationem facere, non obstante quod ex aduerso deduceretur *decis. 454. coram Ludouis.* quæ est in terminis processus, & Actorum, non autem instrumentorum, & sic tanquam exorbitans à iure com-

3 muni, quo cauetur Notarium per se ipsum officium tabellionatus expedire debere, vt legitur in *Authen. de tabellion. §. Nos autem*,

4 extendenda non erat de casu ad casum, vt in his terminis dixit *Rota coram Sacrato in Romana societatum 14. Nouembris 1611. num. 2.* & quæ post *Zacchiam de societ. offic. est decis. 16.* & maximè si de aliquo postea dubitari contingat, & prout contingebat

in

in casu, de quo tractabatur circà anterio-
5 ritatem possessionis. Cum enim Notarius non posset Iudici respondere circa horam adeptionis possessionis, ex quo actui non interuenerat, vt expressè vult dictus *tex.* ibi: *vt habeant vnde sciant negotium, & interogati à Iudicibus possint, qua subsecuta sunt cognoscere, & respondere*; dictum instrumentum in consideratione non habui, & vt suprà decreui.

ARGVMENTVM.

QVi excipiendo, & sic negando ex aduerso deducta ponit, contenta in positionibus non fatetur.

SVMMARIVM.

1 *Probatio maior non datur, quam oris proprij confessio.*
2 *Confessio facta in iudicio omne genus probationis superat.*
3 *Ponens contenta in positionibus fatetur, & talis confessio contra ponentem plenè probat.*
4 *Ponens excipiendo non fatetur.*
5 *Ponens si incipiat à negatiua dicendo, quod ea quæ ex aduerso deducuntur non sunt vera, & quod quatenus probentur talia, obstat sua exceptio; non fatetur.*
6 *Actore non probante Reus est absoluendus, etiamsi ipse Reus suas exceptiones non probauerit.*

SINGVLARE LXXXIV.

REus, datis generalibus contrà, negatisque narratis, saltem pròut narrabantur, posuerat in termino probatorio ea, quæ ipsemet Actor deduxerat, & sic ipsum condemnari instabatur, cum nulla maior
1 probatio detur, quam oris proprij confes-
2 sio, iuribus vulgatis, & maximè si sit facta in iudicio, quo casu absquè dubio omne genus probationis superat, ad ea, quæ tra-
3 dit *Mascard. de prob. Concl.* 344. *num.* 2. & cum ponens contenta in positionibus fateatur, vt dixit *Rota coram Ludouis. decis.* 385. *num.* 3. & talis confessio contra ponentem plenè probet, illiquè præiudicet, ad ea, quæ pariter dixit *Rota coram eodem decis.* 408. *num.* 1.

4 Verùm, quia Reus, excipiendo, prædicta posuerat, tenui quod re vera fassus non fuisset, per textum expressum in *l. non vti-*
5 *que, ff. de except.* & maximè quia erat ac si dixisset non esse vera, quæ prætendebat Actor, & quatenus illa vera esse probaret, se nihilominus rutum esse ex exceptionibus, quas deducebat; quo casu absque dubio non fatetur, vt clarè obseruat *Glos. in l. si quidem*, verbo Contestatione, *Cod. de except. & præscript. & tradit. Maran. in suo spec. parte 6. de posit. seu art. prod. num.* 9. Quamuis enim actualiter à negatiua non incepisset, vt fieri debere tradit *Glos. vbi suprà*, tamen inhærendo iam negatis, & cum clausulis salutaribus posuerat, & sic cum conditione fassus fuerat. Si enim inhærendo iam negatis, adhuc negabat, quamuis ex alia parte fateretur, dicendum
6 erat, quod dato, & non concesso fatetur, & non alias, & sic quod Actore suam intentionem non probante, ipse Reus esset absoluendus etiamsi suas exceptiones non probasset per *l. Qui accusare Cod. de eden.*

ARGVMENTVM.

IVramentum non potest facere de contractu innominato nominatum, ita vt re integra non sit locus pœnitentiæ.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum facit contractus reuocabiles in reuocabiles secundum communem opinionem Doctorum, sed contra num. seq.*
2 *Iuramentum non facere de contractu innominato nominatum, ita vt re integra non sit locus pænitentia, probabilius est.*
3 *Iuramentum semper intelligi debet iuxta naturam contractus, in quo apponitur.*
4 *Iuramentum obligat efficacius, sed non plus.*
5 *Stipulationem facere, vel non facere contractum nominatum de innominato, dubium est.*
6 *Stipulatio non facit quod sit locus pænitentia, cui alias ex natura contractus locus non est.*

SINGVLARE LXXXV.

IVramentum non facere de contractu innominato nominatum, ita vt re integra non

 non

1 non sit locus pœnitentiæ, iudicaui, non obstante, quod *Gabriel. Concl. 9. de iureiur. in princ.* iuramentò tribuat vim faciendi contractum reuocabilem ineuocabilem, & hoc etiam de communi opinione *Doctorum ex Corset. in tract. de iureiur. col. 7. in fin. vers. secundum priuilegium num. 29.*
2 Nam de iure probabilius dicit contrarium *Dec. in cap. 1. col. 18. & duabus sequentibus de Iudic.* quem sequitur *Osasch. decis. 98. num. 14.* & quidem optimè si consideretur,
3 quod iuramentum semper intelligi debet iuxtà naturam contractus, in quo apponitur, *l. fin. Cod. de non num. pec. vbi Doctores.*
4 Iuramentum enim obligat quidem efficacius, dando scilicet viam executiuam: impediendo venire contra, absque absolutione, & similia; sed non per hoc obligat ad plus, & prout obligaret si vltra naturam contractus extenderetur, faciendo, quod ex iuramento, pœnitentiæ non esset locus, cui ex contractu ipso locus esset, & sic operando etiam vltra intentionem contrahentium, qui iurando non iurant nisi in contractu contenta, & in contractu contenta dici non possunt, quæ sunt extra naturam ipsius contractus, vt præcipuè ex *Iasone* consideratur etiam in *dicta decis. Osasch. eodem nu. 14.* & quæ respondet etiam ad ea, quæ dici possent de stipulatione, quatenus interue-
5 nisset, cum vt præmittitur *sub. num. 12. vers.* Non obstat, sit dubium an stipulatio possit facere de contractu innominato no-
6 minatum, & in omnem casum non faciat, quod re integra non sit locus pœnitentiæ, cui ex natura contractus locus existat.

ARGVMENTVM.

Causa nunquam dicitur magna ad effectum ne sit locus iuramento in supplementum, si talis expresse non capituletur, & probetur.

SVMMARIVM.

1 *Testis in causa propria nullus esse potest, & quare.*
2 *Iuramentum in supplementum probationis vnicuique defertur, & quarè.*
3 *Iuramento in supplementum vt sit locus, requiritur semiplena probatio.*
4 *Iuramentum in supplementum non defertur nisi circa verisimilia.*
5 *Iuramento partis, seu eius scriptura in tantum creditur, in quantum continet verisimilia.*
6 *Iuramentum in supplementum non defertur in causa magna.*
7 *Regula habet præsumptionem prò se, & secundum illam iudicari debet.*
8 *Iuramento in supplementum ne sit locus causa non dicitur magna, si talis non articuletur, & non probetur.*
9 *Causam esse magnam, vel paruam pendet ab arbitrio Iudicis.*
10 *Regulam qui habet prò se, habet intentionem fundatam, ita vt incumbat Aduersario onus probandi exceptionem, & quidem concludenter.*
11 *Iuramento in supplementum est locus etiam in causa magna, si sit plusquam semiplenè probatum.*
12 *Iuramento in supplemenum est locus etiam in causa magna, si militat aliqua præsumptio contra illum, contra quem deferri debet.*

SINGVLARE LXXXVI.

1 NVllus in causa propria testis esse potest *l. Nullus ff. de testibus, l. Omnibus Cod. eod. tit. cum simil.* & meritò cum insurgat suspicio falsi ex interesse, quod ex sua testificatione sibi resultare posset, ad ea, quæ post *Glossam in dicta l. Nullus,* passim notant Doctores in tali materia; non est tamen, quod hac suspicione purgata, quis in causa propria testificari non va-
2 leat, & proinde ad iurandum in supplementum probationis vnusquisque admittitur *l. In bonæ fidei, Cod. de reb. cred. & iureiur. & l. Admonendi ff. eod. tit.* Non ob aliud quidem, nisi quià deponit verisimilia, cum deponat ea, quæ alias probata
3 fuerunt per semiplenam probationem, quæ ad tale iuramentum requiritur, ad ea, quæ in tali materia inter alios notat *Ma-*
4 *scard. de probat. Concl. 955. num. 3.* Tale enim iuramentum non defertur nisi circà verisimilia, vt deducit idem *Mascard. Concl.*
5 *1402. num. 15.* & in tantum partis iuramento, vel scripturæ creditur, in quantum verisimilia continent, vt subdit ipse *num. sequentibus 16. 17. & 18.*

Cum

Cum itaque ex prædictis duæ regulæ resultent, nempè quod nullus solus in causa propria testis esse potest, & quod omnis coniunctim cum alio, & sic in supplementum in causa propria testificari valeat, non audiendum duxi quendam, qui iuramen-
6 tum tale non deferendum dicebat, allegando causam esse magnam, in qua deferri non debet, ad tradita per *Gloss. in dicta lege Admonendi, verb. Exacto*, & communiter per *Doctores ibidem, & in dicta l. In bonæ fidei*,
7 quia cum præsumptio sit prò regula, & secundum illam iudicari debeat, ad ea quæ
8 inter alios tradit *Surd. decis.* 104. *nu.* 38. non sufficiebat allegare causam magnam, sed talem necesse erat articulasse, & probasse, stante regula, quæ stat pro iuramento, vt in terminis firmat *Mascard. allegata Concl.*
9 955. *nu.* 36. Quamuis enim causam esse magnam iudicare sit in arbitrio Iudicis, ad ea, quæ latè deducit *Menoch. de arbitr. cas.* 72. tamen Iudicem paruam illam iudicare debere ad effectum tradendi iuramentum in supplementum, est dicendum, ne regula,
10 exceptione non probata, destruatur, cum qui habet regulam prò se, habeat intentionem fundatam, ita vt aduersario incumbat onus probandi exceptionem, vt dixit *Rota coram Ludouis. decisione* 182. *num.* 1. & quidem concludenter, vt pariter dixit *Rota coram eodem decis.* 279. *num.* 2.
11 Tantoque magis vt supra tenui, quanto considerabam, quod in casu, de quo tractabatur, erat etiam plus quam semiplenè probatum, & sic etiam in causa magna locus erat iuramento prædicto, ad tradita per *Masc. dicta Concl.* 955 *num.* 33.
12 & vlterius contra illum, contra quem iurari intendebatur, militabat aliqua præsumptio, quæ pariter iuramentum prædictum etiam in causa magna inducere potest ad ea quæ *numero antecedenti* præmittit idem *Mascardus*.

ARGVMENTVM.

Bona ex simplici assertione possidentis grauata iudicari non debent.

SVMMARIVM.

1 *Bona in dubio allodialia, & libera præsumuntur.*
2 *Feudalis præsumitur res, quando possidens asserit talem esse, nisi qui dicit illam allodialem, probet esse talem, sed vide num. seq.*
3 *Bona ex simplici assertione possidentis grauata iudicanda non sunt, sed cum tali assertione & aliæ coniecturæ, & præsumptiones concurrere debent, & quarè.*

SINGVLARE LXXXVII.

In facti contingentia iudicaui quædam bona libera, quia non constabat esse grauata, vt prætendebatur ex alio, quam ex assertione illius, qui illa possidebat, & asserebat talia. Cum enim regula clara sit,
1 quod in dubio bona præsumuntur allodialia, & libera, nisi probetur contrarium, vt firmat *Mascard. de probat. concl.* 79. *num.* 5. *& seqq.* & pluries dixit *Rota*, & præcipuè in *Recens. parte* 1. *decis.* 404. *num.* 1. 409. *num.* 4. *&* 508. *num.* 1. tuta non credidi quæ limitando subdit *Mascard. vbi suprà*
2 *num.* 18. dicendo simpliciter, quod feudalis præsumitur res, quando possidens asserit talem esse, nisi qui dicit illam allodialem probet esse talem. Quia præcipuè *De-*
3 *cius, & Alex. ab ipso Mascar.* prò tali dicto fundando citati non simpliciter se fundant in assertione possidentis, sed in alijs etiam præsumptionibus, & coniecturis, puta (vt supponit *Dec.*) quod bona sint annexa alijs indubitatè grauatis, vel intra confines horum comprehensa, aut (vt requirit *Alex.*) quod per longum, immò longissimum tempus 30. annorum fuerint possessa vti grauata, & vti talia cum effectu recognita. Et quidem quamuis prima facie videatur dictum *Mascar.* bona ratione fulciri, cum non sit præsumendum, quod quis bona quæ possidet potius grauata, quam libera, contra sui commodum, & vtilitatem velit asserere; Tamen hæc ratio cessat, si consideretur, quod possunt dari plures casus, in quibus possidenti magis expediat, quod sint grauata, quam libera, & sic in eius arbitrio esset dictam legalem præsumptionem, immò legem ipsam eludere, & prout possessorem eludere velle in casu,

de quo tractabatur, non leuis suspicio insurgebat, ex quo re vera nimis sua intererat, quod bona potius grauata, quam libera iudicarentur.

ARGVMENTVM.

ADministrator, seù negotiorum gestor potest induci in testem contra mandantem, & ipse non potest se excusare cum damno, quod sibi imminere potest, & maximè si damnum prædictum non sit probabile, magnum, & iniustum.

SVMMARIVM.

1 *Arma non sunt sumenda de domo Rei.*
2 *Testificari nemo tenetur, quando probabiliter timet sibi ex suo testimonio aliquod magnum damnum spirituale, aut temporale personæ, honoris, aut bonorum euenturum.*
3 *Negotiorum gestor potest induci in testem contra mandantem.*
4 *Priuilegia in præiudicium tertij non sunt extendenda.*
5 *Locupletari quis non debet cum iactura aliena.*
6 *Testes multò magis compelli debent, quando veritas aliter haberi non potest.*

SINGVLARE LXXXVIII.

QVidam administrator, seù negotiorum gestor inductus contrà mandantem prætendebat se examinari non posse, tanquam quod capitulata contrà ipsum retorqueri valerent, ex quo de mala administratione eundem redarguissent, & ad damna ab ipso repetenda suo principali viam aperuissent.

Videbatur autem exaudiendus per *l. Nimis graue, Cod. de testibus, iuncta l. fin.*
1 *Cod. De edendo*, quibus cauetur, quod arma non sint sumenda de domo Rei, &
2 etiam quia nemo tenetur testificari, quando probabiliter timet sibi ex suo testimonio aliquod magnum damnum spirituale, aut temporale, personæ, honoris, aut bonorum eucnturum, ad *Bal. in cap. Cum nuncius, de testibus*, & ad alia quæ citat *Nauar. in comment. in secundam partem Decret. de peccat. diuers. stat. cap. 25. num. 50.*

Tenui tamen contrarium, & ad testificandum censuris etiam mediantibus ipsum
3 coegi; Primo quia negotiorum gestor potest benè induci contra mandantem, vt notat *Farin. de oppos. contra pers. test. quæst. 60. illat. 7. num.* 168. Secundo, quia non erat Reus, & sic sibi dictæ leges suffragari
4 non poterant, & maximè in præiudicium tertij, contra quem priuilegia non sunt extendenda, ad ea quæ dixit *Rota coram Seraph. decis.* 827. *num.* 1. Tertio quia incommodum probabiliter sibi non imminebat, & in omnem casum erat pecuniarium, & non magnum, & quatenus etiam fuisset magnum, non poterat esse nisi iustum, & è contrà iniustum fuisset damnum, quod ex non testificatione ipsius, ille qui ipsum in testem induxerat, reportasset, & sic debebat ipse potius damnum iustum susti-
5 nere, quam iniustum alteri afferre, locupletando sic se ipsum cum iactura aliena, contra *l. Planè in cæteris ff. de petit. hæred. cum simil. Surd. decis.* 155. *num.* 1. *&* 294. *nu.*
6 9. Et maximè cum veritas aliunde haberi non posset, quo casu testes multò magis ad testificandum compelli debent, ad ea quæ latè notat *Farin. de oppos. contra exam. test. quæst.* 78 *num.* 18.

ARGVMENTVM.

APpellatio prò Pupillo interposita tenet etiam si debito tempore non fuerit ratificata, si dubitatur an fuerit per legitimam personam interposita.

SVMMARIVM.

1 *Appellatio per personam non legitimam interposita intra decem dies ratificari debet, aliàs non tenet.*
2 *Actus in dubio præsumitur validus.*
3 *Appellationis tempus non currit ei, qui est in bona fide alicuius articuli per ipsum prætensi, si ad id calumniosè, aut ex causa improbabili non moueatur.*
4 *Appellationis causa est fauorabilis.*
5 *Appellationis causa est species defensionis.*
6 *Restitutio in integrum datur etiam aduersus sententiam, quæ transiuit in iudicatum.*

SIN-

SINGVLARE LXXXIX.

APpellauerat assertus procurator quorundam Pupillorum à quadam senten-
1 tia contra ipsos lata, & cum appellatio intra decem dies ratificata non fuisset, & prout ratificari debet in casu, in quo appellans personam legitimam non habet, ad ea, quæ notat *Scaccia de appellat. lib. 3. cap. 2. quæst. 5. num.* 43. Dubitabatur an teneret, eo quia non constabat de persona legitima procuratoris prædicti.

Quia tamen alias fuerat in prima instantia vna cum curatore à Iudice in tali causa eis dato admissus ad iudicium, quamuis ad benè esse, eo quia apparebat quidem quod fuerat constitutus curator in executionem testamenti paterni, sed dubium erat, an legitimè id factum fuisset; Tenui quod ap-
2 pelatio subsisteret: tum quia in dubio prò validitate actus est præsumendum, *l. Quoties*, la seconda *ff. de reb. dub. & l. Quoties*
3 *dubia de verb. oblig. cum similibus*: tum quia tempus ad appellandum non currit ei, qui est in bona fide alicuius articuli per ipsum prætensi, quamuis in illo postea succumbat, si calumniosè, aut ex causa improbabili non moueatur, vt in simili de intentante nullitatem firmat *Scac. vbi suprà quæst. 12. num. 169.* Nulla enim ratio mihi suadebat, quod Pupilli prædicti, qui in admissione eiusdem procuratoris alias non fuerant saltem totaliter reiecti, repellerentur postea non moniti prius in causa appellationis,
4 quæ est fauorabilis, ad *Alex. conf.* 113.
5 *Viso Themate. num. 6.* & meritò cum sit species defensionis, ad ea, quæ habentur in *l. 1. ff. de appellat, & in cap. Cum speciali* §.
6 *Porrò, tit. eod.* & maximè respectu Pupillorum, quibus in omnem casum per viam restitutionis in integrum ex prædictis succurrendum fuisset etiam aduersus sententiam, quæ transisset in iudicatum, ad ea, quæ tradit *Scac. vbi suprà quæst. 19. remed. 2. num. 3.*

ARGVMENTVM.

TEmpus ad appellandum ignoranti non currit, & notitia est probanda per appellatum ex transmissione sententiæ in forma authentica, si intimatio eiusdem sententiæ auctoritate Iudicis non fiat.

SVMMARIVM.

1 *APpellatio intra legitima tempora interposita præsumitur.*
2 *Actus præsumitur validus.*
3 *Ignoranti tempus ad appellandum non currit.*
4 *Appellato incumbit onus probandi appellantem notitiam sententiæ habuisse ante decem dies ab appellatione interposita, si ipse appellans hoc negat.*
5 *Ignorantia, & non scientia præsumitur.*
6 *Notitia sententiæ vt inducatur, requiritur quod ipsa sententia, pròut distinctè se habet, notificetur in forma authentica, si absque Iudicis auctoritate fiat.*
7 *Sententia si notificetur auctoritate Iudicis, sufficit, quod dicatur lata contra eum, cui notificatur, absque eo, quod tenor sententiæ inferatur.*
8 *Credere alteri quis non tenetur, nisi ei fiat fides per testes idoneos, vel per publicum instrumentum.*

SINGVLARE XC.

1 CVm appellatio præsumatur interposita intra legitima tempora, ad ea, quæ cumulat *Scaccia de appell. lib. 3. cap. 2.*
2 *quæst. 12. num. 24.* Et meritò cum præsumptio stet semper prò validitate actus *l. Quoties* la seconda *ff. de reb. dub. cum similibus.* Cumque verum etiam sit, quod
3 ignoranti tempus ad appellandum non curat, vt pariter obseruat *Scac. vbi suprà*
4 *num.* 48. & propterea appellato incumbat onus probandi appellantem notitiam sententiæ habuisse ante decem dies ab appellatione interposita, si ipse appellans hoc
5 neget, vt deducit *Scaccia dicto num.* 24. ex eo quod ignorantia, & non scientia præsumitur, dicebat in quodam casu coram me appellatus, quod appellans sententiæ notitiam habuerat ante ex quadam citatione sibi transmissa ad videndum dictam sententiam confirmari, seù mandari exequi. Replicante tamen ipso appellante,
6 quod hoc non sufficiebat, quia ad notitiam prædictam inducendam requirebatur

tur, quod sententia, prout praecisè se habebat, in forma authentica eidem notificaretur, vt pariter firmat *Scacc. vbi suprà*
7 *num. 29.* Vel saltem quod id sibi denunciatum fuisset auctoritate Iudicis, quo casu sufficit intimare, quod sententia sit contra eum, cui notificatur lata, absque eo, quod tenor sententiae inseratur, vt subdit idem *Scac. num. seq.* praecipuè ex *Natta cons. 348. tom. 2.* vbi per totum hoc latè deducit.

8 Tenui quod notitia praedicta non esset probata, & appellationem tempore debito interpositam fuisse iudicaui, vt enim inter alios considerat *Natta citato cons. 348. num. 2.* Non tenetur quis credere alteri, nisi ei fiat fides per testes idoneos, vel publicum instrumentum, *l. Nomen Cod. Quares pig. obl. poss.* cum alijs per ipsum *Nattam* deductis.

Nec considerandum tenui, quod citatio praedicta de mandato Iudicis esset facta, quia citationes ex officio per Notarios expediuntur, & in eis ponuntur omnia ad libitum partis, & multa, quae postea non subsistunt. Quando enim Iudex mandat intimari sententiam, necesse est quod de sententia illi constet, & sic eidem credi debet, vt notat *Natta vbi supra num. 3.* secus autem quando citat, quo casu nihil ipse affirmat.

ARGVMENTVM.

PRaescriptione vti non potest, qui titulum diuersum, & maximè nullum, & vitiosum deducit.

SVMMARIVM.

1 *PRouisio hominis facit cessare prouisionem legis.*
2 *Praescriptionis ius cessat, quotiescumque titulus ab ipsa diuersus deducitur.*
3 *Praescriptio ex titulo nullo, & vitioso impeditur.*
4 *Praescriptio omnis (saltem de iure canonico) excluditur, quae bona fide caret.*
5 *Bona fides ex titulo nullo, & vitioso resultare non valet.*
6 *Mala fides ex titulo nullo, & vitioso deducitur.*
7 *Praescriptio est odiosa, & dicitur impium, & nequissimum iuris praesidium contra naturalem aequitatem inductum.*
8 *Praescriptio tanquam odiosa quò magis fieri potest est euitanda, & restringenda.*

SINGVLARE XCI.

PRaescriptione centenaria contra Ecclesiam vti volenti non detuli; tum quia diuersum titulum à praescriptione iam in iudicio deduxerat, asserendo se ad praetensa ab Ecclesia non teneri ex quadam conuentione; tum quia titulus ipse nullus, & vitiosus erat. Quod enim titulus talis ab homine allegatus faciat cessare legalem titulum praescriptionis, suadetur ex regula
1 generali, qua fertur prouisionem hominis cessare facere prouisionem legis *l. fin. Cod.*
2 *de pactis conuen.* Et ex qua regula in terminis praetensae praescriptionis ita firmat *Borg. decis. 30. num. 70. de contract. parte 2.* Et quidem non sine euidenti ratione, si consideretur, quod alias quis diceret ex contractu ad debitum non teneri, & ex praescriptione idem debitum sibi fuisse remissum, quod implicat, cum non entis nullae
3 sint qualitates iuribus vulgatis. Quod autem titulus nullus, & vitiosus praescriptio-
4 nem impediat, videtur omninò clarum, cum saltem de iure canonico omnis praescriptio excludatur, quae bona fide caret *Cap. fin. de praescript.* & firmat *Surd. decis.*
5 *158. num. 6.* & absque dubio ex titulo nullo, & vitioso bona fides resultare non va-
6 leat, immò ex ipso mala fides deducatur, vt pariter in terminis tradit *Borg. vbi suprà, & numeris seqq.* & sic contra praetensam
7 praescriptionem iudicaui, tantò magis, quod cum praescriptio sit odiosa, & dicatur impium, & nequissimum iuris praesidium con-
8 tra naturalem aequitatem inductum, quò magis fieri potest est euitandum, & restringendum, vt inter alios *ex Auth. vt Eccles. Rom. & ex alijs* deducit *Becci. cons. 32. nu. 7.*

ARGVMENTVM.

IVdex à quo lapsis fatalibus suam sententiam exequi facere potest absque eo, quod super desertione pronunciet, si principaliter super desertione non adea-

adeatur,& à Iudice ad quem ne ad executionem procedat eidem non inhibeatur.

SVMMARIVM.

1 *APpellari potest à pronuncia desertionis.*
2 *Citatio partis requiritur ad executionem sententiæ ob lapsum fatalium, saltem vt cautius fiat, & est communis opinio, sed de magis communi numero seq. contrà.*
3 *Deserta causa appellationis, vt exequatur sententia, à qua fuit appellatum, non requiritur partis citatio secundum magis communem opinionem.*
4 *Exequi potest sententia Iudicis à quo absque eo, quod pronuncietur super desertione causæ appellationis iam introductæ.*
5 *Desertio causæ appellationis notoria dicitur, si ex actis liquet, & nulla probatione eget.*
6 *Desertionem causæ appellationis incidenter tantum Iudex à quo cognoscere potest, & eidem, ne ita etiam cognoscat, per Iudicem ad quem inhiberi valet.*
7 *Desertionis pronuncia omissa, Iudicis à quo sententia exequi potest.*

SINGVLARE XCII.

LApsis fatalibus eo quia causa appellationis fuerat quidem coram Iudice ad quem introducta, sed non prosequta, instabat appellatus coram me Iudice à quo fuerat appellatum, vt sententiam absque vlla pronunciatione desertionis executioni demandarem, ne iterum ab ipsa pronuncia desertionis pars prouocare posset,
1 & prout potest, ad ea, quæ inter alios dicit *Ruginel. de apell.* §. 11. *Glos.* 1. *cap.* 2. *de offic. & pot. Iud. appel. num.* 12. *vers. & quamuis.* Citata itaque parte ad videndum ipsam sententiam mandari exequi iuxtà
2 communem opinionem, quam refert *Rugin. vbi suprà num.* 26. & hoc saltem vt cau-
3 tius ageretur, vt ipse *Rugin.* præmittit *ex Hostien.* quicquid subdat postea in contrarium etiam de veriori, & magis communi opinione.

Dubitatum fuit an dictæ executioni esset locus, absque eo, quod super desertione pronunciaretur, stante maximè, quod de ipsa desertione erat aliqualiter inquiren-
4 dum, & sic notoriè de ipsa non liquebat, & ego tenui cum opinione communi, de qua testatur *Card. Alex. in cap. Ex ratione num.* 44. *vers. In contrarium*, scilicet quod non esset necessaria talis pronunciatio, non obstante, quod notoria ipsa desertio non videretur; tum quia *Card.* vbi suprà ge-
5 neraliter loquitur; tum quia desertio ex actis satis liquebat, & nulla probatione egebat, & sic notoria erat, vt notat *Rugin. vbi suprà num.* 39.
6 Cum itaque coram me non principaliter de desertione ageretur, quod fieri non potest, ad ea, quæ notat *Scac. de appell. quæst.* 11. *art.* 5. *num.* 158. Sed incidenter ex quo executio petebatur, & vlterius cum mihi per Iudicem ad quem inhibitum non esset, ne ad dictam executionem procederem, & prout inhiberi poterat, ad ea, quæ
7 pariter notat *Scac. vbi suprà nu. antecedenti* exequi mandaui prædictam meam sententiam iuxta ea, quæ pariter concludit *Scacc. citato art.* 5. vbi & ad partes materiam tractat.

ARGVMENTVM.

PRæscriptioni renunciatum censetur per pactum de semper, perpetuò, & quandocumque obseruando; si præscrptioni ex pacto renunciari potest.

SVMMARIVM.

1 *PRæscriptione vti potest quis non obstante pacto de semper, perpetuò, & quandocumque conuenta obseruando; sed contrà num. seq.*
2 *Præscriptione quis vti non potest, si fuit promissum semper, perpetuò, & quandocumque conuenta obseruare, & quarè.*
3 *Renuntiatio est stricti iuris, & non venit nisi verbis expressis, & maximè circà ius de futuro; sed declaratur vt num. sequenti* 5.
4 *Verba superflua esse non debent.*
5 *Renunciatio verbis generalibus inducitur etiam quoad ius de futuro, si verba illa alias superflua essent.*
6 *Perpetuum infinitum importat.*
7 *Præscriptioni secundum magis communem opinionem renunciari non licet, & quarè.*
8 *Præscriptio definitur, quod sit ius quoddam ex tempore congruens, legum auctoritate vim capiens, negligentibus pœnam inferens, & litibus finem imponens.*

SIN-

SINGVLARE XCIII.

1 PRæscriptione se defendens prætendebat illa se iuuare, non obstante quod promisisset conuenta semper, perpetuò, & quandocumque obseruare, & ad hoc deducebat ea, quæ latè cumulant *Gutierez de iurament. confirm. parte 3. Cap. 1. num. 9. & seqq. & Surd. decis. 2. pariter num. 9. & se-*
2 *quentibus*. Contrarium tamen tradentibus allegatis per *Ant. Gabr. lib. 5. com. concl. concl. 6. de præscript. num. 7.* Sentiebam cum istis, ex quo aliter illa verba, semper, perpetuò, & quandocumque superflua essent, cum simplex pactum de obseruando sufficiens esset prò tempore antece-
3 dente præscriptionem, & hoc non obstante etiam, quod renunciatio sit stricti iuris, & ideo non veniat nisi verbis expressis, & maximè circa ius de futuro, vt est præscriptio, ad ea, quæ deducit præcipuè *Surd.*
4 *vbi suprà*, quia cum dicta verba generalia non videantur posse verificari nisi in casu præscriptionis, ne superflua sint, contrà *l. Si*
5 *quando in princ. de leg. 1.* & prædicta operari debent, ad ea, quæ præcipuè habentur *in decis. 598. num 2. parte 3. Recens. seu parte 1. Posthum. collectarum à Farin.* Et ma-
6 ximè stante dicto verbo, perpetuum, quod infinitum importat, vt firmat *Grat. decis. March. 22. præcipuè, sub num. 9.*

Verùm mihi carum fuit ex alio capite causam expedire, quia maius dubium mihi videbatur, an posset pręscriptioni renun-
7 ciari, quod enim non liceat, tradit *Ant. Gabr. vbi suprà*, & citat inter alios *Maria. Iun. in cons. 145. num. 50. & seq. vol. primo*, testantem de magis communi, & meritò cum pacto priuatorum tolli non posse videatur id, quod ob bonum publicum est introductum, & prout est præscriptio, quæ secundum omnes, *vt notat. Surd. decis. 158.*
8 *num. 13.* definitur, quod sit ius quoddam ex tempore congruens, legum auctoritate vim capiens, negligentibus pœnam inferens, & litibus finem imponens.

ARGVMENTVM.

GAbella fauorabilis, & non odiosa est censenda, si publicæ vtilitati opituletur, & absque dubio, si de illius executione tractetur.

SVMMARIVM.

1 *GAbella dicitur odiosa.*
2 *Gabella est odiosa si tractetur, an sit imposita nec ne; fauorabilis autem, si de iam impositæ executione agatur.*
3 *Gabella fauorem publicum, & communem Ciuitatis vtilitatem respiciens, fauorabilis dicitur, & extendi debet.*
4 *Sententia lata contra Datiarios, & datium iam impositum à Principe, vel ex veteri consuetudine introductum, non est fauorabilis, sed contrà publicam vtilitatem.*
5 *Vectigalia imposita à Principe, vel ex veteri consuetudine introducta, dicuntur imposita ad vtilitatem publicam, & illorum conseruatio publicam Ciuitatis vtilitatem sapit.*
6 *Publica vtilitas, si discordat à priuata, est præferenda, siuè afferat suam vtilitatem in quolibet particulari, siuè non.*

SINGVLARE XCIV.

GAbellam fauorabilem, vel odiosam esse non vulgaris est quæstio, vtileque est hoc dignoscere. Quandoquidem ex regulis iuris est amplianda si fauorabilis,
1 restringenda si odiosa. Quod sit odiosa tenuerunt multi, quos cumulat *Gutierez de*
2 *Gabel. quæst. 6. nu. 4.* Vbi refert & de communi; verum ipse prò concordia opinionum distinguendo subdit, quod odiosa est censenda, si tractatur an Gabella sit imposita nec ne; fauorabilis autem, quando tractatur de iam imposita exequenda, ex subtilibus rationibus more suo adductis.

Vnde ita practicaui in facti contingentia, dum quærebatur, an quoddam factum in gabella iam imposita esset comprehen-
3 sum. Cum enim talis gabella fauorem publicum, & communem vtilitatem Ciuitatis respiceret, fauorabilis absolutè dicenda videbatur, & extendi debebat *l. Hoc modo in fine ff. de cond. & demon; & latè Boro. cons.*

4 *conf. 137, num. 29. & seqq. vol. 3.* vbi dicit, quod sententia lata contra datiarios, vel datium impositum à Principe, vel introductum ex veteri consuetudine, non est fauorabilis, sed contra publicam vtili-
5 tatem, quia vectigalia ita imposita dicuntur imposita ad vtilitatem publicam, & illorum conseruatio publicam Ciuitatis vtilitatem sapit. Tantoque magis ita iudicaui, quanto credidi absolutè gabellas fauorabiles esse, si re vera publicæ vtilitati
6 suffragentur, & prout suffragabantur in casu prædicto, cum publica vtilitas, quæ discordat à priuata, sit præferenda, siue afferat suam vtilitatem in quolibet particulari, siue non, *Glos. in verbo, Et publicè interest, siue, Et Reipublica interest, & ibi Adden. margin. in l. 1. ff. sol. matrim.*

ARGVMENTVM.

VXor bona mariti pro suis dotibus non potest retinere, si easdem suas dotes habuit in bonis inæstimatis, quæ constituunt fundum dotalem, & de ipsius fundi legitima alienatione non docetur.

SVMMARIVM.

1 *VXor retinere potest omnia bona mariti defuncti, donec de suis dotibus sit satisfacta.*

2 *Vxor in bonis mariti habens hypothecam anteriorem prò suis dotibus præfertur in retentione eorundem bonorum, & etiam in Saluiano.*

3 *Vxor, durante hypotheca, bonis hypothecatis priuari non valet.*

4 *Vxor, si retineat bona sibi hypothecata prò restitutione dotis, potest solùm cogi ad præstandum patientiam, vt possint subastari, vt sibi ex retractu dos soluatur, & quod superest creditoribus posterioribus remaneat.*

5 *Fundus dotalis dicuntur bona in dotem data inæstimata.*

6 *Fundi dotalis dominium mortuo viro ipso iure plenè ad vxorem reuertitur.*

7 *Hypotheca genralis cessat, quando adest specialis.*

8 *Fundus dotalis alienari non potest nec etiam per maritum cum consensu vxoris.*

9 *Vxor prò restitutione suę dotis solùm ad fundum dotalem agere potest, & non ad alia bona.*

10 *Obligatio omnis tollitur ex satisfactione debiti.*

11 *Hypotheca etiam cessat ex satisfactione debiti, qua omnis obligatio tollitur.*

SINGVLARE XCV.

1 PRætendente vxore retinere omnia bona mariti defuncti donec, & quousque de suis dotibus esset satisfacta, ad ea, quæ tradit *Grat. discet. foren. cap. 961. nu. 7.* Opponebant nonnulli creditores agentes ex Saluiano prò quodam corpore ipsis specialiter hypothecato, quod dictæ retentioni non erat locus, quia multa alia bona vxori remanebant, ex quibus satisfieri poterat.

2 Verùm cum ipsa esset anterior creditrix, & creditrix pariter hypothecaria, non videbatur quarè non esset præferenda in eodem corpore ex Saluiano per *l. 2. ff.*
3 *Qui pot. in pign. hab.* Et in eiusdem retentione ex hypotheca, qua fit, vt ipsa hypotheca durante, ab ipsa vxore auferri non valeant bona hypothecata, ad ea quæ notat *Grat. vbi suprà*, & passim tradunt Do-
4 ctores, qui ad summum dicunt vxorem non debere quidem dimittere bona prædicta, sed tantum cogi posse ad præstandam patientiam, vt possint subastari, vt sibi ex retractu dos soluatur, & si quid superest cedat in vtilitatem posteriorum creditorum, vt pariter notat *Grat. vbi suprà cap. 941. num. 8.*

5 Deferebam itaque vxori, quando animaduerti, quod eius dotes consistebant in bonis datis inæstimatis, & sic prò fundo dotali, ad ea, quæ habentur in *decis. 23.*
6 *post. Statil. de salu.* Cum enim fundi dotalis dominium ipso iure mortuo viro plenè reuertatur ad ipsam vxorem *l. In rebus Cod. de iure dot. Ludouic. decis. Perus. 61. num. 9.* sequebatur, quod iam haberet quod sibi debebatur, vel quod per ipsam staret quin
7 haberet, & sic non videbatur locus, quarè alienum retinere deberet. Si enim cessare debet hypotheca generalis, quando adest specialis, ad *Rotam coram Seraph. decis. 383. num. 1.* Multò magis quando adest ipsa res, ob quam datur hypotheca,

O fundus

fundus scilicet dotalis, qui nec alienatus
8 præsumi poterat, cum alienari non possit ad *Rotam vbi suprà decis.* 569. *num.* 2. Nec etiam à viro cum consensu vxoris, *Rota inter recens. parte* 2. *decis.* 619. *num.* 1. et si alienatus fuisset recuperari valebat, vel saltem ostendi debebat, quod legitimè alienatus fuisset, & quod propterea recupera-
9 ri non posset, cum vxor prò restitutione suæ dotis solum ad fundum dotalem agere possit, & non ad alia bona, ad ea quæ congerit *Grat. vbi suprà cap.* 489. *num.* 1. *&* 7.

Constito itaque ex abundanti, quod inter alia bona vxor & fundum prædictum retinebat, & quod re vera petebat quod intus habebat, & de quibus iam erat satis-
10 facta, cum ex satisfactione debiti tollatur omnis obligatio, *Inst. Quib. mod. toll. oblig.*
11 *in princ.* Et per consequens etiam hypotheca *l. Item liberatur ff. de pignor. vbi & Glos.* Detuli creditoribus, & ad eorum fauorem pronunciaui.

ARGVMENTVM.

Foemina etsi nupta extra familiam est admittenda ad annuos redditus ipsis de familia relictos, & indubitanter si iam est vidua.

SVMMARIVM.

1 *Foemina extra familiam nupta potest participare de annuis redditibus ipsis de familia relictis.*
2 *Fœmina extra familiam nupta appellatione proximiorum de familia non venit, sed contrà.*
3 *Fœmina non potest negari, quod non sit de familia, & de domo.*
4 *Fœminis non conseruatur, sed finitur agnatio.*
5 *Fœminæ sunt de agnatione.*
6 *Mulier nupta potest dici, quod non sit de familia Patris, sed viri.*
7 *Fœmina iam extrà familiam nupta, si est vidua cessat omnis scrupulus, quod ipsa non sit de familia Patris, & quod indistinctè non sit admittenda ad iura familiæ eiusdem.*

SINGVLARE XCVI.

1 Foeminam extra familiam nuptam posse participare de quibusdam annuis redditibus, illi de familia relictis tenui, per ea, quæ tradit *Rota in Recens. parte* 2. *decis.*
2 282. *nu.* 2. Quamuis enim *Seraph. decis.* 848. *num.* 3. referat plures numero Doctores tenentes fœminam extrà familiam nuptam appellatione proximiorum de fami-
3 lia non venire, tamen de illis curandum non est, vt habetur in *Addit. ad decis.* 293. *Ludouis. sub num.* 23. vbi & aliæ decisiones adducuntur, quæ vt supra firmant. Vltra quod *Seraph.* quamuis plures in contrarium adducat, tamen in fine dicit, quod articulus est satis dubius, & quod adsunt Doctores hinc inde de communi testantes. Et quidem Rotæ opinio optima ratione suadetur, si consideretur, quod non potest negari, quod fœmina non sit de familia, & de domo, vt clarum dicit eadem *Rota allegata decis.* 282. *num.* 1. *parte* 2. *Re-*
4 *cens.* Quamuis enim in fœminis non conseruetur, sed finiatur agnatio, ad ea quæ cumulantur in *decis.* 127. *Osasch. num.* 4.
5 tamen non inde fit, quod fœminæ dum viuunt de agnatione non sint, vnde & in eadem *decis. Osasch.* ab aliquibus existimabatur, quod durante vita illius fœminæ, de qua in simili casu in ipsa decisione tractabatur, ipsa fœmina de æquitate esset admittenda ad hæreditatem, restituendam postea agnatis masculis, vt videre est *num.* 9. in quo tamen contrarium fuit resolutum.

Non obstante tamen *dicta decis. Osasch. vt suprà*, iudicaui indubitanter, & per supradicta, & quia fœmina, de qua tracta-
6 batur iam erat vidua. Quamuis enim mulier nupta possit dici, quod non sit de familia patris, sed viri, ad ea, quæ notantur *in d. decis. Osasch. sub num.* 1. tamen hoc ces-
7 sare videbatur ipso viro mortuo, cum eueniente tali casu, dum fœmina est vidua, cesset omnis scrupulus, quod non sit de familia patris, & quod indistinctè non sit admittenda ad iura illorum de familia, per ea, quæ in terminis fideicomissi notantur *in dicta decisione* 282. *partis* 2. *Recens. sub num.* 2. *in fine.*

AR-

ARGVMENTVM.

EMptor, qui de euictione non potest agere, valet saltem petere quod res libera sibi tradatur, & interim venditori pretium soluere non tenetur.

SVMMARIVM.

1 *EVictionis fideiussio non est præstanda, nisi in limine contractus ipsa euictio immineat, vel aliter sit conuentum.*
2 *Euictionis fideiussionem non tenetur venditor de iure dare, nisi lis sit mota.*
3 *Euictionis fideiussio peti non potest, si euictionis periculum de tempore contractus imminebat, sed declara vt infrà num. 6.*
4 *Emptor, qui de euictione agere non valet, rem liberam sibi tradi petere potest.*
5 *Aequa exceptio admitti debet.*
6 *Fideiussio euictionis peti non potest, si euictionis periculum de tempore contractus imminebat, & ad notitiam emptoris erat.*
7 *Ignorantia, & non scientia præsumitur.*
8 *Venditor, vt doli præsumptionem effugiat, notificare debet emptori, quod res non est libera.*

SINGVLARE XCVII.

INstabat venditor non esse audiendum emptorem, qui residuum pretij soluere recusabat, nisi prius de euictione sibi cautum
1 esset. Dicebat enim fideiussionem de euictione non esse præstandam nisi in limine contractus ipsa euictio immineat, vel aliter actum sit, ad ea quæ notat *Rom. cons.* 8.
2 *nu.* 3. & ibi post ipsum *Mandos.* in verbo, *Immineat*. De iure enim lite non mota venditor non tenetur cauere emptori cum fideiussoribus de euictione, *vt tradit Vrsil. ad decis.* 171. *Afflicti sub num.* 3. & tantò
3 magis id ipse venditor prætendebat, quantò periculum euictionis, de qua timebat emptor iam aderat de tempore contractus, & sic vdebatur, quod sibi imputare deberet, & non postea fideiussorem petere, per ea, quæ tradit *Faber. in suo Codice Fabriano lib.* 8. *tit.* 31. *de euict. de fin.* 11. *num.* 5.

In contrarium tamen teuui, ipsumque emptorem facto deposito ad probandam talem exceptionem admisi, quia nec se restrinxerat ad petendam fideiussionem de euictione, sed simpliciter instabat, quod sibi caueretur, allegando inopiam venditoris, & quod res empta erat iam antea alteri obligata, & sic petebat tacitè, quod saltem res libera sibi tradderetur, quod potest
4 emptor petere, quamuis de euictione agere non valeat, *Osasch, decis. Pedemont.* 24. *num.* 4. *vbi num.* 7. sequenti dicit etiam, quod id procedit, etiamsi res non esset alteri obligata, sed aliquo modo ad tertios possessores deuenire posset, ea potissimum ratione, quod id æquum sit, & propterea
5 admittendum, cum exceptio æqua admitti debeat *l. Qui æquitate ff. de exceptione doli*.
6 Nec mihi visum fuit obstare, quod de tempore contractus tale periculum extaret, quia non constabat, quod ad notitiam ipsius emptoris fuisset, & prout supponit,
7 & idem Faber loco citato. Ignorantia enim, & non scientia præsumi debet, *Mascard. de probat. concl.* 881. *num.* 1. & 2. & maximè
8 in hoc casu, in quo venditor emptori tenebatur notificare, quod res non erat libera, vt doli præsumptionem effugeret, ad ea quæ habentur in *dicta decis. Pedemont.* 24. *num.* 2. *vers. In contrarium*.

ARGVMENTVM.

FIdeiussor contractus non potest nomine proprio appellando executionem retardare, si suam promissionem in iudicio fecit, vel ratificauit, nec minus nomine principalis, si materia sit inappellabilis.

SVMMARIVM.

1 *FIdeiussor nomine proprio debet appellare à grauamine quod suam promissionem tangit, & nomine principalis a grauamine, quod ipsius debitum respicit.*
2 *Creditor petens executionem instrumenti contrà fideiussorem, non est necesse, quod doceat de debito principali.*
3 *Instrumentum quarantigiatum, & instrumen-*

mentum iuratum habet executionem paratam.

4 *Fideiussor contractus non potest executiuè cogi ad soluendum, si in iudicio non promisit, & quarè.*

5 *Promissio facta in iudicio dicitur Iudici, vt Iudici totaliter liquida, & executioni demandari debet.*

6 *Fideiussor contractus executiuè potest cogi ad soluendum, si in iudicio suam promissionem ratificauit.*

SINGVLARE XCVIII.

APpellante fideiussore, seù sponsore ab executione contrà se ipsum commissa quærebatur an eidem esset deferendum: & videbatur quod non, quia nomine proprio appellauerat, & prætensum grauamen non factum suum, sed factum principalis respiciebat. Difficultas enim, quam
1 registrat *Scaccia de appell. lib. 3. cap. 2. quæst. 5. num. 31*. an scilicet fideiussor debeat appellare nomine proprio, vel nomine principalis, terminanda videtur cum distinctione, quod scilicet appellet nomine principalis, quando grauamen versatur circa debitum ipsius principalis; nomine autem proprio, quando tangit suam promissionem, & ita ni fallor colligitur ex iuribus, & auctoritatibus per ipsum adductis, & ex traditis per *Nattam conf. 262. num. 8.* ad
2 probandum, quod creditor petens executionem instrumenti contrà fideiussorem, non est necesse, quod doceat de debito principali.

3 Verùm insistente ipso appellante prò admissione appellationis, ex quo instrumentum suæ promissionis, nec quarantigiatum, nec iuratum, nec tali obligatione vallatum erat, quod, præcipuè per ea, quæ tradit *Salust. Tiber. in pract. iud. lib. 1. cap. 39.* executionem paratam induceret, quamuis materia, de qua tractabatur, respectu principalis satis superque executiua esset, videbatur contrarium resoluendum, cum hoc attento, ipse fideiussor circa suam promissionem grauatum se posset dicere, ex quo executiuè tractabatur, cum ordinariè videretur tractandus.

Tenui, quod resolutio penderet ex celebri in tali materia *Consilio Surdi 271.* incipiente *Franciscus de Indusia*, in quo præ-
4 cipuè *sub num. 38.* firmatur, quod fideiussor contractus non potest executiuè cogi ad soluendum, si non promisit in iudicio, quia promissio, quæ fit in contractu est
5 promissio extraiudicialis, & executionem non meretur, ex quo debitum non potest dici Iudici, vti Iudici totaliter liquidum, prout esset, si coram ipso fuisset promissum, vel aliter ex qualitate instrumenti iurati, aut alias à lege roborati, debitum prò tali haberetur.

6 Quia tamen ipse fideiussor ne dum in contractu, & sic extraiudicialiter fassus fuerat, sed etiam in Iudicio conuentus idem tacitè ratificauerat, dum excipiendo solum dixerat fuisse solutas ad computum nonnullas summas, de quibus non apparebat, appellationem per supradicta quoad effectum suspensiuum non admisi; tum quia nomine principalis debuisset appellare, cum de meritis causæ, & sic non de sua promissione actum esset; tum etiam quia etsi ita appellatum fuisset ad effectum suspensiuum, non profuisset, cum materia inappellabilis esset, & sic data, prout iam ordinaueram, per Creditorem fideiussione de restituendo in casu succumbentiæ, ad vlteriora in executione processum fuit.

ARGVMENTVM.

FIdeiussor tenetur etiamsi principalis sit tantum naturaliter obligatus, & maximè si posteà idem principalis ciuiliter etiam se obligauerit, multoque fortius si ipsam fideiussionem expressè ratificauerit.

SVMMARIVM.

1 *Fideiussor, principali non obligato, obligatus dici non potest.*

2 *Fideiussor vt obligatus sit, sufficit naturalis obligatio principalis.*

3 *Fideiussio tenet etiamsi principalis posteà se obligauerit, & maximè si ipsam fideiussionem expressè ratificauerit.*

4 *Sta-*

4 *Statuti formam qui non seruat, eiusdem statuti beneficio vti non potest.*
5 *Forma statuti in aliquid faciendo non seruata, statutum ipsum non prodest.*
6 *Principalis sui excussio per fideiussorem opposita omitti potest, si notoriè frustratoria appareat.*
7 *Fideiussor opponens excussionem principalis notoriè frustratoriam audiri non debet, maximè si sola facti veritate inspecta procedatur.*

SINGVLARE XCIX.

QVidam fideiussor instabat vel non molestari, quia principalis non se obligauerat, vel prius principalem ipsum excuti, quia statutum ita mandabat, non obstante, quod obligatio fideiussoris vti principalis, principaliter, & in solidum facta fuisset. Vtrumque tamen denegandum duxi, & prout denegaui.

1 Quo enim ad primum, etsi principale non obligato nec fideiussor obligatus dici possit, vt notat *Maur. de fideiussor. parte 2. princip. sect. 1. cap. 1. per totum, & cap. 2.*
2 *in princ.* tamen sufficit quod principalis sit obligatus naturaliter, vt tradit *idem Maur.*
3 *dicto cap. 1. nu.* 3. & prout erat ille, de quo tractabatur, & qui se obligauerat etiam ciuiliter post fideiussorem, ratificando etiam eius obligationem, quo casu tenet fideiussio, maximè sic expressè ratificata, vt omnia diligenter aduertit *idem Maur. dicto cap. 2. per totum.*

Quo verò ad secundum, statutum non intrabat, quia eius forma seruata non fue-
4 rat in opponendo excussionem, & in faciendo depositum debito tempore; qui enim formam statuti non seruat, eius beneficio vti non potest, ad tradita per *Rotam*
5 *Bonon. de stat. decis.* 122. *num.* 1. & per *Marcabr.* in terminis talis statuti, *Cons.* 104.
6 *num.* 60. Vltra quod talis excussio poterat omitti tanquam frustratoria, cum esset notorium ipsum principalem esse forensem, & absentem, nihilque in loco iudicij possidere, ad allegata per *Maur. vbi supra, sect.*
7 *6. cap. 3. nu.* 158. *& seq. &* 175. *& seq.* & maximè cum iudicium sola facti veritate inspecta fieret, vt præmittit idem *Maur. dicto cap. 3. num.* 11. & quo solo inspecto, & prima obiectio, deficientiæ scilicet obligationis principalis, saltem naturaliter obligati, omnino sublata videbatur.

ARGVMENTVM.

POnens fatetur omnia contenta in positionibus agendo, secus autem excipiendo.

SVMMARIVM.

1 *Ponens omnia in positionibus narrata fatetur; declara tamen vt num. 5. sequenti.*
2 *Confessio facta in positionibus plenè probat.*
3 *Facta verbis anteponuntur.*
4 *Factum si verbis seu scriptura contradicit, plus valet quod actum, quam quod dictum est, vel scriptura continetur.*
5 *Ponens fatetur omnia contenta in positionibus, agendo, secus autem excipiendo.*
6 *Actore non probante Reus absolui debet, etiamsi ipse Reus nihil probet.*

SINGVLARE C.

1 CVm ponens omnia in positionibus narrata fateatur, ad ea, quæ pluries dixit *Rota, & præcipuè coram Ludouis. decis.* 385. *num.* 3. prætendebat quidam Actor, qui nihil probauerat, suam intentionem fundare in positionibus per Reum exciendo datis, quasi quod illam in eisdem
2 positionibus exprimendo fassus fuisset, & sic cum confessio facta in positionibus plenè probet, ad tradita per *Rotam coram eodem Ludouis. decis.* 408. *num.* 1. iuxta eandem condemnandus veniret.
3 Verùm suadente in contrarium ratione, quæ est, quod facta verbis anteponantur, *Menoch. de præsumption. lib. 3. præsumptione*
4 1. *num.* 83. cum quando factum verbis, seu scripturæ contradicit, plus valeat quod actum, quam quod dictum est, vel scriptura continetur, ad ea, quæ tradit *Mantic. de tacit. & ambig. lib. 6. tit. 11. num.* 8.
5 Tenui contrarium, ex quo Reus ipse non ob aliud litigabat, nisi vt eiusdem Actoris in-

intentionem excluderet, illam ex diametro impugnando. Quicquid ergo esset de regula prædicta quoad Actorem (cum ponens fateatur omnia contenta in positionibus agendo, secus autem excipiendo) non attendendam dixi in Reo, & prout attendendam non esse tradit *Maranta* in suo speculo *aur. parte 6. tit. de Posit. seu Art. prod. num. 9. per Gloss. in l. si quidem, vers. Contestatione, Cod. de except. Gloss. & Bart. in l. non utique ff. de Except. & alia per ipsum adducta*, & sic iuxtà aliam iuris regulam
6 qua fertur, Actore non probante Reum esse absoluendum, etsi nihil ipse probet, *l. Qui accusare, Cod. de Eden.* eundem Reum absolui, & liberaui.



SINGV-

SINGVLARIVM CANONICORVM ANTONII DE POSSENTIBVS FABRIANENSIS

CENTVRIA SECVNDA.

ARGVMENTVM.

ADhærens parieti exteriori Ecclesiæ gaudet immunitate Ecclesiastica.

SVMMARIVM.

1 *Spatia immunia circum circa Ecclesias non sunt amplius in vsu.*
2 *Paries exterior Ecclesiæ gaudet immunitate.*
3 *Religiosa sunt censenda, quæ religiosis adhærent.*

SINGVLARE CI.

Qvamuis articulus iste sit valdè dubius, & videatur dicendum, quod talis ad-
1 hærens non gaudeat, quia cum spatia immunia circum circa Ecclesias amplius non sint in vsu, vt testantur *Igneus lib. 1. ff. ad Senatus consul. Syllanian. num.* 58. *Couar. lib. 2. var. resol. Cap.* 20. *num.* 5. *& alij relati per Gambacurt. de immun. Eccl. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 15. vtique ipse adhærens non videtur in loco immuni, & sic Ecclesiastica immunitate minimè suffultus.

2 Tamen cum alias contrarium contrà me Iudicem secularem agentem fuisset decisum cum *Io. Franc. Leone in Thes. fori Eccl. parte 1. de immun. Eccl. cap.* 13. *num.* 12. *Aloysio Riccio in praxi tom.* 3. *resol.* 560. *num.* 8. *& Diana resol. mor. parte 3. tract.* 1. *de immun. Eccl. resol.* 73. *ac alijs*, nolui amplius iudicium experiri, captumque rursus taliter adhærentem Ecclesiæ restitui mandaui, persuasus præcipuè, quod negari non possit, quod talis adhærens sit in loco sacro, saltem prò parte, qua locum sacrum tangit, & maximè ratione stillicidiorum. Vltra quod potest etiam dici quod sit in loco immuni, ex quo est in loco im-
3 mediatè adiacenti cum quæ religiosis adhærent religiosa sint censenda *l. Pateant Cod. de his qui ad eccles. confug. & l. Quæ Religiosis ff. de rei vendic.*

ARGVMENTVM.

REus in iudicio iuratus tuta conscientia delictum patratum negare non potest, si iuridicè interrogetur.

SVMMARIVM.

1 *Rei passim in omnibus iudicijs, & per totum Orbem negant crimina commissa, iuramento eis delato minimè obstante.*
2 *Testes consanguinei, & affines non coguntur testificari contrà sibi coniunctos vsque ad quartum gradum, & sic multò minus Rei contrà se ipsos.*
3 *Rei iurando possunt vti restrictione mentali in casibus, in quibus negato crimine est spes euadendi pœnam aliquam grauem.*
4 *Rei in iudicio iurati tenentur veritatem fateri, si iuridicè interrogentur.*
5 *Reus quomodo iuridicè interrogatur.*

SINGVLARE CII.

1 PAssim Rei in iudicio iurati negant crimina, de quibus sunt inquisiti, & veritas ab ore ipsorum magis tormentorum dolore, quam iuramenti formidine elicitur, hocque per totum Orbem practicari in omnibus iudicijs testatur *Spatarius in*

in metho. corrig. regul. tract. 9. cap. 7. & & 9. ea potissimum ratione secundum *Sanctum in select. disput. 43. num. 29. & sequentib.* quod
2 sicut *ex l. 4. de testibus*, nemo tenetur testari contrà consanguineum, & affinem intrà quartum gradum, ita multò minus possit quis cogi ad testificandum contrà se ipsum, nec desunt Auctores graues, & docti,
3 qui defendunt, ita posse fieri absque peccato mortali, si Rei non iurent simpliciter de veritate dicenda, sed restrictione mentali vtantur in casibus, in quibus negato crimine sit spes euadendi grauem pœnam, quæ immineat, vt omnia epilogando eleganter deducit *Eligius Bassęus Capuccinus in suo luculentissimo tractatu florum totius Theologiæ practicæ tit. Reus num. 4.*

Verùm contrarium expertus in quodam inquisito, qui citatus nolebat comparere, & potius qamcumque pecuniarum
4 summam prò compositione offerebat, ex quo tanquam iuridicè interrogandus ex voto cuiusdam congregationis Theologorum per ipsum requisitorum se obligatum credebat ad veritatem dicendam, non obstantibus contrarijs prædictis, quibus aduersatur communior sententia *S. Thomæ*, & aliorum, vt refert idem *Bassęus vbi suprà num. 3.* Expertus inquam, & admiratus eiúsdem inquisiti timoratam conscientiam dedi manus, quod componeretur, prout se composuit, notabilem pecuniæ quantitatem fisco exbursando, quamuis alias simplici negatione ab omnibus quam facillimè posset se subtrahere tuta, tranquillaque conscientia, per supra allegata,
5 & etiam quia cum Iudici iuridicè non interroganti Reus non teneatur veridicè respondere, vt volunt omnes, certum videtur, quod iuridicè ipse Iudex cum iuramento interrogare non possit, nisi quando delictum est, vt ita dicam, plenè probatum, ne nimis rigorosè, immò rigorosissimè, ipsis scilicet infinitis pœnis inferni (quibus iuramento astringimur) extorqueat adhuc dubius illam veritatem, quæ solum per modum indiciorum verbis, & tormentis est indaganda, ad *Clar. lib. 5. §. fin. pract. crimin. quæst. 64. num. 30. 31. & 32.* & ad tradita per dictum Bassęum, & per Spatarium, qui etiam respondet contrarijs.

ARGVMENTVM.

PVpillo laico benè videtur assignatus tutor, & curator per Iudicem Ecclesiasticum.

SVMMARIVM.

1 *Pupilli habent electionem fori.*
2 *Curator non potest dari non subdito; sed limita vt num. seq.*
3 *Curator potest dari à Iudice Ecclesiastico pupillo laico, & à Iudice laico pupillo clerico in litibus tantum, quæ coram ipsis respectiuè vertuntur.*
4 *Tutoris, & curatoris assignatio principaliter ad Ecclesiam spectat.*
5 *Pupillus vt forum possit eligere non requiritur, quod sit pauper.*
6 *Pupillus etiam diues dicitur miserabilis, immò est miserabilior, quam pupillus pauper, & forum sibi potest eligere.*

SINGVLARE CIII.

ASsertus Procurator quorundam Pupillorum coactus ad instantiam partis aduersæ de mandato docere, docuit se alias fuisse deputatum dictis Pupillis in curatorem ad lites à Iudice Ecclesiastico, & sic institit admitti vel ex eo, quod Iudex Ecclesiasticus prædictum actum absolutè facere possit, vel saltem quod illum face-
1 re possit respectu Pupillorum, qui habent electionem fori ex *l. Vnica Cod. Quando imp. inter pup. & vid.* & possunt conuenire laicos coram Iudice Ecclesiastico, ad tradita per *Menoch. de arbit. cas. 66. num. 27.*

Primum caput inualidum reputaui,
2 quia est regula generalis, quod curator non potest dari non subdito *l. 1. Cod. Vbi petantur tut. Galganet. de tutel. lib. 1. cap. 6.*
3 *num. 4. & 8.* Et licet hoc facere Iudici Ecclesiastico in laicum, & laico in clericum tantum in litibus, quæ coram ipsis respectiuè vertuntur, *Bart. l. 1. vers. Venio ad secundum ff. de tut. & curat. dat. ab his, Rota de Iudicijs decis. 14. alias 207. num. 1. in antiquis, & eodem tit. in antiquioribus decis. 5. per totam.*

Secundum autem caput videbatur valdè considerabile ex dispositione dictæ le-

cap.

gis Vnicæ, & maximè cum in tali assignatione curatoris tractaretur de protectione,
4 & defensione pupillorum, qui nec etiam habebant tutores, & sic principaliter ad Ecclesiam hæc assignatio spectare videbatur, *cap. 1. & 2. distin. 87. & dixit Glos. in cap. significantibus de off. deleg. in verbo Pauperem*. Licèt enim ex aduerso replicaretur, quod ad hoc, vt pupillus possit forum eligere, debeat esse & pauper, vt sit persona miserabilis, cui dicta *l. Vnica* suffragatur, & vt in dicto *cap. significantibus* statuitur, tamen respondebatur, & satisfiebat huic motiuo per doctrinam *Menochij*,
5 *de arbitr. iud. cas. 66.* vbi in terminis *dicta l. Vnica firmat*, quod qualitas paupertatis non requiratur, & quod pupillus etiam
6 diues, quoad fori priuilegium, sit persona miserabilis, subdens *sub num. 11.* vbi contrarium tenentes reprobat, quod immò est miserabilior, quam sit pupillus pauper, cum diuites maiores patiantur insidias, & respondens *sub num. 12. ad. dict. cap. significantibus*.

Verùm quia & huic secundo capiti videbatur obstare supradicta doctrina *Bart. in l. 1. ff. de tut. & cur. dat. ab his*, & allegata circa priuilegium fori, tanquam materiæ contentiosæ non videbantur in terminis casus, de quo tractabatur, quamuis ego crederem, quod si pupillo licet sibi eligere Iudicem in materia contentiosa, à fortiori hoc eidem liceat in materia voluntaria, tamen ad maiorem cautelam mandaui suppleri per cautionem de rato ad formam statuti Ciuitatis, in qua ius reddebam, & quo mandabatur, quod in dubijs mandatorum ita suppleretur, & pròut per eundemmet procuratorem suppletum fuit.

ARGVMENTVM.

DEcimæ noualium debentur parochiæ, etiamsi generaliter decimę alteri ex priuilegio fuerint assignatæ.

SVMMARIVM.

1 *PArochia quoad decimas habet intentionem fundatam.*

2 *Priuilegiatus in præiudicium tertij non extendit priuilegium ad futura.*

3 *Priuilegium, quatenus præiudicium tertij concernit, est restringendum.*

SINGVLARE CIV.

CVidam monasterio agenti ad exactionem decimarum quorundam noualium, tanquam priuilegiato in iure decimandi, dixi non licere, quia priuilegiatus in præiudicium tertij, prout erat dictum
1 monasterium respectu parochiæ, quæ circa decimas habet intentionem fundatam *cap. cum contingat, vbi Glos. & Doctores de*
2 *decim.* non extendit priuilegium ad futura
3 *Clem. fin. de rescript.* ex quo priuilegium, quatenus præiudicium tertij concernit, restringi debet *cap. Olim, de verb. signif.* & sic ex prædictis, alijsque traditis per *Rebuffum de decim. quæst. 14.* Decimas prædictas parochiæ soluendas iudicaui.

ARGVMENTVM.

EPiscopi, seù alij superiores Ecclesiastici non debent concedere facultatem examinandi vulneratos in locis immunibus, quando contrà vulnerantes pœna sanguinis imminet.

SVMMARIVM.

1 *IRregularitas ex capite lenitatis incurritur non solùm à Iudice ferente sententiam sanguinis, sed etiam ab omnibus cooperantibus.*

2 *Irregularitatem euadendi causa in quocumque dubio facti, ob quod ipsa incurritur, debet, quis ob periculum errandi se ab opere abstinere.*

3 *Protestatio contraria facto nihil releuat.*

SINGVLARE CV.

VTi Iudex secularis passim obtinueram facultatem examinandi vulneratos in locis Ecclesiasticis ab omnibus Episcopis, à quibus illam petieram, etiam in causis, in quibus poterat tractari de pœna sanguinis, cum reseruatione tamen, quod ipsi non intendebant illam concedere nisi ad effectum, vt constaret de corpore delicti,

& vt posset generaliter inquiri, ne (vt credo) alias in irregularitatem incurrerent,
1 quæ incurritur secundum omnes Theologos, & Canonistas ex defectu lenitatis nedum à Iudice ferente sententiam sanguinis, sed & ab omnibus cooperantibus, vt dicit *Marchin. de Sacram. Ordinis tract. 1. parte 8. de impedimentis ex delicto cap. 5. nu. 12.* & colligitur ex *cap. Aliquantos 51. dist. & cap. Clericis, & cap. Sententiam tit. ne Cleric. vel Monac. cum similibus*: vel saltem vt dubium eiusdem irregularitatis
2 euaderent, cum in quocumque dubio facti ob quod incurritur irregularitas, debeat quis ob periculum errandi se ab opere abstinere, *Marchin. vbi suprà parte 10. de imped. ex defect. cap. 1. num. 11.*

Verùm petita à quodam oculatissimo Antistite, in casu, in quo pœna sanguinis veniebat, illam concedere recusauit ex pluribus resolutionibus, quas emanasse asserebat à S. Congregatione super immunitate. Illas ego non vidi, sed considerans postea credidi non posse concedi. Quicquid enim sit de visitatione cadaueris, & quod vulgo dicitur, *del visum, & repertum*, quod passim permittitur, & permitti debet, cum sit actus remotissimus ad ea, quæ notat *Genuen. in praxi Archiep. Neap. cap. 34. num. 10.* non debet extendi ad examen vulnerati, quia illa reseruatio ad effectum inquirendi generaliter, potest saluari in visitatione cadaueris, quod non loquitur, & sic non potest subministrare inditia ad inquisitionem particularem, proùt saluaretur etiam si concederetur tantum visitari vulneratum, vt scilicet de vulneribus, & sic de corpore delicti tantum constaret; sed in examine esset reser-
3 uatio contraria facto, contra ea, quæ præcipuè notantur in *cap. Cum M. Ferrariensis extra de const.* cum non possit esse, quod quis examinetur, & aliqua indicia particularia non subministret, vel saltem valdè periculosum sit quod hoc non faciat.

Ex his itaque Iudex Ecclesiasticus effectus & ego in similibus casibus talem licentiam concedere nolui, etiam ex ijs, quæ latè postea scripsit *Sperell. decis. 51.* per totam, in qua ex alijs capitibus licentias examinandi vulneratos, & etiam visitandi cadauera in locis immunibus concedi non posse firmat ex resolutione etiam S. Congregationis, quam registrat non obstante consuetudine in contrarium; & de qua in principio mentionem facit.

ARGVMENTVM.

Patrimonij clericalis alienatio sine licentia Episcopi fieri non debet, facta tamen tenet, si clericus congruam sustentationem habet.

SVMMARIVM.

1 *Patrimonium an absque licentia Ordinarij alienari possit, valdè inter se Doctores controuertunt.*
2 *Patrimonium potest alienari sine licentia, quando alienanti superest congrua sustentatio.*
3 *Patrimonium absque licentia absolutè alienari non potest.*
4 *Episcopus dans licentiam alienandi patrimonium tenetur clericum alienantem alere, si ipse non habet vnde se alere possit.*
5 *Episcopus in pluribus casibus non tenetur alere clericum, qui de sui licentia patrimonium alienauit, etiamsi non habeat vnde se alere possit.*
6 *Iudex nemo debet esse in causa propria.*
7 *Patrimonium alienans absque licentia Episcopi, per ipsum Episcopum puniri potest.*

SINGVLARE CVI.

1 Ardua est quæstio inter Doctores, an ordinatus ad titulum patrimonij possit illud sine licentia sui Ordinarij alienare, & iam inter se ita dissenserunt, quod *Hieronym. de Caual.* potuerit eandem quæstionem connumerare inter suas communes opiniones contra communes, vt est videre sub *quæst. 527.* vbi re de iure sic re-
2 lata subdit, quod quæstio terminata remanet per *Sacrum Conc. Trid. cap. 2. sess. 21.* ponendo *ipse de Caual.* prò regula, quod absque licentia Episcopi non possit dicta alienatio fieri, & excipiendo postea, quod possit, quando is, qui alienare intendit, habet aliunde congruam sustentationem.

3 In

3 In contrarium tamen, quod scilicet non possit absolutè, tradit inter alios *Marchin. de Sacram. ord. tract. 2. parte 6. cap. 7. difficul. 9. num. 12.* & quamuis fundamentum principale, quod ipse adducit dicendo, quod verba Concilij alias essent superflua, ex quo si non verificarentur in casu, in quo alia sustentatio superuenisset, non possent aliter verificari, cum clerico
4 aliter non prouiso non liceat Episcopo licentiam alienandi patrimonium concedere, nisi velit ad ipsum alendum teneri: Quamuis, inquam, fundamentum prædictum corruat, per ea, quæ notat *Garc. de benef. parte 2. cap. 5. num.*
5 187. *& seq.* vbi plures casus enumerat, in quibus etiam aliunde non prouiso Episcopus licentiam alienandi patrimonium concedere potest, absque eo, quod ad ipsum alendum obligatus remaneat; & sunt ad redimendum se, vel parentes captiuos: ad saluandam vitam parentum, & fratrum: ad subueniendum sorori in periculo constitutæ, & similes. Tamen inter alia remanet inconcussum aliud fundamentum, ne scilicet alienare intendens partes Episcopo per Concil. iniunctas sibi assumat, arbitrando sibimet congruam sustentationem superuenisse, contra regu-
6 lam, quod nemo in sua causa Iudex esse debet, *l. Vnica Cod. Nequis in sua causa.*
7 Hoc itaque fundamento præcipuè attento tenui non licere absolutè, & contra transgressorem ad pœnas procedendum duxi, per ea quæ tradit *Garc. vbi supra nu. 175.* quicquid dici possit de alienatione iam facta, quæ sustinenda videtur, & prout sustinendam dixi in *singulari seq.*

ARGVMENTVM.

PRoprietas patrimonij clericalis alienari regulariter potest absq; licentia Episcopi, & in omnem casum alienatio facta tenet.

SVMMARIVM.

1 *CLericus alienans patrimonium absque licentia Episcopi puniri potest.*
2 *Facta multa tenent, quæ alias fieri prohibentur.*
3 *Patrimonium clericale absque licentia Episcopi alienari non potest; alienatio tamen eiusdem tenet, si alienans congruam sustentationem habet.*

SINGVLARE CVII.

QVærebatur in iudicio coram me introducto, an posset dici, quod alienasset patrimonium quidam Presbiter, qui retentis sibi annuis fructibus solitis in patrimonium assignari absque licentia Episcopi proprietatem eiusdem patrimonij donauerat, & consequenter an dicta donatio, quatenus fieri non potuisset, saltem iam facta sustineri deberet, &c.

Quoad primum tenui, quod non, quia euidenter apparebat, quod adhuc patrimonium necessarium retinebat cum fructus, & non proprietas prò sustentatione considerentur.

Quo verò ad secundum, alienationem factam sustinendam censui, ne melioris conditionis esset qui illicitè, quam qui licitè (cum licentia scilicet Episcopi) donasset, cum alias ille posset, iste autem non posset donationem reuocare, & vlterius vt sic puniretur, qui ea, quæ sibi non
1 licebat fecerat, & prout in terminis puniri posse tradit *Garc. de benef. parte 2. cap. 5. num. 175.* & forsan ob hoc contrarias opiniones sic conciliat. *Hieronym. de Canal. in*
2 *suis com. opin. contrà comm. quæst. 527.* ex vulgata regula, quod multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, ad *l. Patre furioso ff. de his, qui sunt sui, vel alien. iur.*

Quia tamen synodale decretum loci, in quo hæc tractabantur, disponebat, quod patrimonium non posset esse minoris summæ annuorum scutorum triginta quinque, & non excludebat, quod non posset esse maioris, & prout fieri poterat ponendo
3 proprietatem ad redditus vitalitios, pronunciaui non licuisse quidem dictam donationem absque licentia Episcopi facere, sed factam esse seruandam, nisi infra nonnullos dies idem Presbiter reportasset se maioris summæ fructuum reseruatorum opus habuisse, & habere ad sui sustentationem, quia data hac necessitate, licentia, si fuisset petita, non erat concedenda, & sic meritò donatio absque licentia facta

veniebat reuocanda; secus autem necessitate prædicta cessante, quia tunc licentia concedi debuisset, & sic meritò donatio quoad substantiam ritè facta sustinenda erat per dictam regulam, quod multa facta tenent, quæ fieri prohibentur, & qua in terminis terminantibus vtitur de *Caual. vbi suprà*.

ARGVMENTVM.

DAmnati ad triremes, si fractis vinculis ad Ecclesiam confugiant, an immunitate Ecclesiastica gaudeant.

SVMMARIVM.

1 *Immunitate Ecclesiastica non gaudent damnati ad triremes fractis vinculis ad Ecclesiam confugientes.*

2 *Damnati ad triremes fugere non possunt, & fugientes puniuntur.*

3 *Immunitatis spe delinquere non licet.*

4 *Seruus hodie nemo benè natus sit, & quomodo.*

5 *Damnatus ad triremes seruus pœnæ efficitur.*

6 *Argumentum à seruo Domini ad seruum pœnæ à fortiori valere videtur.*

7 *Publico iura magis fauent, quam priuato.*

8 *Seruus pœnæ videtur verè seruus, cum delictum inter causas legitimæ seruitutis connumeretur, & ipse vti verè seruus tractetur.*

9 *Seruus, Colonus, Ascriptitius, Familiaris, & quicumque alius aliqua conditione obligatus, de iure ciuili, immunitate Ecclesiastica non gaudet.*

10 *Restitutioni est obnoxius, qui pœnam Principi debitam fraudat.*

11 *Damnati ad pœnam fugere non possunt, & si fugerint tenentur se ipsos suis Dominis restituere, & damna reficere.*

12 *Fugam damnatorum ad pœnam consulentes, & ad illam auxilium præstantes restitutioni erga Principem sunt obnoxij.*

13 *Ecclesia est iustitiæ cultrix.*

14 *Rei iuridicè interrogati sub pœna peccati mortalis delicta fateri debent.*

15 *Rei iustè ad pœnam damnati tenentur illam recipere, & ab illa non possunt se defendere.*

16 *Immunitatem præbet Ecclesia à pœna imponenda, & non à pœna imposita.*

17 *Immunitate Ecclesiastica gaudet capitaliter damnatus, qui ad Ecclesiam fugit.*

18 *Damnati ad triremes, si appellarunt, gaudent immunitate si ad Ecclesiam confugiunt, prout gaudent, qui in triremibus in depositum detinentur; secus autem si non appellarunt, & quarè.*

19 *Bulla Gregorij XIV. circa immunitatem non derogat casibus à sacris canonibus dependentibus; sed tantum restringit facultates concessas à Summis Pontificibus Pio V. et Sixto V.*

20 *Damnati ad triremes confugientes ad ordines immunitate gaudent, & triremibus non sunt restituendi.*

21 *Ordinis priuilegium maius est, quam priuilegium immunitatis Ecclesiæ.*

22 *Immunitas Ecclesiæ iuxta consuetudinem loci est seruanda.*

SINGVLARE CVIII.

EXtractis ab Ecclesia duobus ad remigium perpetuum damnatis, ac in foro Ecclesiastico carceratis ad effectum videndi, an ex quo fractis vinculis ex ipsis triremibus ad locum sacrum se receperant immunitate Ecclesiastica gauderent.

1 Videbatur dicendum, quod non, per ea, quæ tradit *Sanfilicius decis. 271. per totam*, vbi ita fuisse resolutum tradit de Summi Pontificis oraculo, & pluries etiam ita fuisse iudicatum subiungit, casus ipsos recensendo, & quidem textus videtur clarus in *Cap. Inter alia de immun. Eccles.* vbi disponitur, quod seruus tali immunitate non gaudet, & quod iurato per Dominum, quod ex fuga in ipsum non sæuiet, eidem sit reddendus, etiam inuitus.

Tantoque magis ita videbatur dicendum, quanto recto tramite, & in Ecclesiam vicinam, & sic spe immunitatis aufu-
2 giendo deliquisse videbantur, quod fieri non poterat, cum fuga tali casu possit dici delictum, ex quo taliter damnati fugere non possunt, vt tradit *Azzor. inst. moral. parte 2. lib. 2. cap. 34. §. Tertio quæritur*, & fugientes puniuntur, vt in terminis horum damnatorum tradit *Cabal. resol. crim.*
3 *cas.* 8. & cum spe immunitatis delinquere non liceat, vt tradit *Marta in tract. de iurisd. parte* 11. *cap.* 51. *num.* 17. *Guazzin.* ad

ad defensam lib. 1. tom. 1. defens. 1. ex def. iurisd. nu. 19. Farin. de carcer. & carcerat. quæst. 28. num. 56. vbi hoc dicit communiter receptum, & quod ita resoluit summus Pontifex Clemens VIII. de anno 1597. in vna *Panormitana*.

Nec videbatur obstare, quod damna-
4 tus ad triremes non sit seruus, ex quo hodie nemo benè natus, & ad supplicium damnatus seruus fiat, *Giurba Conf. crim. 30. num. 9.* quia *Authen. sed hodie, Cod. de donat. inter virum, & vxor.* desumpta ex *Authen. de nuptijs coll. 4. cap. 8.* quibus in locis principaliter tale dictum fundatur, videtur dicere, quod nemo benè natus à principio seruus fiat, secùs autem ex post facto, & dum supplicio remanet addictus.

Non item videbatur facere, quod
5 etiamsi esset seruus, tamen seruus pœnæ esset *l. Ex facto §. si quis rogatus* il secondo *ff. ad trebel. Mastril. decis. 169. num. 10.* & sic non esset comprehensus in *dicto Cap. Inter alia*, quod loquitur in seruo
6 Domini; Quia videtur à fortiori *dictum*
7 *Cap.* locum habere in seruo pœnæ, qui est seruus Principis, cum iura magis faueant publico, quam priuato, ad vulgata iura.

Nec videbatur releuare, quod in omnem casum esset seruus impropriè, & secundum quid, cum taliter damnatus solum ad remigium sit damnatus, & sic Princeps solum ius exigendi tale seruitium ab
8 ipso habeat; Quia (omisso quod & isti videntur verè serui, cum inter causas legitimæ seruituris connumeretur & causa delicti, vt tradit *Azzor. Inst. mor. parte 2, l. 2, cap. 31. fol. 219.* vbi dicit tales causas quatuor esse, scilicet Belli, delicti, originis, & venditionis sui ipsius, & ipsi tractantur victu, vestitu, verberibus, & venditione vt serui, cum aliquando à damnantibus venduntur) ratio, quarè seruus ad Ecclesiam confugiens Domino restituendus venit, est, quia ipsius seruitium ad ipsum spectat, & sic, quod de ipso Domino in generali dicitur, & de ipso Principe in speciali videtur dicendum, cum nulla maior ratio vi-
9 geat in vno, quam in alio casu. Vltra quod in *l. Præsenti, §. Cum autem, vers. sanè, Cod. de his*, qui confugiunt ad Ecclesiam, expressè cauetur, quod ne dum seruus, sed etiam colonus, adscriptitius, familiaris, & quicumque alius aliqua conditione obligatus tali immunitate non gaudeat.

Nec videbatur posse replicari, quod casus *dictæ l. Præsenti*, sint ex contractu, & casus damnati sit ex delicto, toto *tit. Inst. de oblig. quæ ex delicto nascuntur*; quia etiã seruus propriè dictus, vt est in bello captus, non est ex contractu, immò plus miserendus, quam qui delicta committit, & tamen non gaudet; & re vera tam seruus ex iustitia commutatiua debetur Domino, quam damnatus debetur Principi,
10 ita vt defraudanti onus restitutionis incumbat, ad ea, quæ tradit *Layman in sua Theol. mor. lib. 3. de Iust. tract. 2. cap. 7. nu. 4.* vbi loquitur de fraudantibus pœnam à lege statutam, & sic fortius intelligi debet
11 de pœna iam inflicta, cum re vera nedum tales damnati fugientes teneantur se ipsos suis Dominis restituere, & damna refice-
12 re, sed & ad fugam consulentes, & auxilium præstantes, restitutionẽ ipsæ sint obnoxij, vt de communi tradit *Rebell. de oblig. Iust. l. 1. quæst. 12. num. 2. fol. 76.*

13 Et quidem si benè consideretur Ecclesia, quæ est iustitiæ cultrix, cum non patiatur aliquid fieri in se, vel in alterum contra iustitiam, ad tradita per *Carol. de Grassis de effect. Cler. in præludio, num. 173.* non videtur, quod debeat immunitatem prò delictis præbere, cum secundum doctrinam *S. Thomæ in secunda secundæ, quæst.*
14 *69, art. 1. & aliorum*, cogat etiam sub pœna peccati mortalis delinquentes iuridicè
15 interrogatos ad delicta fatendum, & etiã iustè damnatos ad pœnas recipiendas, & se ipsos non defendendos, vt tradit idem *S. Thom. vbi supra art. 4.* Et quamuis in facto immunitatem præbeat ad se confugientibus, illam præbere debet vel nondum condemnatis, vel si condemnatis
16 nondum pœnæ addictis, cum intendat defendere à pœna imponenda, & non imposita, *Cap. Reum 17, quæst. 4. Cap. Reos 23. quæst. 5. Marta de iurisdict. parte 2, cap. 51. num. 17.* quod tollit argumentum *Giurbæ dicto Conf. 30. num. 21.* vbi arguit de capi-
17 taliter condemnato, qui est seruus pœnæ, & tamen gaudet immunitate, si ad Ecclesiam fugiat, cum iste quamuis sit seruus pœnæ,

pœnæ, non sit iam pœnæ addictus, vt sunt taliter damnati; addicti enim ad pœnam quodamodo contraxerunt cum Principe
18 ab illa non reclamando, illamque sibimetipsis debitam tacitè fatendo, vt proinde non immeritò referat *de Marinis in suis quotid. quæst. cap.* 177. quod Serenissimus Princeps Philibertus à Sabaudia Catholicæ Maiestatis classium maritimarum generalissimus, adhibita consultatione circa hanc materiam, mandauerit, & obseruari fecerit, quod remigantes coacti, si confugerent ad Ecclesiam, non reducerentur ad triremes ex ipsis Ecclesijs, si in ipsis triremibus in depositum vel appellatione interposita, detinerentur, secus autem si non reclamassent, & pœnæ addici passi fuissent, & prout seruasse subiungit & Sanctissimum D. N. Innocentium X. tunc temporis in Regno Neapolitano Nuncium Apostolicum.

Minus pariter videbatur facere, quod stante Bulla Gregorij XIV. casus esset extra difficultatem, quasi quod omnes alij casus præter expressos in eadem Bulla, immunitate gaudere debeant; quia *Gambacurta, de immun. Eccl. lib.* 5. *cap.* 7. exci-
19 tatis hinc inde motiuis, tenet, quod Bulla non deroget alijs casibus in iure expressis, vel à iure dependentibus, respondetque contrarijs, & postea sub num. 12. subdit, quod qui Bullam legit, si non est totaliter cæcus, ita tenere debet. Cum enim in Bulla narretur in principio, quod Pius V. & Sixtus V. nonnullas facultates Principibus secularibus dederint extrahendi delinquentes, & quibus facultatibus ipsorum Principum ministri abutebantur, si postea ipsis facultatibus derogatur, & extractiones ad casus in Bulla expressos restringuntur, ad Ecclesiasticosque Iudices spectare statuitur, nullo modo potest dici, quod per ipsam Bullam alijs casibus in iure expressis derogetur.

Minus tandem videbatur obstare quod asserebatur, videlicet, quod alias à Sacra Congregatione super immunitate fuerit
20 dictum, quod damnati ad triremes confugientes ad ordines minores, postea quã fuerunt ordinati, triremibus non essent restituendi; quia esto, quod de iure ita resolui potuerit, videbatur diuersa ratio in priuilegio personali, & in priuilegio propter reuerentiam Ecclesię concesso, cum maius
21 sit priuilegium ordinis, quam priuilegium immunitatis Ecclesiæ, vt considerant Doctores, & præcipuè *Layman de Eccles. immun. lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 12.
22 Quia tamen in similibus consuetudo loci est seruanda, ad ea, quæ tradit *Gambacurta vbi supra lib.* 3. *cap.* 14. & allegabatur, quod alias in contrarium fuerat seruatum in loco, in quo causa tractabatur, & quod tales confugientes ad Ecclesiam non ex hoc capite, sed tantum ex capitibus in Bulla exceptis fuerant petiti, & ipsis capitibus non probatis Ecclesiæ fuerant restituti. Re benè discussa, fuit resolutum esse restituendos, & sic me mandante Ecclesiæ restituti fuerunt; attento maximè, quod Bulla felic. record. Greg. XIV. correxisse videtur etiam casus in iure expressos, vt colligitur ex infra dicendis *sing.* 198.

ARGVMENTVM.

IVdex laicus ad ordines saltem non initiatus non potest Iudicem Ecclesiasticum constituere, neque de mandato Superioris Ecclesiastici.

SVMMARIVM.

1 *Procurator, qui esse nullatenus potest, nec ad substituendum constitui valet.*
2 *Qui per alium facit per se ipsum facere videtur.*

SINGVLARE CIX.

CVm delegandus esset Iudex in quadam causa Ecclesiastica, & proinde hoc fieri deberet in personam Ecclesiasticam.

Dubitabatur an delegatio talis personæ posset committi iudicio alicuius laici, qui saltem primam tonsuram non haberet, & fuit resolutum, quod non, per *Gloss. in Clem. de procur. cap.* 3. *Religiosus*, vbi fir-
1 matur regula, quod inhabilis, vt sit procurator, non est habilis vt constituatur ad substituendum, intelligendo de inhabili omni inhabilitate, non autem de inhabili

ope

ope exceptionis: Talis enim laicus est omninò incapax iurisdictionis Ecclesiasticæ, & ideo cum non possit illam vnquam exercere, nec potest illius exercitium committere; Nam si est verum, prout est verissi-
2 mum vulgatum axioma, quod qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, non videtur posse substineri, quod quis alteri committat ea, quæ per se ipsum adimplere nequit.

Nec visum fuit obstare, quod talis Iudex laicus simpliciter elegisset, & nihil de suo tribuisset, cum electus non à laico exequente, sed à Superiore Ecclesiastico committente facultatem habuisset.

Quia non poterat negari, quod causa prædicta arbitrio ipsius circa electionem Iudicis supposita non fuisset, & sic exposita, vt etiam præiudicium ex ipsius minus idonea electione recipere posset.

ARGVMENTVM.

Bona Ecclesiastica de licentia Legati, & etiam Episcopi alienari possunt inconsulto Romano Pontifice, si necessitas vrget, vel euidentissima vtilitas resultat.

SVMMARIVM.

1 *Alienari non possunt bona Ecclesiastica inconsulto Romano Pontifice.*

2 *Episcopus in casu necessitatis omnia facere potest, quæ non sunt ei specialiter, & expressè, etiam in casu necessitatis, denegata.*

3 *Bona Ecclesiastica in casu necessitatis alienari possunt de licentia Legati, vel Episcopi, etiam inconsulto Romano Pontifice.*

4 *Alienari possunt bona Ecclesiastica in casu necessitatis de licentia Ordinarij, inconsulto Romano Pontifice, non obstante iuramento de illis non alienandis ipso Romano Pontifice inconsulto.*

5 *Legatus de latere dispensat etiam contra ius, nisi expressè sit prohibitum.*

5 *Alimentorum causa maximam celeritatem desiderat.*

7 *Ecclesiastica bona alienari possunt de licentia Ordinarij, inconsulto Romano Pontifice, in casu euidentissima vtilitatis Ecclesiæ.*

SINGVLARE CX.

1 Dvbitabatur, an obstarent *Clem. prima, & Extrauag. Ambitiosæ de rebus Eccles. non alienan.* Quominus Legatus de latere posset concedere licentiam alienandi quædam bona cuidam Hospitali non valenti aliter suis Orphanis victum præbere, ex quo bello iam, igne, & ferro baccante omnia in suis stabilibus abrasa fuerant, & vt meo muneri satisfacerem, dedi votum, quod sic, ex duobus.

2 Primò, quia Episcopus, nedum Legatus, in casu necessitatis omnia facere potest, quæ non sunt ei specialiter, & expressè, etiam in casu necessitatis, denegata.
3 Vnde *Card. in dicta Clem.* dicit, quod Ecclesię necessitate imminente potest eius res
4 inconsulto Papa alienari, & latè (non obstante etiam iuramento de non alienando, inconsulto Romano Pontifice) tradit *Felin. in cap. Cum accessissent, col. 10. num. 20. 21. & 22. de constit.* Et in terminis *Gambar. de off. & pot. Legati lib. 6. num. 123. &*
5 *124.* Et maximè cum Legatus ex causa dispenset etiam contra ius, nisi sit expressè prohibitum, *Gambar. vbi suprà lib. 10. num. 391.*

Nec visum fuit obstare, quod hoc procedat, quando Romanus Pontifex ob celeritatis vrgentiam adiri non potest, vt
6 præcipuè innuit *Felin. vbi suprà*; Quia nulla maior celeritas dari potest illa, quæ in causa alimentorum desideratur, cum fames acutissimus sit gladius, & venter non patiatur dilationem, *Surd. de alim. tit. 1. quæst. 44. num. 36.*

7 Item secundò motus fui ad ita dicendum, ex quo dicta alienatio fieri debebat in euidentissimam vtilitatem Ecclesiæ, cum ob commoditatem emere volentis, venditio esset iam in verbis prò pretio longè maiori, quam iusto, quo casu dictam *Extrauag.* non habere locum tenuit *Gambar. vbi suprà lib. 5. num. 115.* vbi dicit, quod Papa non habuit in mente prohibere alienationes, quæ continent vtilitatem Ecclesiarum ita euidentem, quod non sit locus deceptioni, subdens idem dicendum esse in casu necessitatis, in quo credendum est canones Ordinarijs auctoritatem non adimere,

mere,& sic cum omninò tolleretur,& motiuum excitatum de adeundo Summo Pontifice, ex quo timor erat de pœnitentia emere volentis, non videbatur, quarè licentia petita deneganda esset, & prout denegata non fuit.

ARGVMENTVM.

EPiscopus per se, si non est impeditus, & per alium, si non potest, totam suam Diœcesim visitare tenetur quolibet anno, vel saltem quolibet biennio, si annuatim ob latitudinem id adimplere non valet.

SVMMARIVM.

1 *Visitare tenetur Episcopus quolibet anno suam Diœcesim, vel saltem ob latitudinem quolibet biennio, & hoc per se, si potest, vel per alium, si non potest, non obstante consuetudine in contrarium.*

2 *Culpa leui, immò leuissimæ subiacet custos stipendiatus.*

3 *Consuetudo irrationabilis obseruari non debet.*

4 *Episcopo visitanti Subditi necessaria subministrare debent.*

5 *Episcopi visitare debent non solum vt necessitatibus prouideant; sed etiam vt videant an necessitates visitandi extent.*

6 *Visitatio fieri debet toties, quoties necessitas visitandi adest.*

SINGVLARE CXI.

QVidam religiosissimo Antistiti quærenti, an ipse ad formam *Sacri Conc. Trid. sess. 24. cap. 3. de reform.* Per se si non impeditus, & si impeditus per alium teneretur quolibet anno, vel saltem ob latitudinem Diœcesis, quolibet biennio ipsam
1 totam Diœcesim visitare, non obstante consuetudine, quæ in contrarium videtur
2 vigere; absolutè respondi, quod sic, quia cũ Episcopus vti Dominici Ouilis custos, & custos de Patrimonio Domini stipendiatus teneatur nedum de culpa graui, sed etiam de leui, ad ea, quæ tradunt Doctores, & præcipuè *Nauar. in commentar. tom. 2. cap. 4. num. 9. & cap. 17. num. 181.* Immò & de leuissima, ad tradita per *Farin. de var. & diu. crim. quæst. 110. num. 30. 31. & 32.* Non videtur quomodo negligere possit, quod sibi, nè dum ab eodem *Sacro Concil.* Sed etiam à sacris canonibus, & præcipuè *in cap. Decreuimus, & in cap. Episcopum, causa 10. quæst. 1.* expressè iniungitur. Nec curandum dixi de allegata consuetudine, quia si viget, quod absit, non consuetudo, sed lacrimabilis corruptela potius esset di-
3 cenda, & tanquam irrationabilis non obseruanda, *cap. 1. de constit. in sexto.*

Quamuis enim Episcopi ad formam præscriptam non visitantes possent dicere, quod id non faciunt, quia necessitatem visitandi non cognoscunt, & quod proinde saltem ex hoc allegata consuetudo rationabilis, & laudabilis dici valeat, tanquam
4 tendens ad non grauandos subditos, qui Episcopo visitanti necessaria subministrare debent, ad trad. per *Conc. Trid. vbi suprà.*
5 Tamen cessat si consideretur non esse credendum, quod *Conc. & Canones prædicti* mandauerint quolibet anno, vel saltem quolibet biennio visitationem absolui de-
6 bere, ad hoc vt necessitatibus prouideretur, quia necessitate posita, non solum quolibet anno, sed etiam pluries in anno, immò toties quoties opus est visitatio fieri debet, ad ea, quæ obseruat *Glossa in dicto cap. Episcopum*, sed potius esse tenendum, quod ita præscripserint, vt Episcopi oculariter obseruare possint, an necessitas visitandi existat, & successiuè eidem necessitati occurrere debeant, & pròut innuunt verba textus dicti *cap. Decreuimus*, dicentis: *Si qua fortè Basilica fuerit reperta destituta, Ordinatori eius reparari præcipiatur, &c.* & alia textus dicti *cap. Episcopum*, dicentia; *Vt exquirat quo vnaquæque Basilica in reparatione sui indigeat.*

His itaque alijsque perpensis, cum resolutum fuisset teneri, ipse religiosissimus Antistes summa quidem pietate statim ad hæc conuersus, vt munus suum impleret, mentem manusque admouit.

ARGV-

ARGVMENTVM.

ALienans res Ecclesiasticas inconsulto Romano Pontifice alienari prohibitas, si iustè, & bona fide alienet, est tutus in conscientia, quamuis in iudicio dicta alienatio sit nulla, & sustineri nequeat.

SVMMARIVM.

1 *Bonorum Ecclesiasticorum alienatio, quæ inconsulto Romano Pontifice fieri non potest, in iudicio non tenet, etiamsi alienatio ipsa iustè, & bona fide facta fuit.*

2 *Ecclesiasticorum bonorum alienatio, quæ inconsulto Romano Pontifice fieri non potest, tenet in foro conscientiæ, si alienatio ipsa iustè, & bona fide facta fuit.*

3 *Ius naturale adesse sufficit ad sustinendum in foro conscientiæ actum bona fide factum; secus autem in foro fori, vbi & adimplementum iuris scripti requiritur.*

4 *Alienatio bonorum Ecclesiasticorum inconsulto Romano Pontifice fieri prohibita, videtur sustinenda, si non temerè, sed iustè, ac bona fide facta extitit.*

5 *Alienatio facta ab Ecclesia in Ecclesiam non requirit assensum Apostolicum.*

SINGVLARE CXII.

FActa alienatione quorundam bonorum Ecclesiasticorum contigit dubitari, an fieri potuisset inconsulto Romano Pontifice, cum casus, de quo tractabatur, videretur comprehensus *in Extrauag. Ambitiosæ, de rebus Eccles. non alienan.* & cum concluderetur, quod non, successiuè quærebatur an sustineri posset ex eo, quod bona fide fuerat facta, stante permissione cuiusdam Superioris, & stantibus exemplis, quæ allegabantur, ac communi voce, quod ita fieri solitum erat.

1 Tenui in iudicio non valere secundum probabiliorem opinionem, de qua testatur *Azzor. Inst. moral. parte 2. lib. 9. cap. 1. fol. 611. lit.* C. & maximè cum in dicta *Extrauag. Ambitiosæ*, talis alienatio nullius roboris, & momenti declaretur.

2 In foro autem conscientiæ alienationem ipsam subsistere credidi, quia considerabatur solùm defuisse ius scriptum, non autem ius naturale, quo inspecto alienatio vndequaq; iusta apparebat, & quod ius

3 naturale stante bona fide sufficit ad sustinendum actum in foro conscientiæ, vt tradunt *Nauar. in Comment. de alienat. rer. Eccles. nu. 17. & Azzor. vbi suprà lit.* D. & E.

4 maximè quia in dicta *Extrauag. Ambitiosæ*, dicitur: *Si quis alienare præsumpserit*; quod verbum *præsumo* non videtur adaptari illi, qui bona fide ob ignorantiam, vel opinionem probabilem operatur, vt notat *Azzor. loco citato*, & maximè si alienatio facta

5 fuisset in locum pium, cum alienatio facta ab Ecclesia in Ecclesiam non requirat assensum Apostolicum ad tradita per *Barbos. de pot. Epis. par. 3. alleg. 95. num. 56.*

ARGVMENTVM.

MEretrix etiam de domo propria est expellenda, si scandalum omnibus vicinis affert, & maximè si in bona vicinia, vel in loco pulchro Ciuitatis, & propè Ecclesiam habitat.

SVMMARIVM.

1 *Meretrix de domo propria expelli non debet, sed contra nu. 4. & 5.*

2 *Meretrix de domo propria expelli debet, si propè Ecclesiam habitat.*

3 *Meretrix in domo propria, & Meretrix in domo conducta, quoad scandalum, eodem modo videtur consideranda.*

4 *Meretrix etiam de domo propria expelli debet, si omnibus vicinis scandalum affert.*

5 *Meretrix de domo propria expelli debet, si est in bona vicinia, & in pulchro loco Ciuitatis.*

6 *Publicum præferri debet priuato.*

7 *Morbida facta pecus totum corrumpit ouile.*

SINGVLARE CXIII.

QVandam meretricem in domo propria penes Ecclesiam habitantem expel-

1 lendam dixi, quamuis videretur expellendam non esse, per ea, quæ tradit *Gaspar Anton. Thesaur. quæst. foren. lib. 1. quæst. 33. nu. 2. in principio*, ex regula generali, quod domus sua cuiusque est tutissimum

2 simum refugium, & receptaculum. Vltra enim, quod ipse Thesaurus regulam limitat postea respectu Ecclesiæ, per *tex. in l. si qua in publicis, Cod. de spectacul. & sce-*
3 *nic. lib.* 11. considerabam ego, quòd non militat minor ratio in ea, quæ meretrix effecta est in domo propria, quam in illa, quæ iam meretrix domum alienam con-
4 duxit, & sic etiamsi propè Ecclesiam non habitasset, si scandalum omnibus vicinis ex eius inhonestate resultasset, adhuc expellendam esse animaduerti, ad ea, quæ subdit *idem Thesaurus vbi suprà num.* 4. & ideo indubitanter tenui expellendam in casu prædicto, in quo nedum vicinis, sed omnibus ad Ecclesiam accedere necesse
5 habentibus scandalum afferebat, & maximè cum eadem domus esset in bona vicinia, & in pulchro loco Ciuitatis, ad multos, quos citat *idem Thesaurus vbi supra*
6 *num.* 1. bonum enim publicum, quod præferri debet priuato *l.* 3. *Cod. de primipil.* ita
7 suadebat, ne morbida facta pecus totum corrumperet ouile, contra *l. Iulianus de act. empti*.

ARGVMENTVM.

Monialis rem sibi donatam cum conditione, quod nullum ius circa illam Monasterio acquiratur; & quod de illa ad sui libitum disponere valeat, non potest vendere, & pretio vti, absque consensu Capituli, & debita Superioris licentia.

SVMMARIVM.

1 *Monachus quicquid acquirit Monasterio acquirit.*

2 *Monachus potest acquirere dominium, sed non potest acquirere potestatem vtendi re, cuius dominium acquirit.*

3 *Paupertas religiosa non reddit hominem dominij incapacem, sed potestate vtendi illum priuat.*

SINGVLARE CXIV.

Inito tractatu venditionis cuiusdam domus alias cuidam Moniali donatę ea conditione, quod nullum ius Monasterio acquireretur, & quod de illa ad sui libitum ipsa Monialis disponere, & pretio vti valeret, petitaque à me licentia, vt dicebatur, ad maiorem cautelam, non solum illam denegaui, sed vt plenè muneri meo consulerem, dixi alienationem non posse fieri absque consensu Capituli eiusdem Monasterij, & absque Summi Pontificis permissione.

1 Primum enim necessarium iudicaui, quia quicquid acquirit Monachus acquirit Monasterio, *Cap. Cum ad Monasterium, de statu Monach.* & proindè dicta Monialis eandem domum Monasterio acquisierat, & illius domina non erat.

Nec releuare tenui, quod si ipsa Monialis non erat domina, vtique donatio facta ea conditione, quod esset domina etiam cum clausula, *& non alias, &c.* videretur
2 quod effectum non habuisset, quia considerato dominio simpliciter, & prout importat etiam facultatem vtendi, & disponendi, vtique non euaserat domina; sed considerato ipso dominio absque potestate vtendi, & disponendi sine licentia Supe-
3 rioris, vtique effecta fuerat domina, cum essentia religiosæ paupertatis non reddat hominem dominij incapacem, sed tantum priuet potestate vtendi, vt subtiliter considerat *Lessius de iust. & iure, lib. 2. cap. 4. dubitat. 5. num. 27. & 28.*

Minus obstare credidi, quod donatio effectum non habuisset saltem ex quo ad sui libitum re donata Monialis vti non poterat; quia non dicebatur, quod vti non posset, sed quod, vt vti valeret, consensum Capituli, & licentiam Superioris obtinere deberet; & in omnem casum melius erat, quod donatio non subsisteret, quam quod aliquid contra statum religiosum admitteretur.

Secundum pariter necessarium existimaui, quia domus erat notabilis valoris, & videbatur alienatio comprehensa in *Clem. 1. quæst. 29. & in Extrauag. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alienandis.*

ARGV-

ARGVMENTVM.

Sponsalibus contractis siue eum, siue absque iuramento, compellendus est, qui dissentit, ad celebrationem matrimonij, etiam censuris mediantibus, sed si postea persistit in negatiua, etiam ipso non petente est absoluendus.

SVMMARIVM.

1 *Sponsalibus contractis, is qui dissentit ad matrimonium est compellendus, quando iusta causa recedendi à sponsalibus non adducitur.*

2 *Matrimonium declinandi post contracta sponsalia, quæ sit iusta causa. remissiuè.*

3 *Sponsalia siue sint iurata, siue non, per contractum matrimonij sunt effectuanda.*

4 *Sponsalibus contractis est in arbitrio Iudicis dissentientem ad matrimonium compellere mediantibus censuris, si speratur adimplementum.*

5 *Sponsalibus contractis, superior immunis, & alienus esse debet à totali coactione ad matrimonium celebrandum.*

6 *Sponsalibus contractis, si quis ex contrahentibus fuit excommunicatus, quia noluit matrimonium celebrare, est postea absoluendus, etiamsi absolutionem non petierit, & quare num. seq.*

7 *Absoluendus non est à culpa, qui non est contritus, secus autem a pœna.*

SINGVLARE CXV.

1 Sponsalibus contractis ad celebrationem matrimonij venire recusabat mulier, & sic fuit petitum compelli, maximè quia nedum coram testibus, sed etiam coram Parocho, & cum iuramento
2 sponsalia fuerant contracta, & nulla causa, saltem iusta, ad ea quæ dixit *Rota decis.* 437. *coram Coccino*, ab eis recedendi aderat, quæ omnia operantur, quod sponsalia ad matrimonium sint reducenda, vt tradit *Sanchez de matr. lib.* 1. *de sponsal. dis-*
3 *put.* 12. 13. 14. & 52. Sponsalia enim siuè sint iurata, siuè non, sunt effectuanda per contractum matrimonij, iuxta *tex. in Cap. sicut, in Cap. ex literis* il secondo, *in Cap. Requisiuit, de Sponsal.* & dixit *Rota coram Seraph. decis.* 1112. *num.* 1. & 2. & rursus per hæc in *Tullen. Matrimonij* 17. *Aprilis* 1617. *coram Caualerio*, quæ post *Seacciam de appell. est decis.* 136. vbi fuit resolutum, quod essent confirmandæ duæ sententiæ, quibus quidam condemnabatur ad contrahendum sub pœna excommunicationis stantibus sponsalibus, & de hoc est etiam decisio coram *Ludouis.* quæ est in suo volumine *decis.* 376. *vbi Beltram.* plura ad propositum cumulat.

4 Fuit itaque, me ita votante, resolutum dictam mulierem compellendam esse, etiam mediantibus censuris, quia aderat iuramentum, & quia nulla causa in contrarium prò non adimplendis sponsalibus adducebatur, ad latè tradita per *Campanilem in suo diuersorio iuris Canon. rubr.* 1. *nu.* 53. & etiam, quia sperabatur, quod ipsa mulier censuris mediantibus se disponeret ad seruandum promissa: Iudicis enim arbitrio hoc remittitur, ad trad. per eundem *Campanil. vbi suprà in fine.*

5 Quia tamen, vt dicit idem *Campanil. num. antecedenti* 52. superior immunis debet esse, & alienus à totali, & præcisa coactione, ad tradita latè per *Ferret. cons.* 171. quibus assentiri videtur & *Couarr. in*
6 4. *Decret. parte* 1. *cap.* 4. *in princ. nu.* 5. fuit pariter resolutum, quod si mulier persisteret in negatiua, esset etiam ipsa non petente absoluenda, ad tradita per *Archidiac. in Cap. Raptor* 27. *quæst.* 2. *Io. Andr. in Cap. Ex literis* il secondo propè finem *Ancar. num.* 5. *Butr. post numerum* 11. & *Præ-*
7 *pos. in fin. de sponsal.* non obstante, quod absoluendus non sit, qui non est contritus, ad *Rotam decis.* 13. *de sent. excom. in antiq.* Siquidem absolutio aliquando datur non à culpa, sed à pœna, vt dicit *D. Thom. in* 4. *sent. dist.* 18. *quæst. vlt. art.* 5. & firmant alij relati per eundem *Campanil. vbi suprà*, qui plenè hanc materiam discutit, & hanc prò certa statuit Conclusionem.

ARGVMENTVM.

Res voluptuaria respectu Magnatum, & Diuitum potest dici vtilis, secus autem respectu pauperum.

SVMMARIVM.

1 *Eliciosum existimari debet ac si esset fructiferum respectu magnatum, & diuturnum, & quarè.*

2 *Fructiferum dici potest etiam id, quod fructus non reddit, si vendi, vel locari potest.*

SINGVLARE CXVI.

Mandante Summo Pontifice, quod approbaretur, & suo nomine confirmaretur quædam permutatio quorundam bonorum fideicommisso suppositorum, quatenus vtilis, & secura esset, constito de securitate, fuit dubitatum de vtilitate, ex quo bona fideicommissaria erant fructifera, & bona quæ subrogata fuerant consistebant prò maiori parte in delicijs
1 viridariorum, & similium, & quidem cum tractaretur inter Magnates, qui (vt considerabam) ad sustinendum eorum gradum, & ad indulgendum eorum deliciatæ naturæ, opus habent, & rerum deliciosarum, videbatur idem esse iudicandum de re fructifera, ac de re deliciosa, ad trad. per *Grat. discept. foren.* 437. *num.* 13. per *Cyriac. controuers. foren.* 261. *nu.* 31. & per *Add. ad decis. Seraph.* 986. & maximè cum maioris pretij essent quæ subrogabantur fideicommisso, quam quæ alienabantur.

Fui tamen in voto, quod non esset approbanda, ex quo vocabantur ad fideicommissum nonnullæ personæ miserabiles cuiusdam loci pij, quo casu mihi visum fuit locum habere non posse, quæ supra deducuntur.

2 Nec placuerunt, quæ subiungebantur dicendo, quod tunc bona subrogata potuissent vendi, vel locari, ad ea, quæ in terminis prædictis *Cyriac.* deducit *vbi suprà*; quia inspecta qualitate loci, hæc erant inuerisimilia, saltem absque notabili iactura, vltra quod valdè dubitabatur etiam de deterioratione, quæ de facili in viridarijs, & similibus accidere solet; & sic ex prædictis fuit quidem facta approbatio, sed præmissa satis tuta cautione prò indemnitate prædicti loci pij, casu quo fideicommissum in ipsum locum pium purificaretur.

ARGVMENTVM.

Capitaliter condemnatus, & bannitus licitè in foro conscientiæ occidi potest, etiam in statu alterius Principis.

SVMMARIVM.

1 *Bannitus capitaliter in statu alicuius Principis occidi non potest absque peccato in statu alterius, & quarè; sed contrà num. sequenti.*

2 *Occidi potest absque peccato capitaliter condemnatus, & bannitus in vno statu, etiam in statu alterius Principis, & quarè.*

SINGVLARE CXVII.

Disputabatur an Principi liceret in foro conscientiæ occidi facere in statu alterius suum subditum iam in proprio statu
1 capitaliter condemnatum, & bannitum, & dicebatur, quod non, ad tradita per *Azzor. in suis instit. moral. parte* 3. *lib.* 2. *cap.* 2. *litera* D. Quia tali casu banniti sunt extra iurisdictionem eius, qui condemnauit, & quia fit iniuria, & damnum Reipublicæ, seu Principi, in cuius territorio banniti commorantur.

2 In contrarium autem adducebatur doctrina *Iacobi de Graffijs in suis decis. aureis parte* 1. *lib.* 2. *de homicid. volunt. cap.* 62. *num.* 57. vbi dicit, quod potestas statuendi in subditos non arctatur territorio, & ideo vbicumque reperiuntur sunt ligati, & illos occidendi gaudet beneficio, *Bal. in l. Cunctos populos, nu.* 9. *Cod. de summ. Trin. & fide cat. Marf. sing.* 124. *Pisanel. ad annot. Regni, qua incipit, Pœnam eorum, &c.*

Requisitus ego de voto, tenui quod saltem ex probabili sententia liceret, non obstante quod *Graffius reprobetur à Layman in sua Theol. mor. lib.* 3. *de iustitia, tract.* 3. *parte* 3. *cap.* 2. *de iniusta læsione corporis, num.* 3. Vbi contrariam opinionem communem dicit plura ad eandem cumulando. Ratio autem, qua ad id principaliter motus fui erat, quod cum dictus capitaliter bannitus iam mortis reus effectus esset, parum referre videbatur in quo lo-

co

co occideretur, cum in substantia Principi territorij, in quo occidendus erat nulla iniuria ex actu iusto resultare posse videretur.

Nec mihi visum fuit obstare, quod cum tractaretur de salute animæ occidendi, quæ ex improuisa occisione perire poterat, ab occisione esset abstinendum; quia si hoc attendendum esset, neque in statu proprio occisio esset permissa. Cauere enim debet capitaliter bannitus à die banni, quod semper mori paratus sit, cum iam sibi denunciatum fuerit, quod mori debet.

Quia tamen vrgebat in contrarium allegata communis opinio, positum in consideratione, quod si ob bonum publicum non expediebat dictam occisionem committere, tutius esset ab illa abstinere. Verùm Princeps non acquieuit, & occisio sequuta fuit, vti prò omninò expediens apprehensa.

ARGVMENTVM.

Clerici necessitate vrgente possunt per Superiorem laicum compelli ad vendendum triticum, si requisito prius Ordinario Ecclesiastico, ipse renuat, & periculum sit in mora recursus ad alium Superiorem Ecclesiasticum.

SVMMARIVM.

1 *Clerici etiam necessitate vrgente possunt compelli per Superiorem laicum ad vendendum triticum pretio per ipsum limitato; sed contrà num. sequenti.*

2 *Clerici non possunt compelli ad vendendum triticum pretio limitato per Iudicem laicum.*

3 *Clerici sunt totaliter exempti à iurisdictione Iudicis laici.*

4 *Iudex laicus potest supplere negligentiam Iudicis Ecclesiastici; sed verior, & communior est opinio contraria.*

5 *Iudex laicus potest supplere negligentiam Iudicis Ecclesiastici, si periculum sit in mora recursus ad alium Superiorem Ecclesiasticum.*

6 *Periculo dato in mora, multa permitti possunt, quæ alias permitti non deberent.*

7 *Periculo dato in mora, quis potest subijci Iudici non suo.*

8 *Legati de latere facultas Ordinarijs præiudicare non debet.*

SINGVLARE CXVIII.

Publica necessitate vrgente, quærebatur, an etiam Clerici limitato pretio possent cogi ad vendendum frumentum per Superiorem laicum, & quod possent videbatur suaderi præcipuè ex *decis. 9. Vincentij de Franchis*, qui plura cumulat ad hoc, & eruditè tradit dicendo, etiam, quod Clerici, qui taxationi Principis circa frumentum, & similia repugnant, mortaliter peccant.

2 In contrarium tamen considerabantur maximè ea, quæ latè scripsit *Sperell. in suis decis. fori Ecclesiast. decis. 12. per totam.*

Ego fui in voto, quod non possent, cogi, quia aliud est, quod teneantur parere, quod admitto, ex traditis in dicta *decis. Vincent. de Franch.* Aliud est, quod Superior

3 laicus possit compellere Clericos, qui totaliter ab eius iurisdictione sunt exempti, vt latè tradit *Carol. de Grass. de effect. cleric. eff. 1. per totum*. Benè verum est, quod sub-

4 didi esse requirendum Episcopum, vt ipsos arctaret, & si postea negligeret, vel renueret, periculumque esset in mora recursus ad alium Superiorem Ecclesiasticum, posse per ipsum Superiorem laicum compelli, ad ea, quæ tradit *Bertach. in tract. de Episcop. parte 5. lib. 4. num. 95. in 13. tom.*

5 *tract. diuers. parte 2.* Quamuis enim communior, & verior sit sententia, quod Iudex laicus negligentiam Iudicis Ecclesiastici supplere nequeat, vt dicit *Carol. de*

6 *Grass. vbi suprà, num. 394.* Tamen in contrarium videtur sentiendum, quando periculum esset in mora, quo casu multa permittuntur, quæ alias non permitterentur,

7 *arg. cap. Baptizari, dist. 5.* Et in specie, quod ex periculo moræ quis subijci possit Iudici non suo, dicit *Glos. in cap. Sacro. §. Caueat, in verbo, Periculo moræ, de sent. excom.*

Quia tamen in casu, de quo tractabatur, Superior laicus erat Legatus de latere, qui est etiam Iudex Ecclesiasticus, fuit resolutum posse compelli, & fuerunt compulsi,

pulsi, sed meo iudicio benè solùm ex eo, quod necessitas vrgebat, cum alias prima instantia coram Episcopo fieri debuisset,
8 ex quo facultas Legati de latere Ordinarijs præiudicare non debet, præcipuè ex *Conc. Trident. cap. Causæ omnes, sess. 24. de Reformatione*.

ARGVMENTVM.

AGens actione reali contra successorem in beneficio prò pensionibus decursis tempore Antecessoris in eodem beneficio tenetur probare exactissimis diligentijs exactionem procuraste contra Antecessorem, & exigere non potuisse, alias repellitur.

SVMMARIVM.

1 *SVccessor in beneficio non tenetur soluere pensiones decursas tempore sui Antecessoris, cum sit contra bonam fidem, & aquitatem, sed vide numeros sequentes.*
2 *Successor in beneficio tenetur soluere pensiones decursas tempore sui Antecessoris, si contra eundem Antecessorem diligentias exactissimas Pensionarius adhibuit, & exigere non potuit.*
3 *Successor in beneficio ad solutionem pensionum decursarum tempore sui Antecessoris tenetur in subsidium.*
4 *Communitas agens contra modernum possessorem prò collectis decursis tempore alterius possessoris repellitur, si diligentias non adhibuit prò illarum exactione.*
5 *Fraudibus est obuiandum.*

SINGVLARE CXIX.

CVm ageretur à quadam Communitate actione reali prò quodam anno debito super terris cuiusdam beneficij, Be-
1 neficiatus dicebat, quod cum tractaretur de summis decursis tempore sui Antecessoris, ipse non tenebatur, stante quod sit contra bonam fidem, & æquitatem, quod successor teneatur prò pensionibus decursis tempore Antecessoris, vt considerat *Puteus lib. 2. decis. 185. in fine*, & in om-
2 nem casum dicebat, quod saltem incumbebat eidem communitati agenti onus probandi adhibitas fuisse diligentias contra eundem Antecessorem, ad tradita per *Rotam pluries, vt in Neritonen. pensionis 10. Iunij 1611. qua in decis. Ludouisij est decis. 507.* Cum autem de diligentijs nullatenus constaret, & quidem de exactissimis, vt consideratur in *dicta decis.* Et plenè, vt *ad eandem subdit Beltram.* Constare deberet, fuit resolutum contra Communitatem actricem.

3 Quamuis enim regula sit, quod successor ad onera realia teneatur, & præcipuè ad pensiones ab Antecessore non solutas, tamen limitatur, quando dicta diligentia non præcessit, & sic concluditur, quod teneatur in subsidium, ad latè tradita per *Barbos. de off. & pot. Episcopi, alleg. 120.*
4 *per totam*, & in terminis Communitatum agentium prò collectis, quod prius debeant ipsæ Communitates excutere antiquos possessores, tradit *Amadeus à Ponte, in quæst. laudimial. quæst. 45.* vbi dicit, quod pluries Communitates negligentes in hoc fuerunt reiectæ, & quidem rectè, si non ob aliud, saltem ex quo alias daretur occasio colludendi cum Antecessore in præ-
5 iudicium successoris, contra regulam *l. In fundo ff. de re vend. & cap. Sedes de rescript.* qua fraudibus est obuiandum.

ARGVMENTVM.

ECclesiæ debentur fructus percepti ex re sibi legata à die aditæ hæreditatis, etiamsi illos non petierit, & maximè si concurrant requisita **Pauli de Castro in l. 2. ff. de eo, quod certo loco.**

SVMMARIVM.

1 *FRuctus fideicommissi non debentur nisi à die, quo petitum fuit ipsum fideicommissum.*
2 *Legati dominium ipso iure transit in legatarium eo momento, quo defuncti hæreditas aditur.*
3 *Fructus etiam non petiti à die cedentis fideicommissi Ecclesiæ debentur.*
4 *Mora absque petitione ipso iure contrahitur fauore minoris; & sic etiam Ecclesia, quæ est ad instar minoris.*

5 *In-*

5 *Interesse pecuniæ personæ priuilegiatæ debetur sine aliqua interpellatione, & absque vlla mora.*

6 *Interesse debetur concurrentibus mora debitoris in soluendo, consuetudine creditoris in non tenendo pecunias otiosas; & occasione prompta illas applicandi.*

7 *Interesse, vt ob retardatam solutionem consequi possit, non est necesse probare, quod occasio fuerit in promptu, si casus eueniat in loco insigni, & mercantili.*

SINGVLARE CXX.

QVærebatur, an quidam hæres teneretur soluere quoddam legatum quarundam pecuniarum factum cuidam Ecclesiæ vna cum fructibus nonullorum annorum decursorum à die mortis testatoris, cum pecuniæ, quas solum idem testator reliquerat, essent, & fuissent semper collocatæ ad fructus; & videbatur quod non, cum legatum non fuisset petitum, & nec etiam fuissent petiti fructus, ad
1 ea, quæ habentur de fideicommisso, cuius fructus non debentur nisi à die petitionis fideicommissi, vt inter alios tradit *Peregr. de fideicom. art. 49. nu. 79. & Surd. decis. 25. num. 1.*

2 Verùm in contrarium facere considerabam, quod legati dominium ipso iure transit in legatarium eo momento, quo defuncti hæreditas aditur, *l. A Titio 66. in fine, de furt. Cyriac. controuers. foren. 47.*
3 *num.* 8. & hæc est ratio, qua fructus etiam non petiti à die cedentis fideicommissi Ecclesiæ debentur, ipsi enim dominium ipso iure acquiritur, ad trad. per *Menoch. de arbitr. cas. 256. num.* 28. & per *Honded. cons. 26. num.* 18. *& seq. vol. 1.* vbi testatur de magis communi opin. & dicit etiam *Surdus dicta decis. 25. num.* 18.

Tenui itaque deberi à die prædicta, in qua & hæreditas adita fuerat, quia petitio
4 non ob aliud requiritur, nisi ad constituendum hæredem in mora, at mora absque petitione ipso iure contrahitur fauore minoris, *l. In minorum Cod. In quib. caus. restit. in integr. non est necess.* & sic etiam Ecclesiæ, quæ est ad instar minoris, & est
5 priuilegiata; detentor enim pecuniæ personæ priuilegiatæ cuiuscumque tenetur ad restitutionem vna cum interesse sine aliqua interpellatione, & absque vlla mora; *Surd. decis. 179. num. 6. Gait. de cred. cap. 2. tit. 7. quæst. 5. nu.* 205. & ad hæc faciunt etiam tradita per *Fusar. cons. 161. num. 4. & seqq.* & tantò magis ita tenendum credidi, quantò considerabam verificari re-
6 quisita *Pauli de Castro in l. 2. ff. de eo, quod certo loco*; mora scilicet debitoris ipso iure vt suprà introducta: item consuetudo Ecclesiæ, immò necessitas ponendi ad fructus, cum non possit capitale alienare, vel
7 consumare; & potentia propinqua ponendi ad fructus, ex quo casus erat in loco insigni, & mercantili, & sic dicta potentia propinqua præsumebatur, nec opus erat illam probare, vt fuit dictum in *Anconitana 18. Martij, & 3. Iunij 1569. coram Grato*, relata per *Seraph. decis. 186. in fine*: vltra quod erat notorium, quod ibidem plures occasiones aderant ponendi ad fructus, & maximè locorum montium, & similium.

ARGVMENTVM.

LEgatus de latere potest absoluere ab excommunicatione *Canon. si quis suadente Diabolo* suos subditos, & alios ad se venientes, etiam in eundo, & redeundo ad suam Prouinciam.

SVMMARIVM.

1 *EXcommunicatus propter manuum violentam iniectionem in Clericum potest absolui à Legato de latere, etiamsi sequuta fuerit læsio enormis, & atrox; sed quomodo, vide num. 5. seq.*

2 *Legatus de latere potest absoluere ab excommunicatione* Canonis, si quis suadente Diabolo, *etiam non subditos, dummodò tamen ad se veniant.*

3 *Legatus de latere potest absoluere etiam non subditos extra Prouinciam suam, in eundo tamen, & redeundo.*

4 *Legatus de latere potest absoluere vbique, & omnes excommunicatos à Canone, si quis* suadente Diabolo, *ad differentiam Legati missi, qui potest absoluere tantum suos subditos, & in Prouincia; & Legati nati, qui nullo*

lo modo potest; sed contrà num. sequenti.

5 *Legatus de latere potest absoluere ab excommunicatione* Canonis, si quis suadente Diabolo, *etiam non subditos, tam in sua Prouincia, quam extra, in eundo, vel redeundo, dummodo tamen ipsi non subditi ad ipsum accedant, & quare.*

SINGVLARE CXXI.

1 LEgatum de latere posse absoluere ab excommunicatione *Canon. si quis suadente Diabolo, Causa* 17. *quæst.* 4. quæ incurritur ob violentam iniectionem manuum in Clericum, habetur ex *cap. penul. de off. & pot. Leg.* & extenditur etiam ad læsionem atrocem, & enormem, ad *Felyn. & alios in cap. Ad eminentiam, de sent. excom. Barbos. de iure Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 5.
2 *nu.* 27. & potest absoluere etiam non subditos ad se venientes, vt ex prædictis habetur.

Dubium autem est, an possit absoluere non subditos extra Prouinciam suam, &
3 posse in eundo, & redeundo tradit *Glos. in*
4 *dicto cap. penul. de off. & pot. Leg.* Indistinctè autem eidem licere, tradit *Gambar de off. & pot. Leg. lib.* 8. *de pot. Leg. in absoluendo ab excom. in princ.* vbi ponit talem differentiam; quod Legatus de latere absoluit vbique, & quoscumque, Legatus missus tantum suos, & in prouincia, & Legatus natus nullo modo, ad *Abb. in cap. prædicto penul. de off. & pot. Leg.*

5 In facti autem contingentia ego fui in voto, quod non posset absoluere nisi ad se venientes, vel ad summum ad tradita per *supradictam Glos.* etiam alios in eundo, & redeundo, dummodo tamen isti personaliter se præsentarent, & sic ad ipsum pertranseuntem venirent. Nam alias frustra *dictum cap.* poneret illa verba, ad se venientes, & æquè benè potuisset dicere ad se mittentes; & sic fuit practicatum cum quodam extero, & extra Prouinciam legationis degente, qui prò absolutione, vt delegaretur extra eandem Prouinciam miserat, & cui fuit responsum, quod accederet, ne præcipuè videretur alias, quod in hoc Legatus totaliter cum Papa concurreret.

ARGVMENTVM.

GAbellæ à Clericis spontè soluentibus recipi possunt, quique illas recepit restituere non tenetur.

SVMMARIVM.

1 *GAbellæ nec à Clericis spontè soluentibus recipi possunt, & recepta restitui deberi sed contrà num. seq. quoad gabellas reales.*
2 *Spontè soluentibus Clericis, gabellæ recipi possunt, nec restituendæ veniunt, si non sint personales, & præcipuè sordidæ, & inhonestæ; & quarè.*
3 *Rerum suarum vnusquisque est moderator, & arbiter.*
4 *Clericus foro renunciare non potest, & quarè.*
5 *Clericus quarè non potest foro renunciare, & potest spontè gabellas soluere.*

SINGVLARE CXXII.

DVbitabatur, an à Clericis spontè sol-
1 uentibus gabellæ recipi possent, & an receptæ restitui deberent, & videbatur non posse: & restituendas esse, ad tradita per *Barbos. de iure Eccles. lib.* 1. *cap.* 39. §.
2 5. *num.* 13. & 14. In contrarium tamen faciunt deducta per *Specul. in tit. de Cler. coniug.* §. 1. *Bal. in auth. sed peric. Cod. sine cens. vel reliq.* Et per *Grass. de eff. Clericat. eff.* 3. *num.* 98. vbi relata etiam contraria opinione in *numeris antecedentibus*, concludit *nu.* 100. non recedendum à secunda tanquam communiori, intelligendo tamen de gabellis, & non de oneribus personalibus, & præcipuè sordidis, & inhonestis, quæ ab ipsis etiam spontè præstare volentibus, non sunt recipienda, ne fiat iniuria toto ordini clericali. Si enim benè consideratur hæc iniuria non pendet à re-
3 bus, quarum vnusquisque, prout suæ sunt, est moderator, & arbiter, *l. Re mandata ff. Mandati, cum simil.* sed a personis, quæ Clericali ordini aggregatæ non vilescunt,
4 quin & ipse ordo vilescat, & hinc meritò fit etiam, quod Clericus non possit foro renunciare, & dari se ad Iudices Laicos trahi, *cap. Significasti, & cap. Si diligenti de foro competen. vbi Glos. Specul. Bal. & alij latè*

cumu-

cumulati per Graff. vbi suprà eff. 1. nu. 42. &
5 *seqq.* tali enim casu consideratur eius persona, quæ vilesceret, si coram Iudice laico citaretur, quod non succedit, si res suas donat, & relaxat. Quãuis enim plus videatur esse laico soluere, quam coram laico conueniri, ex quo vti domino talis solutio fit; tamen meo iudicio non est ita, si consideretur, quod qui patitur se conueniri, & iudicari, iurisdictionem suprà se admittit, quod non facit, qui spontè soluit, cum semper, & etiam dum actualiter soluit, spontè soluat. Et sic posse solui, & restitui non debere, tenui.

ARGVMENTVM.

Episcopus, vel eius Vicarius ex causa necessaria, vel vtili testatoris voluntatem alterare potest.

SVMMARIVM.

1 *Voluntas testatoris ex causa vtili ab Episcopo alterari potest.*
2 *Bonum quò communius, eò melius.*
3 *Episcopus, vel eius Vicarius ex causa vtili, vel necessaria voluntatem testatoris alterare potest.*
4 *Mens testatoris magis ratione, quam verbis constat.*

SINGVLARE CXXIII.

Relictis per quendam testatorem scutis quinquaginta pauperibus cuiusdam Parochiæ distribuendis, Executores huiusce modi volũtatis instabant, vt sibimetipsis permitteretur dare dicta scuta quinquaginta ad annuum redditum vna cum alijs pecunijs ad eundem effectum, & eodem modo dandis, asserentes pauperibus ipsis magis proficuum esse distribuere fructus retrahendos ex dicta summa, quam prò vna vice distribuere summam ipsam. Reuocato itaque in dubium, an Episcopus
1 hoc facere posset, tenui quod sic ad tradita per *Bal. in l. si testamentum, Cod. de testam.* & ad decisa per *Rotam coram Mohedano decis. 1. de iurepatronat. alias decis. 124. per totam.* Vt enim concludit *Bal. vbi suprà,* propter vtilitatem hoc est permissum, & de vtilitate satis apparere videbatur, ex quo dicta summa ex fructibus paucorum annorum eroganda erat, & capitale integrum
2 semper remanebat, vltra quod intrare videbatur vulgatum axioma, bonum quò communius eo melius; pluribus enim pauperibus sic succurrebatur, quam si summa ipsa prò vna vice tantum distributa esset.

3 Licentiam itaque petitam concessi eò libentius, quò animaduerti, quod etsi verum non fuisset id, quod ex *dicta decis.* habetur, Episcopum scilicet, vel eius Vicarium posse ex causa necessaria, vel vtili alterare voluntatem testatoris, adhuc tamen extabant & coniecturæ, quæ suadebant ipsum testatorem ita voluisse, & proinde sustineri posse ex coniecturata eius-
4 dem testatoris mente, quæ magis ratione, quam verbis constat, ad tradita per *Mantic. de coniect. vltim. volunt. lib. 6. tit. 14. num. 9.*

ARGVMENTVM.

Reus in posse curiæ locum sacrum ingressus, eximens se de manibus satellitum dum in eodem loco sacro in posse ipsorum existit, immunitate Ecclesiastica gaudere debet, etiamsi statim recapiatur, & ab ipso loco immuni extrahatur.

SVMMARIVM.

1 *Immunitate non gaudet, qui ministros se ipsum vinctum tenentes in locum sacrum protrahit, & ab illis in Ecclesia non se eximit.*
2 *Immunitatis causæ cognitio ad Iudicem Ecclesiasticum spectat.*
3 *Fugiens, satellitibus insequentibus, secundum communiorem, & communiter practicatam sententiam immunitate gaudet, si in Ecclesiam se recipiat.*

SINGVLARE CXXIV.

Concordato inter quendam Reuerendiss. Antistitem meque Iudicem secularem
1 agentem, quod si Custos carcerum curiæ secularis semper tenuisset quendam Car-

ceratum, qui dum ad bancum iuris ducebatur, aufugiendo, & in locum sacrum se recipiendo, eundemmet Custodem secum traxerat, immunitate Ecclesiastica ipse Carceratus non gauderet, ad *Cons. Oldr.* 54. & tradita per *Boss. in tit. de delicto, num.* 22. & 23. ac per *Farin. prima parte Criminalium, quaest.* 28. *num.* 44. & hoc non obstante asserta contraria communi sententia, de qua praecipuè testatur *Clar.* §. *fin. quaest.* 30. *nu.* 21. & *Nauar. in manual. cap.* 25. *num.* 19. cum non sit talis, & practica sit prò prima opin. *Oldrad.* quae est vera, & communis, ad trad. per *Farin. in Appendice, de immun. num.* 201. fuit per eun-
2 dem Episcopum, cui haec cognitio spectat, ad clarè dispositа in *Bulla Greg. XIV.* desuper fabricatus processus, & probato, quod dum ipse Custos in loco sacro vna cum Carcerato existens manibus vestimenta ipsius Carcerati retinebat, ac ipso renitente trahebat, pluries eadem vestimenta scissa fuere, partesque illorum in manibus eiusdemmet Custodis remanserant ita & taliter, quod omninò disiuncti per plura interualla fuerant, fuit mandatum Ecclesiae ipsum Carceratum restitui, vnde per vim ipse Custos tandem illum extraxerat ad ea, quae conciliando dictas opiniones subdit *Farin. in dicta Appendice de immun. num.* 203. & ita fuit factum, non obstante, quod ipse carcerum Custos eiusdem carcerati reductioni ad carceres semper incubuisset, & sic licitè extractus vide-
3 retur ad instar illius, qui confugiendo ad Ecclesiam insequentibus satellitibus extrahitur, vt inter alios tradit *Cynus in Authen. si quis ei, Cod. de adulter.* Nam communior est opinio contraria, & communiter practicata, vt refert *Farin. dicta quaest.* 28. *n.* 41.

ARGVMENTVM.

IMmunitate Ecclesiastica non gaudet qui ad Sacerdotem confugit, illumque amplexatur.

SVMMARIVM.

1 *Immunitate videtur gaudere debere de iure, qui Sacerdoti adhaeret; sed contra, nu.* 3.

2 *Immunitate gaudet qui ad Episcopum confugit; sed contrà num. sequenti.*

3 *Immunitate non gaudet nec qui ad Sacerdotem, nec qui ad Episcopum confugit, & hoc tam de iure, quam de consuetudine.*

4 *Immunitate gaudet qui ad Sacerdotem portantem Sanctissimum Sacramentum confugit, vel in cubiculo infirmorum ipso Sanctissimo praesente existit.*

SINGVLARE CXXV.

INstanter, & instantissimè petebatur declarari immunitate Ecclesiastica gaudere quendam, qui per vim fuerat à birruarijs
1 ausulsus à quodam Sacerdote, quem amplexatus fuerat, & quidem de iure mihi non videbatur quarè gaudere non debe-
2 ret, argumento eorum, quae de Episcopo refert *Gambacur. de immun. lib.* 4. *cap.* 6. *nu.* 2. Sicut enim Episcopus vti lapis viuus videtur magis tribuere posse immunitatem, quam tribuat Ecclesia ipsa, quae ex lapidibus mortuis est constructa, ita & Sacerdos, qui concurrit ad aedificationem illius misticae Ecclesiae, cuius lapis angularis est Christus, petraque fundamentalis est Petrus, eandem immunitatem tribuere posse videbatur.
3 Verùm attenta consuetudine, de qua idem *Gambacurta num. seq.* testatur in terminis eiusdemmet Episcopi, cui neque de iure tale priuilegium concessum reperitur; fui in voto cum alijs, & dixi non gaudere, etiam iure inspecto. Cum enim immunitas loco sacro tribuatur, non videtur quomodo dici possit Sacerdotem tangentem in loco sacro esse, & prout ratione stillicidiorum videtur esse, qui locum sacrum tangit, & de quo retuli in *singulari* 101.
4 Neque visum fuit obstare, quod gaudeat qui associatur Sacerdotem portantem Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, vel qui in cubiculo infirmorum ipso Sanctissimo praesente existit, ad tradita per *Riccium parte* 3. *decis.* 88. *num.* 5. Quia iam iste casus communi Doctorum sententia est decisus, & introductus ob reuerentiam tanti Sacramenti, cuius maior ratio assignari non potest, vt tradit *Clar. in pract. crimin. quaest.* 30. *vers. Vlt. quaero*, & sic, non obstante allegata immunitate, ad vlteriora

teriora in causa contra ipsum carceratum processum fuit.

ARGVMENTVM.

MAtrimonium dissolui non debet nisi ex probationibus claris, & omni exceptione maioribus contra ipsius validitatem resultantibus.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium ex defectu qualitatis, in qua consensus eiusdem innititur, non subsistit.*
2 *Copula carnalis ex coniecturis, & præsumptionibus probari solet.*
3 *Matrimonium cum conditione virtuali celebrari potest.*
4 *Conditio virtualis de necessitate actualem supponit.*
5 *Matrimonium subsistere in dubio iudicari debet.*
6 *Matrimonium dissolui potest etiam ex probationibus non omni exceptione maioribus; sed contra num. sequenti.*
7 *Matrimonium dissolui non potest ex probationibus non omni exceptione maioribus, & maximè quando cum celebratione eiusdem concurrunt prò eius validitate aliæ vrgentes præsumptiones, & præcipuè cohabitatio coniunctorum in matrimonio.*
8 *Testes quod sint omni exceptione maiores, probari debet, & maximè in causis matrimonialibus.*
9 *Voluntas non fertur in incognitum.*

SINGVLARE CXXVI.

CElebrato matrimonio sub conditione præsuppositæ virginitatis, & honestatis in muliere, dicebatur postea per mari-
1 tum de nullitate eiusdem ex defectu consensus in dicta qualitate non subsistente innixi, ad tradita inter alios per *Sanchez de matrim. lib. 7. disp.* 18. *nu.* 21. *Couar. var. resol. parte* 2. *cap.* 3. §. 7. *num.* 3. *& Pontium de matr. lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 13. vbi dicit, quod in casu simili ita iudicatum fuit, & quod ita in quolibet alio casu tali iudicari debet.
2 Quod autem qualitas ipsa non subsisteret, constare prætendebat ipse maritus ex pluribus coniecturis, & præsumptionibus, quibus copula carnalis probari solet, vt de communi testatur *Menoch. cons.* 31. *nu.* 18. *& 25. lib.* 1. & dixit *Rota diuers. decis.* 95. *num.* 14. *parte* 2. *& Sanchez vbi suprà lib.* 10. *disput.* 12. *num.* 4.

Causa itaque diligentissimè discussa, & non satis comperto, quod cum dicta conditione matrimonium celebratum fuisset, & in omnem casum considerato, quod de ipsa conditione ante celebrationem matrimonij actum fuerat tantummodo inter
3 virum, & patrem mulieris, & sic quod non poterat dici cum *Io. Egidio Trollen. in praxi resol. Sacram. lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 3. *num.* 8. quod eadem conditio virtualiter saltem in
4 celebratione matrimonij interuenisset, ex quo ista virtualis de necessitate etiam debuisset in muliere actualem præcedentem supponere, ne conditio frustratoriè tantum prò parte viri absque scientia, & patientia eiusdem mulieris apposita videretur; Tenui, & iudicaui prò validitate ma-
5 trimonij, prò quo saltem in dubio iudicari debet, ad ea, quæ concludit *Pontius vbi suprà dicto num.* 13. Præcipuè autem id feci, quia maritus, non obstante, quod diceret se statim post celebrationem matrimonij detexisse dictam qualitatem deficere; tamen ne dum per menses cum ipsa muliere cohabitauerat, illamque ad propriam domum deduxerat, sed & post plures annos, quibus absens fuerat ad Patriam rediens ad eandem mulierem vti ad suam
6 vxorem diuerterat. Dato enim, quod ad dissoluendum matrimonium sufficerent etiam probationes non omni exceptione maiores, vt de communi refert *Mascard. de prob. concl.* 1021. *num.* 6. *&* 8. Et quod non esset attendenda magis communis opinio in contrarium de qua idem *Mascard.*
7 refert *vbi suprà, num.* 10. Tamen videtur indubitatum, quod tales requirantur, quando cum celebratione matrimonij concurrunt præsumptiones vrgentes, & præcipuè cohabitatio, vt conciliando dictas opiniones subdit idem *Mascard. vbi suprà*, præcipuè num. 13. Quod autem probationes in casu, de quo tractabatur, tales non essent; nedum apparebat ex eo,

quod omnes in coniecturis, & præsumptionibus non benè concludentibus consistebant, sed etiam quia testes, qui de illis
8 deponebant nedum omni exceptione maiores probati non fuerant, & prout probari debebant ad communem opinionem Doctorum de qua idem *Mascard. vbi suprà num. 16.* Sed illos pluribus exceptionibus laborare ex lectura eiusdem processus colligebatur.

Neque mihi visum fuit obstare, quod allegabatur dictam cohabitationem sequutam fuisse eo quia vir crediderat ob defectum dictæ conditionis matrimonium non posse dissolui, & quod de recenti à Theologis certioratus fuerat; quod dissolui poterat quia dato, quod de dicta conditione constasset, prout constare debebat, videbatur posse retorqueri dicendo, quod meritò matrimonium dissolui non debebat ex defectu conditionis, quæ vti habilis ad irritandum adhibita non fuerat, cum prò
9 tali cognita, & apprehensa non esset, ex vulgato naturali axiomate, quod voluntas non fertur in incognitum, vltra quod talis obiectio ex pluribus inuerisimilis suadebatur.

Ne tamen eidem asserenti se longè plura probare posse omninò viam præcluderem, dixi tantummodo in sententia de prætensa inualiditate non constare.

ARGVMENTVM.

Familiaris Episcopi, quamuis de iure fori priuilegio non gaudeat, de consuetudine tamen illo gaudere debet.

SVMMARIVM.

1 *Fori priuilegio familiaris Episcopi de iure non gaudet; sed contra num. sequenti.*
2 *Familiaris Episcopi fori priuilegio secundum omnes de iure gaudet; sed contra num. antecedenti, & sequenti.*
3 *Familiaris Episcopi fori priuilegio non de iure; sed de consuetudine gaudet.*
4 *Consuetudo est altera lex.*
5 *Episcopi in atrocioribus delinquentes ad curiam secularem puniendos remittunt.*
6 *Vicarius est Iudex competens familiarium Episcopi.*

SINGVLARE CXXVII.

1 Fori priuilegio gaudere non debere laicum familiarem Episcopi tradit *Gasp. Ant. Thesaur. quæst. foren. lib. 3. quæst. 78. num. 4. & 5.* Vbi dicit, quod neque iure, neque ratione probatur contrarium, immò subdit, quod rationi naturali repugnat, & quod inconueniens videtur, quod Episcopus in causa propria sui familiaris iudicium reddat, per *l. Qui iurisdictioni,*
2 *de iurisdict. omn. iud.* & re vera fundamentis etiam contrariæ opinionis, quam communem dicit, & à qua neminem discrepare asserit, ita respondet, quod de hoc dubitari non posse videatur, & quod proinde non immeritò in sua facti contingentia in hanc sententiam prò maiori parte suorum Collegum fuerit itum, quamuis ex Politica non executum, sed Principis iudicio remissum.

Cum itaque votum dare deberem in quodam casu, in quo fiscus secularis instabat procedi contra quendam Episcopi familiarem imputatum de quodam homicidio qualificato, & prò quo pœnam mortis irrogandam esse prætendebat, & quam
3 pœnam Episcopi minimè imponunt; Dixi priuilegio quidem fori de iure ipsum non gaudere, stantibus etiam ijsque latissime scripsit *Ansal. de Iurisd. par. 2. tit. 11. cap. 5. per totum* sed de consuetudine quæ tergiuersari non potest ad ea etiam quæ nouissime tradit *Thomas del Bene de Immun. parte 1. cap. 4. dub. 15. sect. 1. num. 5.* mo-
4 lestandum non esse. Cum enim consuetudo sit altera lex, *Gloss. 2. in l. 3. ff. Quod cuiusque vniuersit.* non videtur quare in hac tanquam in lege Episcopus suam iurisdictionem fundare non valeat, & maximè cum prædictum absurdum pœnæ mortis
5 non detur, si consideretur, quod Episcopus in atrocioribus delinquentes ad curiam secularem puniendos remittere debet *Cap. in Archiepiscopatu, iuncta Gloss. de Raptor.* & notat *Foller. in pract. crim. canon. cap. 33. Etsi confessi &c. num. 13.* & aliud etiam absurdum iudicij Episcopi in familiarem pariter cesset, saltem attenta persona

ſona ſui Vicarij, qui eſt Iudex competens familiarium Epiſcopi ad ea quæ etiam de Vicario Cardinalis notat *Sbrozzius de off. & poteſt Vic. lib. 2. quæſt. 146. num. 3. 4. & ſeqq.*

ARGVMENTVM.

CAuſa criminalis clerici nec per Legatum de latere Iudici laico delegari poteſt.

SVMMARIVM.

1 *CLericus nullo modo poteſt conueniri coram Iudice laico, nec etiam in realibus.*
2 *Iudicis laici iuriſdictionis prorogatio in Clericum non eſt poſſibilis.*
3 *Delegatus facultatibus delegantis vtitur, & ſic quodammodo ipſe delegans cauſam cognoſcit.*
4 *Papa cauſam criminalem Clerici Iudici laico committere non poteſt; limitatur tamen, vt num. ſequenti.*
5 *Papa vniuerſitatem cauſarum Clericorum laico committere non poteſt; ſed tantum vel alicuius, vel aliquorum.*
6 *Legatus de latere contrà ius commune nihil facere poteſt.*
7 *Papa ex cauſa contra ius Diuinum facere valet, illud modificando, & limitando.*

SINGVLARE CXXVIII.

QVærebatur, an Legatus de latere poſſet committere cuidam Iudici laico, quod poſſet cognoſcere in quadam cauſa
1 criminali contra Clericum; Et quamuis regula ſit, quod Clericus nullo modo poſſit conueniri coram Iudice ſeculari, nec in realibus, vt latè tradit *Marta de iuriſdict.*
2 *parte 4. Cent. 2. caſ.* 125. & meritò cum Iudicis laici in Clericum non ſit poſſibilis iuriſdictionis prorogatio, ad ea, quæ in propoſito congerit & *Carol. de Graſſ. de effect. Clericat. eff. 1. nu. 6.* Tamen videba-
3 tur, quod ſic, cum delegatus tali caſu facultatibus delegantis vteretur, & ſic delegans, & nón delegatus quodammodo cognoſceret, vt notat *Carol. de Graſſ. vbi ſuprà num.* 32.
4 Ego tamen requiſitus de voto, dixi non poſſe, quia Doctores & præcipuè prædicti, *Marta ſcilicet in caſ. 64. & Carol. de Graſſ. citato effectu 1. num. 19. & ſequentibus* quærentes hoc de Papa adducunt plura argumenta, quod nec ipſe poſſit, & maximè dicendo, quod eſſet contrà naturam facere, quod inferior ſuperiorem iudicaret: Item quod tenderet contra ius Diuinum, quo Clerici a laicis debent eſſe exempti, & hoc ſecundum *Martam*, non obſtante etiam ſupradicto motiuo dele-
5 gantis, & delegati. Et quamuis concludant, quod Papa poſſit aliquam cauſam, licèt non omnes, Iudici laico committere, tamen non ſequitur, quod hoc poſſit facere & Legatus de latere, qui iuri communi
6 derogare non poteſt, cum contra illud
7 nihil facere valeat, vt dicit *Crauetta conſ. 303. nu. 2.* & prout poteſt Papa qui poteſt ex cauſa & contra ius Diuinum facere, ad tradita per eundem *Martam, vbi ſuprà*, illud ſcilicet modificando, & limitando, ad ea, quæ notat *Carol. de Graſſ. allegato effectu 1. num. 21.* & ſic fuit reſolutum, & cauſa Iudici Clerico delegata.

ARGVMENTVM.

CLerici in criminalibus regulariter coram Iudice laico teſtificari non poſſunt, in caſu tamen, in quo veritas aliter haberi non poteſt, & vbi non venit pœna ſanguinis, vel mutilationis membrorum, de licentia ſuorum Superiorum id facere valent.

SVMMARIVM.

1 *CLericus teſtificari non poteſt coram Iudice laico abſque licentia ſui Superioris.*
2 *Clericus coram Iudice laico teſtificari non poteſt abſque licentia ſui Superioris, maximè in cauſis criminalibus contra laicum.*
3 *Clericus etiam in minoribus conſtitutus abſque licentia ſui Superioris coram Iudice laico teſtificari non poteſt.*
4 *Clericum examinandi licentiam Superior Eccleſiaſticus concedere poteſt in caſu, in quo veritas aliter haberi non poteſt, & in quo pœna ſanguinis, vel mutilationis membrorum imponi*

poni non debet; sed contra numeris sequentibus.

5 *Clericus nunquam in criminalibus coram Iudice laico testificari potest, eidemque licentiam id faciendi non est concedenda, si maius bonum publicum ex eius examine non speratur, quam sit periculum, quod ex eodem examine timetur.*

6 *Clerici in causis criminalibus coram Iudice laico nunquam examinandi sunt, idque faciendi licentia concedi non debet.*

SINGVLARE CXXIX.

1 CVm Clericus testificari non possit coram Iudice laico absque licentia sui superioris, *cap. Testimonium* 11. *quæst.* 1. *cap. Quanquam* 14. *quæst.* 2. & vt latè tradit
2 *Carol. de Grass. de effect. Clericat. eff.* 10. *nu.* 1. & maximè contrà laicum in causis criminalibus *dicto cap. Testimonium, & cap. Nullus* 11. *quæst.* 1. & prout firmant etiam multi relati à *Farin. in tract. crimin. quæst.* 61. *num.* 57. vbi sub *num.* 59. subdit, quod hoc multò magis procedit, si agitur de pœna sanguinis propter periculum irregularitatis; fuit coram me Iudicem Ecclesiasticum agente petita licentia examinandi in quadam causa criminali quendam Clericum
3 in minoribus constitutum, qui pariter in
4 ipsa testificari prohibetur, vt subdit idem *Farin. num.* 50. & cum veritatem aliter haberi non posse assereretur, quo casu licentiam talem concedi posse habetur clarè in dicto *cap. Quanquam*, & tradunt præcitati Doctores, illam concessi cum conditionibus, quod veritas re vera aliter haberi non posset, & quod nullatenus pœna sanguinis, vel mutilationis membrorum cuiquã inferretur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ contrà quemlibet inobser-
5 uantem aliquam ex dictis conditionibus, & non habui in consideratione id, quod in similibus casibus singulariter, & optimè considerat *Carol. de Grass. vbi suprà num.* 25. *&* 26. dicendo, quod nec etiam vbi non venit pœna sanguinis, & vbi veritas aliter haberi non potest dicta licentia est concedenda, cum ex prædictis examinibus Clerici inimicitias contrahant, & proindè a cultu Diuino subtrahantur, quia quamuis hæc sit causa, quam Doctores passim considerant, quando volunt, quod Clerici in rebus secularibus non se immisceant, & quæ certè & ipsa bonum publicum respicit, tamen in dicto casu suadebatur, quod præponderaret periculum, quod etiam bono publico imminebat, si dicta licentia non concessa remedium adhiberi non potuisset, & sic concessi, quod ipse Clericus testimonium perhibere valeret, declaran-
6 do quod in exemplum allegari non posset, cum re vera bonum publicum, quod immediatè respicit animam, & pròut est ne Clerici a Diuinis subtrahantur, prævalere debeat bono publico, quod immediatè respicit temporalia, & pròut est ne delicta remaneant impunita, & sic tanquam regulæ sit inherendum, quod Clericus nunquam in causis criminalibus examinari possit, & pròut sic simpliciter concludit *idem de Grassis dicto num.* 26.

ARGVMENTVM.

LEgatus de latere non tenetur exequi facere mandata delegati a Papa, & anteaquam illa exequantur, de illorum iustitia cognoscere potest.

SVMMARIVM.

1 *DElegatus est maior quocumque Ordinario. Declara tamen vt infra num.* 8.
2 *Vicerector vti Rector honorari debet.*
3 *Legatus valet exequi facere mandata delegati, sed non tenetur.*
4 *Legatus non est minor delegato, sed saltem par.*
5 *Par in parem iurisdictionem non habet.*
6 *Legatus, si erit executor alicuius delegati, erit executor mixtus, & non merus, & quare.*
7 *Executores meri possunt circa exceptiones coram ipsis propositas facere supersederi vsquedum ipsæ exceptiones à Iudice committente cognitæ fuerint.*
8 *Ordinarius loci, si est maior delegato, ad exequendum mandata ipsius delegati (saltem de æquitate) compelli non potest.*

SINGVLARE CXXX.

DVbitabatur, an Legatus à latere teneretur exequi facere quoddam mandatum cuiusdam delegati non obstante quod coram

ram ipso opponeretur de obreptione, & subreptione. Et prima facie videbatur, quod sic, cum talis delegatus esset delega-
1 tus à Papa, & proindè esset maior quocumque Ordinario, immò cum fungeretur vicibus ipsius Papæ, vti ipse Papa
2 quodammodo honorandus veniebat, ex quo Vicerector vti Rector honorari debet, ad ea, quæ notat *Abbas in cap. sanè il secondo, de offic. Iud. delegat.* & sic etiam per Legatum de latere eidem deferri debere videbatur, cum indubitanter Legatus ipsi Papæ deferre debeat.

Contrarius tamen ego fui in voto, & ita fuit practicatum non obstante etiam in-
3 sistentia ipsiusmet delegati. Textus enim mihi visus fuit expressus in *cap. finali, de officio Legati*, vbi habetur, quod Legatus valet exequi facere mandatum delegati, ergo potest, & non debet, & prout deberet si textus dixisset, *debebit*, loco, *valebit*, vt ibidem notat *Host.* & refert *Abbas cap.*
4 *2. de officio Legati, in fine*, vbi dicit, quod Legatus non est minor delegato, sed saltem est par, cum & ipse vices gerat Papæ, & proindè à delegato vti executor com-
5 pelli non potest, cum par in parem iurisdictionem non habeat, *l. Ille à quo*, §. *Tem-*
6 *pestiuum, ff. Ad Trebell.* Si enim Legatus potest dici executor, erit executor mixtus, & non merus, ad tradita per eundem *Abb. in cap. Pastoralis*, §. *Quia verò, num.3.* & melius, ad ea quæ habentur *in cap. finali* §. *vlt. de offic. deleg. & in Gloss. ad ipsum cap.* Si enim aliter diceretur Legatus non distingueretur ab alijs Iudicibus etiam pedaneis, & à simplici denunciatore, vt dicit idem *Abbas dicto* §. *Quia verò*. Vnde non est mirum, si Legatus in similibus semper de iustitia mandatorum potest cognoscere
7 si vult, anteaquam exequantur, ad differentiam aliorum, qui sunt executores meri, & tenentur exequi facere, vel ad summum possunt circa exceptiones coram ipsis propositas tantum mandare supersederi vsque dum à Iudice committente fuerint cognitæ, & circa illas pronunciatum, ad trad. per *Bart. in l. A Diuo Pio, tit. de re iud. num. 9. & seq.* & ad latè tradita per *Sebast. Vant. de nullit. tit. Coram quo, num.22.*
8 Nec visum fuit obstare, quod delegatus sit maior quocumque Ordinario, ad supra tradita, quia vltra quod Ordinarius loci maior delegato, saltem de æquitate, compelli non potest ad exequendum à delegato, vt notat *Abb. dicto cap. 2. de off. Leg. in fine*. Legatus, de quo tractabatur non erat ipsius loci Ordinarius, sed ipsiusmet Papæ vices omninò gerebat.

ARGVMENTVM.

Clericus, qui portat bona ad sui vsum indubitata, de illis nec gabellam soluere, nec profiteri tenetur.

SVMMARIVM.

1 *Gabellam, qui soluere non tenetur, debet res, quas portat præsentare, alias ipsæ res incidunt in commissum. Declarandum tamen videtur, vt infra.*

2 *Clericus prò rebus ad sui vsum gabellas soluere non tenetur.*

3 *Clericus gabellas soluere tenetur prò rebus, quas causa negotiationis portat.*

4 *Clericus, qui portat bona ad sui vsum indubitata, de illis nec gabellam soluere, nec profiteri tenetur.*

5 *Gabellarum solutioni an sint supposita nec ne bona, quæ Clerici asportant, Iudex Ecclesiasticus cognoscere debet.*

6 *Gabellarum in materia ei, qui ad solutionem non tenetur, & solum in professione errat, est ignoscendum.*

SINGVLARE CXXXI.

1 Quamuis, qui non tenetur soluere gabellas, debeat profiteri assignando, & notificando publicanis res, quas portat, etiam si sint tales, prò quibus gabella solui non debeat, alias ipsas res in commissum incidisse sit iudicandum, *l. fin.* §. *Diuus quoque, ff. de Publ. Bertach. in repert. verbo Gabel. fraudes, vers. ibi tamen, lib. 3. Grat. decis. 148. nu.21. & 22. & alij*, quos nouissimè cumulat *Carol. de Graff. de effect. Clericat. eff. 3. num. 257. & 258.*

Tamen in facti contingentia molestandum non dixi quendam Religiosum, qui in itinere repertus fuerat cum nonnullis bonis absque eo, quod illa gabellarijs notifi-

tificasset, & præsentasset, & hoc quia indubitatè apparebat, quod eadem bona ad sui
2 ipsius Religiosi vsum erant destinata, & sic solutioni gabellarum non erant subiecta,
3 vt præmittit *Carol. de Graſ. vbi suprà*, & prout fuissent si causa negotiationis asportasset, vt latè deducit *idem Carol. num. ante-*
4 *ced.* 175. Semper enim mihi visum fuit, quod prædicta procedere deberent in casu, in quo saltem dubitari posset, an bona, quæ deferuntur, essent supposita oneri gabellarum, quo casu per necesse sequeretur, quod præsentanda essent, publicani
5 ius suum experiri valerent, saltem coram Iudice Ecclesiastico, cui talis dubij cognitio spectat, secundum ea, quæ notat *idem Carol. vbi suprà num.* 259. alias Clerici absque vlla causa grauarentur ad præsentationem prædictam, idque indubitanter feci, quia cum mihi ex indultu esset arbitrarium pœnas incursas condonare, tenui,
6 quod in omnem casum omninò illam condonare debuissem, per textum expressum in dicto §. *Diuus*, vbi legitur, quod Diuus Pius rescripsit, quod ei, qui prò sui vsu mancipia duxerat, & in sola professione errauerat, ignoscendum erat.

ARGVMENTVM.

Clericus vti suspectus de fuga carcerari non potest, sed requiritur, quod actualiter sit fugitiuus.

SVMMARIVM.

1 *Clericus non ita de facili, sicut laicus, est carcerandus.*
2 *Clericorum fama maiori periculo, & scandalo subest, quam laicorum.*
3 *Clerici sunt in Ecclesia super candelabra, vt alijs luceant.*
4 *Fugæ suspicio non sufficit vt Clericus capi possit; sed requiritur, quod actualiter sit fugitiuus.*
5 *Clericus, si vti suspectus de fuga caperetur, absque eo quod actualiter esset fugitiuus, acrius tractaretur, quam laicus, & quarè.*
6 *Clericus debitor facilius potest eximere suam personam, quam laicus, cum ampliori beneficio* capituli Odoardus *gaudeat, quo gaudere non potest laicus.*
7 *Clericus in minoribus constitutus Ecclesiæ non seruiens priuilegio* cap. Odoardus *non gaudet; sed contraria opinio est communis, & absque dubio, si sit beneficiatus.*
8 *Fugientem debitorem creditor ipse carceribus mancipare potest.*

SINGVLARE CXXXII.

1 CVm Clericus non ita de facili sit carcerandus, sicut laicus, sed cum maiori consideratione contra ipsum procedi debeat, ad notata per *Clar.* §. *fin. quæst.* 28. *nu.* 5. *Diaz in pract. crimin. canon. cap.* 123. *in prin. Farin. tract. crimin. quæst.* 27. *num.*
2 72. *&* 74. *ac alios per ipsos relatos*, & quidem optima ratione, si consideretur, quod maiori periculo, & scandalo subest fama
3 Clericorum, quam laicorum, cum illi sint in Ecclesia vti candelæ super candelabra, vt alijs luceant, vt dicit *Carol. de Graſ. de eff. Cleric. in prœludio, num.* 11. Non detuli cuidam instanti sibi concedi licentiam faciendi capere quendam Clericum debitorem, quem seruatis seruandis iam suspe-
4 ctum de fuga iurauerat. Tenui enim per prædicta, quod non sufficerent ea, quæ regulariter requiruntur ad obtinendum mandatum suspicionis fugæ, sed quod requireretur, quod ipse Clericus esset in actu fugæ, & sic fugitiuus, vt in puncto tradit *Castagna in tract. de beneficio deducto ne egeat, quæst.* 10. *nu.* 42. *& seqq.* Alias enim
5 considerabam, quod prò minori suspicione carceraretur Clericus, quam laicus,
6 acriusque tractaretur, quam iste, cum certo certius sit, quod facilius ipse Clericus possit eximere suam personam, quam laicus, cum ille ad bonorum cessionem non teneatur, sed ampliori beneficio *capituli Odoardus de solut.* gaudere possit, & sic non ita vehemens fugæ suspicio in ipso resultare valeat, sicut in laico.
7 Nec mihi visum fuit obstare, quod Clericus, de quo tractabatur, esset minoribus tantum ordinibus decoratus, & quod actualiter Ecclesiæ non inseruiret, & proinde cum beneficio dicti *cap. Odoardus* non gauderet, ad tradita per *Couar. var. resol. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 9. Neque à suspicionis fugæ mandato eximi posse videretur; Quia vt ex traditis ab ipso *Couar.* colligitur,

ligitur, communis opinio est in contrarium, & cum ipse nullum Doctorem citet prò sua opinione Capitulumque *Odoardus* indistinctè loquatur, de ipsius *Couar.* dicto curandum non credidi, & maximè cum Clericus, de quo tractabatur, esset beneficiatus, quo casu absque dubio non requiritur quod Ecclesiæ inseruiat, cum *Concilium Tridentinum sess. 23. de Reform. cap. 6.* æquiparet Clericum beneficiatum Clerico, qui de mandato Episcopi Ecclesiæ seruit.

Minus obstare credidi, quod Doctores, qui dicunt non ita de facili contra Clericum ad capturam esse procedendum, loquantur in criminalibus, quia ratio militat etiam in ciuilibus, & maximè, si agatur de suspicione fugæ, quo casu, vt obseruat *Castagna vbi suprà num.* 43. dolus considératur, ex quo absque dubio fama denigrari potest.

Benè verum est, quod aliter forsan sensissem, si vltra iuramentum partis aliqualiter probatum fuisset, quod ipse Clericus fugere vellet, cum re vera nimis rigorosa mihi videretur opinio *Castagna*, quod actualiter debeat esse fugitiuus, tali enim
8 casu opus non est ministerio Iudicis, cum creditor ipse possit suum debitorem actualiter fugientem carceribus mancipare, vt passim firmant *Doctores* per *l. Ait prætor §. si debitorem ff. Quæ in fran. credit.* Et de Clerico tradit *idem Castagna vbi suprà nu.* 37.

ARGVMENTVM.

Processus nullus, & iniustus comburi potest; ob interesse tamen partis in alio iudicio, comburi non debet.

SVMMARIVM.

1 *Vrisdictionis defectus est maximus, irreparabilis, & insanabilis.*
2 *Delegationis rescriptum ante omnia exhiberi debet, alias delegatus procedere non potest, etiam si se delegatum esse sciat.*
3 *Delegatus certus esse debet de sua delegatione, alias nulliter agit.*
4 *Delegatus citando copiam suæ delegationis in citatione inserere debet.*
5 *Delegatus de sua potestate in scriptis fidem facere debet; limitatur tamen vt in seqq. num. 6. & 7.*
6 *Cardinalis, seù alius magnus officialis de sua delegatione, & potestate in scriptis fidem facere non tenetur.*
7 *Delegatus, Principe delegante præsente, de sua potestate in scriptis fidem facere non tenetur.*
8 *Vitis, aut vino, aut igni est destinata.*
9 *Processus, ex quibus sententia definitiua sequi non possunt, ad instar arborum, quæ fructus non faciunt, ad ignem sunt ponendi.*
10 *Sententiæ dicuntur esse fructus iudiciorum.*

SINGVLARE CXXXIII.

Reclamante quodam Regulare à quadam sententia, qua ad triremes in contumacia damnatus fuerat per quendam alium Regularem vti Apostolicum Delegatum, qui nulliter processisse videbatur; tum quia ante sibi præsentatam delegationem processerat; tum quia copiam ipsius delegationis inquisito illam petenti non transmiserat, fuit alter Regularis pariter delegatus cum facultatibus amplissimis cognoscendi, & terminandi, prout sibi iuris esse visum fuisset, cumque ipse processum antedictum nullum ex prædictis, iniustumque ex alijs per inquisitum deductis reperijsset, eundem processum ne dum comburendum dixit, comburique mandauit, sed & ipsum actualiter comburi fecit. Quo facto tam insolito excandescens pars aduersa contra eundem delegatum querelam porrexit, tanquam quod malitiosè iura sua peremisset. Vocatoque propterea ipso delegato ad Vrbem, quid de tali facto prò veritate sentirem ego requisitus nullum absque dubio processum ipsum
1 dixi ex defectu iurisdictionis, qui est maximus ad *Bal. in Rubr. Cod. Si à non compet. Ind. & alios* relatos per *Vant. de nullit. ex def. iurisd. in princ.* vbi tradit etiam, quod est irreparabilis, & insanabilis; & quidem absque dubio anteaquam processus in-
2 choaretur, rescriptum delegationis exhibendum erat, alias per assertum delegatum procedi non poterat, etiamsi se delegatum fuisse sciuisset *Rota in nouis. de off.*
3 *deleg. decis. 6. num.* 1. debet enim delegatus certus esse de sua iurisdictione, alias

 nulli-

nulliter agit, *Rota in Recens. decis.* 214. *nu.* 2. *parte* 2. *tom.* 1. & maximè in casu, de quo tractabatur, in quo vigebat præsumptio in contrarium, cum ex quibusdam Bullis ostenderetur, quod Regularis largioris ordinis, prout erat ipse assertus delegatus, non posset iudicare in causa Religiosi strictioris ordinis.

In casu autem, quod de iurisdictione constitisset pariter absque dubio nullitas
4 resultabat, ex quo ipse delegatus citando copiam delegationis in citatione non inseruerat, prout facere debebat, *Decian. tract. crim. lib. 4. cap. 15. num. 12. ex Innoc. in cap. 1. de dilat. vers. Vlterius, & Ang. cons. 8. col. 1. in fine, vers. secundo quia ex*
5 *serie*. Nulli enim est dubium, quod Iudex delegatus in scriptis de sua potestate fidem facere debet, cum eius dicto credendum non sit, *Vant. & alij plures relati per ipsum, vbi suprà num. 16.* Et maximè si petatur, prout in asserto casu petitum fuerat, quicquid dicant Doctores in terminis magni
6 officialis, puta Cardinalis, cui absque tali fide in scriptis credendum videtur, vt sub-
7 dit *Vant. num. seq.* vel si Princeps ipse sit præsens, & sic ab eo facilè cognosci possit veritas, vt per *Paris. cons. 11. num. 17. parte 4.* Casus enim erat in simplice Fratre, in loco valde distanti à residentia Principis, & in terminis, quod ipsa delegatio in pluribus subsistere non posse, immò non adesse prætendebatur, & sic valdè inquisito intererat, quod prius de illa discuteretur.

Punctus itaque fuit, an secundo Delegato processum sibi etiam notoriè iniustum visum comburi facere licuerit, & quidem si copiam quandam authenticam (Deo, vt credo, inspirante) sibi non reseruasset, nullam vtique excusationem eidem competere dixissem.

Verùm cum occurreretur motiuo partis aduersæ, quæ re vera iura sua perempta dicere non poterat, cum de illis copia authentica, & collationata remansisset; indubitanter tenui, quod factum eiusdem Delegati religiosæ simplicitati, feruentique zelo attribuendum esset, considerans pri-
8 ma facie, quod processus est ad instar vitis
9 Euangelij, quæ vel vino, vel igni est deputata, & postea inueniens in terminis auctoritatem in 12. *tomo tractatuum in quodam opusculo domestico in arborem Iudiciorum Ioannis de Grassis in prælud. sub num. 4.*
10 *& 5.* vbi habentur hæc formalia verba: *Sententiæ dicuntur esse fructus Iudiciorum, & ad quos fructus (hoc est sententias) tendunt omnia iudicia, & sicut arbor, quæ non facit fructum exciditur, & mittitur in ignem, iuxta verba Euangelij, & cap. Quamuis de deci. ita processus, ex quo non potest sequi sententia definitiua, ad ignem ponendus est, l. 1. ff. de off. assessor. cap. 2. de off. Vicar.*

His itaque attentis, multòque magis, eiusdem Patris animi candore, ne dum irreprehensus, sed benignè, vt audiui, fuit dimissus.

ARGVMENTVM.

TEstes non possunt cogi cum excommunicatione ad testificandum nisi in subsidium, & præcedentibus alijs pœnis.

SVMMARIVM.

1 *EXcommunicatione nulla maior pæna datur in Ecclesia.*

2 *Excommunicatione nonnisi in subsidium est vtendum.*

3 *Excommunicatione testes non possunt cogi ad testificandum nisi in subsidium, & omnibus alijs remedijs prius adhibitis.*

4 *Extraordinarium remedium, seù auxilium non est dandum, dum ordinarium competit.*

SINGVLARE CXXXIV.

1 CVm excommunicatione nulla maior pœna detur in Ecclesia, *cap. Corri-*
2 *piamur 24. quæst. 3.* & cum proinde illa nonnisi in subsidium vtendum tradant Doctores, & præcipuè *Ricc. in praxi rerum quo-*
3 *tid. parte 4. Praxi excom. in subd. Resolut. 200.* nolui adhærere cuidam practicæ, seù potius corruptelæ introductæ cogendi testes ad deponendum coram Iudicibus laicis absque eo, quod prius pœnis temporalibus fuissent frustra coacti, & tantò magis quod aderat statutum, quod ita fieret nedum captis pignoribus, sed etiam executione personali.

Indu-

Indubitateque dictam consuetudinem abrogandam censui, quando animaduerti, quod *Concil. Trident. in cap. 3. sess. 25. de reform.* loquendo de ipsis causis, quæ in foro Ecclesiastico agitantur excommunicatione non vtendum mandat nisi prius tentatis omnibus alijs vijs, executionum scilicet realium, & personalium, priuationum beneficiorum, & similium. Si enim prò suo tribunali id facere Iudici Ecclesiastico non licet, quarè prò tribunali laico licebit? & maximè cum ad hoc conferant
4 etiam leges ciuiles, quibus cauetur non esse dandum remedium, seù auxilium extraordinarium, dum ordinarium competit, *l. In causæ cognitione*, la seconda *ff. de minor. cum simil cit. ibidem per Glos. in verbo, Nam si communi*; quod absque dubio procedere debet, si auxilium extraordinarium in subsidium est introductum; & prout est restitutio in integrum, de qua tractatur in dicta *l. In causæ*, vt expressè legitur in Summario eiusdem, & sicut etiam ex prædictis est excommunicatio. Repugnat enim, quod aliquod sit in subsidium, & de directo, eodem vti valeat; & ad hæc faciunt etiam, quæ in terminis tradit *Lazar. de monitor in can. quæst. sect. 1. quæst. 15. nu. 15.* & quæ leguntur in *tex. & Glos. cap. 2. de test. cogendis* vbi ipsos ordinè prædicto cogendos proponitur.

ARGVMENTVM.

Animalia colonorum Ecclesiasticorum collectari possunt etiam si prò colonia eorundem Ecclesiasticorum inseruiant.

SVMMARIVM.

1 *Animalia, quæ non sunt in dominio Ecclesiasticorum, nulla immunitate ex persona eorum potiri possunt.*
2 *Coloni prò fructibus, quos percipiunt, si qui supersunt & prò laboribus, & pensionibus collectari possunt.*
3 *Collectis in exigendis consuetudo, quæ viget, seruanda est.*
4 *Ecclesiasticorum colonorum grauamen quoad collectas non est considerabile respectu immunitatis Ecclesiasticæ, si plus ab eis non exigitur, quam à colonis laicorum exigitur.*
5 *Clericorum damnum non est considerabile, si remotè eis resultat, & intentio illos grauandi non interueniat.*
6 *Immunitas Ecclesiastica vulnerata dici non potest ex damno, quod remotè Clericis resultat, si intentio illos grauandi non interueniat.*
7 *Famuli Clericorum possunt cogi ad soluendas gabellas Laicis impositas, quia vt laici tali casu considerantur, & sic tantum remotè, & per accidens Clerici grauantur.*

SINGVLARE CXXXV.

Cum imposita reperiretur quædam contributio, seù collecta personis prò rebus, & hoc generaliter, colonis scilicet etiam Ecclesiasticorum prò ipsorummet Bobus, quibus coloniam Ecclesiasticorum actualiter exercebant.

Quærebatur, an ex ipsius collectæ exactione immunitas Ecclesiastica læderetur, ex quo certum videbatur, quod Ecclesiastici ex eiusdem collectæ impositione, & exactione damnum reportarent, cum non ita fauorabiliter, sicut ante prædictam impositionem, sua prædia locare possent, & alij coloni reperirentur, qui vltra consuetam pensionem, regalia capponorum, & similium rerum offerebant quolibet anno reddere prò concurrenti quantitate, qua à prædictæ collectæ solutione eximerentur.

Articulo autem, vt referrem quid in iure sentirem, mihi commisso, dixi, quod collecta licitè imponi potuerat, imposita,
1 que absque immunitatis læsione exigi poterat, quia cum boues non essent in dominio Clericorum nulla immunitate ex persona ipsorum potiri poterant, ad ea, quæ latè cumulat *Carol. de Graff. de effect. Cleric. eff. 3. num. 56.*

Nec mihi visum fuit obstare, quod boues prædicti prò colonia Ecclesiasticorum deseruirent, quia non per hoc erat, quod
2 exirent è dominio colonorum, qui prò fructibus, quos percipiunt, si qui supersunt, & prò laboribus, & pensionibus collectari possunt, secundum opinionem, quam receptiorem dicit *Osasch. decis. 166.* relatam per eundem *de Graff. vbi suprà num. 54.* & maximè si consuetudo collectandi extet, &

prout extabat in casu, de quo tractabatur.

3 In collectis enim exigendis communis conclusio est, quod consuetudo seruetur, vt tradit idem *Osasch. in his terminis decis. 83. in fine*.

Minus facere tenui, quod immunitas Ecclesiastica ex hoc lædi videretur, quasi quod coloni sic à colonia Ecclesiasticorum retraherentur, vel Clerici aliquod damnum paterentur, quia non damnum in omnem casum reportabant, sed lucrum

4 amittebant, & considerabile non erat, si à colonis Ecclesiasticorum plus non exigeretur, quam à colonis laicorum, ad tradita per *Menoch. de arbitr. casu 562. nu. 55.* Nec videbatur quarè Ecclesiastici possent dici in damno, si consequerentur, quod communiter alij consequebantur. Hinc enim sequebatur, quod damnum esset solum colonorum, qui nullo modo diminuta solita responsione partis fructuum Dominorum, soluere debebant collectam, de qua tractabatur ex ipsorum parte colonica, quæ absque dubio grauari poterat, ad latè tradita per *Carol. de Grass. vbi suprà*; & non videbatur quarè à colonia Ecclesiasticorum retrahi deberent, cum & vti coloni laicorum tale onus subire deberet.

Sed esto quod & aliquod damnum ex prædictis Ecclesiasticis resultaret, tamen considerandum non duxi, per ea, quæ tradit *Eminentiss. D. Card. de Lugo in suo tract. de Iustitia, & Iure, disp. 36. sect. 9. nu. 133. & seqq.* vbi expresè habetur con-

5 siderabile non esse damnum, quod remotè Clericis resultat, si intentio illos grauandi

6 non interueniat, nec per id dici posse immunitatem Ecclesiasticam vulneratam,

7 pròut dici non potest si famuli Ecclesiasticorum cogantur soluere Gabellas Laicis impositas, quia vt Laici, & non vt tales famuli tali casu considerantur, & sic tantum remotè, & per accidens Clerici grauantur.

Non obstante tamen, quod casus videretur decisus etiam ex nonnullis literis Sacræ Congregationis quibus mandabatur, quod coloni Ecclesiasticorum Diœcesis, de qua tractabatur, subire deberent onera Laicorum, sicut cœteri; causa (ex deductis in contrarium, soluendis tamen meo iudicio ex prædictis) in longum protracta remansit indecisa.

Fateor tamen quod ob graue præiudicium quod ex prædictis in facti contingentia resultare posset, non esset ad easdem collectas procedendum absque ordine Sanctissimi, vel saltem simili eiusdem Sacræ Congregationis.

ARGVMENTVM.

Missæ pro anima testatoris illas legantis celebrari debent in Ecclesia, in qua eius corpus sepelitur, & maximè si sit sua Parochialis, dummodo ipse alias expresè non disposuerit.

SVMMARIVM.

1 *Hæres est eiusdem potestatis, iurisque, cuius erat defunctus.*

2 *Voluntas testatoris de eo, cui magis legare voluerit, coniecturis probari potest.*

3 *Verosimilius in dubio semper præualere debet.*

4 *Missæ magis prosunt, si celebrentur in Ecclesia, in qua corpus defuncti, prò quo celebrantur, sepultum est, & quarè.*

5 *Legatum in benemeritum relictum esse, præsumi debet.*

6 *Missæ celebrari debent in Ecclesia, vbi corpus defuncti, qui illas legauit, sepultum est, si alias ipse defunctus non disposuit.*

SINGVLARE CXXXVI.

Cvm quidam testator fecisset legatum prò celebrandis missis, & non expressisset Ecclesiam, in qua celebrari deberent, prætendebat hæres illas celebrari facere in Ecclesia sibi benè visa, & prima facie videbatur eidem ita licere, cum (ex quo

1 hæres est eiusdem potestatis, iurisque, cuius erat defunctus, *l. Hæredem ff. de regul.*) possit facere ea, quæ defunctus facere poterat.

2 Verùm cum voluntas testatoris in specie de eo, cui magis voluerit legare, ex coniecturis probari possit, ad ea, quæ tradit *Mant. de coniect. vlt. vol. lib. 8. tit. 4. nu. 5.* indubitanter probatam esse tenui in casu, de quo tractabatur, cum ex pluribus suaderetur ipsum voluisse illas celebrari debere in Ecclesia, in qua corpus suum sepultum fuerat, & maximè cum talis Ecclesia

3 clesia esset Parochialis. Considerabam
enim præcipuè, quod in dubio semper
præualere debet verosimilius, *cap. Inspici-
mus in obscuris de reg. iur. in* 6. & verosimi-
lius erat, quod testator voluisset missas ce-
lebrari in Ecclesia, in qua corpus suum se-
4 pultum fuisset, cum magis eidem prodesse
possent, ex quo, vt notat *Abbas in cons. 99.
num.* 5. *lib.* 2. missæ prædictæ adiuuantur
ex patrocinio illorum Sanctorum, in quo-
rum honore ipsa Ecclesia est ædificata,
cum ipsis Sanctis, & ipse defunctus ibidem
sepultus commendatus sit, vt notatur in
cap. Non existimemus 13. *quæst.* 2. *in fine*; &
maximè cum eadem Ecclesia esset Paro-
chialis, & sic esset præsumendum, quod
remuneratio dictarum missarum eidem
ipse testator dari voluisset, cum iam onus
sibi Sacramenta ministrandi sustinuisset,
5 aliaque pietatis officia erga ipsum exer-
cuisset; legatum enim in benemeritum re-
lictum esse præsumi debet, argumento *l. Si
verò non remunerandi* §. *Inde Papinianus ff.
Mand.* & aliorum, quæ tradit *Mantica vbi
suprà lib.* 8. *tit.* 6. *num.* 19.

6 Vnde non immeritò ex his, alijsque co-
niecturis ita tenent *Abbas cons.* 99. *lib.* 2.
Ias. in l. Non vtique §. *si quis insulam, in fin.
ff. de eo, quod certo loco*, *Genuens. in manual.
Pastor. cap.* 72. *num.* 4. & ita fuisse decisum
refert *Rotius in praxi rerum quotid. parte* 4.
resol. 97.

Reiecta itaque hæredis prætensione, ad fauorem Parochi pronunciaui, ipsumque hæredem non solum condemnaui ad missas celebrari faciendas in Parochia, vbi corpus sepultum fuerat, sed ad tradendum eleemosinam legatam eidem Parocho, quatenus missas celebrare vellet, cum posset, ex quo iuxta dispositionem testatoris semel in hebdomada per nonnullos annos celebrandum erat, quicquid esset, si testator hoc non expressisset, cum tali casu eius interesset, quod quò citius, immò vno die celebrarentur, & sic in Ecclesia quidem sepulturæ, sed per quoscumque celebrari posse viderentur, quatenus hæres citò illas celebrari facere vellet, ita tamen quod nunquam excluderentur Sacerdotes eiusdem Parochiæ prò illis, quas celebrare possent.

ARGVMENTVM.

LOca pia merè laicalia visitationi Episcoporum non subsunt, si eorum auctoritate erecta non sunt.

SVMMARIVM.

1 *Locus pius, laicalis est iudicandus, si licentia alienandi eius bona laicis est reseruata.*

2 *Locus pius Episcopi auctoritate erectus non est præsumendus, si eidem in litibus tam actiuis, quam passiuis Iudex laicus est assignatus.*

3 *Visitationi Episcoporum loca merè laicalia non subsunt.*

4 *Episcopi visitare non possunt loca pia etiam Ecclesiastica, quæ sub immediata protectione Regum sunt.*

5 *Visitare non possunt Episcopi loca pia, quæ sub immediata protectione Regum sunt, vel Principum, qui iura imperij in suis dominijs habent.*

6 *Ordinarius habet intentionem fundatam visitandi quæcumque loca pia sua auctoritate erecta.*

SINGVLARE CXXXVII.

COetu laicorum erecto quodam Hospi-
tali, quærebatur, an liceret Ordinario
illud visitare, egoque, vt muneri meo satis-
facerem, contendebam quod non, quia
1 ex erectione ipsa colligebatur, quod esset
locus merè laicalis, & maximè, quia inter
alia statutum fuerat, quod in alienatione
bonorum ipsius Hospitalis nulla alia licen-
tia requireretur, quam Principis secularis,
qui caput, & protector eiusdem renuncia-
tus fuerat, quod vtique fieri non potuisset,
si Episcopo subesse debebat, ad latè tradi-
ta per *Barbos. de off. & pot. Epis. alleg.* 75.
2 *num.* 31. & etiam, quia eidem de Iudice se-
culari tam in litibus actiuis, quam passiuis
prouisum fuerat, & sic absque auctoritate
Episcopi erectum iudicari debebat, ad ea,
quæ præmittit *Barbos. vbi suprà, num.* 30.
3 Quod autem ius visitandi tale locum merè
laicale Episcopo non competeret, indubi-
tatè tenendum videbatur, per ea, quæ latè
scripsit *Valasc. tom.* 2. *Consult. & rerum in-
dicat.*

4 *dicat. Consult.* 105. *nu.* 47. *& seqq.* Et ma-
ximè quod à Visitatione Ordinariorum
excipiuntur illa loca, quæ sub immmediа-
ta Regum protectione sunt, *Conc. Trid. sess.*
5 22, *de Reform. cap.* 8. Et pròut erat dictum
Hospitale, cum talis Princeps iura imperij
in suo dominio haberet, & sic tali priuile-
gio Regibus concesso gauderet, ad *Fusc.
de visit. & reg. Eccles. lib.* 2. *cap.* 13. *nu.* 23.
Quia tamen in contrarium constabat,
quod in erectione de Ordinarij scientia,
& beneplacito mentio facta fuerat, &
quod semel iam visitauerat, re ad Sanctissi-
mum delata, oraculum prodijt, quod Epi-
scopo visitare liceret, & quidem (vt cre-
do) quia dubium saltem, quod oriri pote-
rat, an in erectione interfuisset auctoritas
Episcopi, ex quo de eius scientia, & bene-
placito mētio facta fuerat, videretur in eius
fauorem declaratum ex iam permissa visita-
6 tione, & sic quod intraret regula, qua fer-
tur Ordinarium habere intentionem fun-
datam visitandi quæcumque loca pia sua
auctoritate erecta, vt habetur ex *cap. Si quis
Episcoporum* 16. *quæst.* 5. *& alijs relatis per
Velasc. vbi suprà num.* 45.

ARGVMENTVM.

Resignato beneficio in fauorem
certæ personæ, maximè cum
clausula non alias, aliter, nec alio modo,
si beneficium eidem personæ non quæ-
ratur, illiusque possessionem ipsa perso-
na non adipiscatur, beneficium non va-
cat, & ius ipsius à resignante non abdi-
catur.

SVMMARIVM.

1 *Resignato beneficio in fauorem certæ per-
sonæ, collatoque eidem in forma di-
gnum, beneficium vacat, si resignatarius vti
non idoneus reprobetur, sed contrà num.* 3.
2 *Resignans tenetur inquirere de idoneitate resi-
gnatarij, & sibi imputare debet, si beneficium
vacat postea, ex quo resignatarius idoneus non
reperitur; sed vide num.* 4.
3 *Resignatione facta in fauorem certæ personæ,
beneficium non vacat, iusque à resignante ab-
dicatum non dicitur, si beneficium, illiusque
possessio resignatario non acquiratur, & maxi-
mè stante clausula (& non alias, aliter, nec
alio modo.)*
4 *Resignans, qui tenetur de idoneitate resigna-
tarij inquirere, ex ignorantia iusta excusatur.*
5 *Sacerdos eo ipso, quod sit talis, etiam ad Sa-
cramentum pœnitentiæ admittitur, quamuis
eidem exercitium præterquam in articulo mor-
tis suspendatur.*
6 *Sacerdos an debeat ordinari, si non est & ido-
neus ad confessiones audiendas, dubitatur.*

SINGVLARE CXXXVIII.

Resignauerat quidam Parochus in mani-
bus Sanctissimi suum beneficium cura-
tum ad effectum, quod de illo prouidere-
tur talis Sacerdos, & non alias, aliter, nec
alio modo, obtentaque postea per eundem
Sacerdotem prouisione in forma dignum,
mihique commissa executione, cum ipse
Sacerdos vti non idoneus ab examinatori-
bus synodalibus fuisset reprobatus conti-
git dubitari, an beneficium vacaret, vel po-
1 tius ad resignantem adhuc spectaret. Et
quod vacaret prætendebatur ex traditis
per *Garc. de benef. parte* 11. *cap.* 3. *de renunc.
num.* 38. per *Riccium decis.* 207. *num.* 4.
parte 1. & per *Lotter. de benef. lib.* 3. *quæst.*
14. *num.* 50. *& seqq.* Vbi ipse loquitur in
terminis terminantibus casus propositi, &
concludit vacare, quia etsi dicta renuncia-
tio possit dici conditionalis tamen ipsa con-
ditio adimpleta videtur eo ipso, quod Sum-
mus Pontifex de beneficio prouidit resi-
gnatarium, qui sibi postea imputare debet,
2 si non reperitur idoneus; & prout facere
debet resignans, ex quo tenebatur inqui-
rere de idoneitate resignatarij, ad ea, quæ
notat *Garc. vbi suprà.*
3 Tenui tamen contrarium, per ea, quæ
notat *Nald. in sua summa resol. pract. sub ru-
brica, Renunciare, & resignare num.* 13. *&*
14. & tradit *Paris. de Resign. lib.* 1. *quæst.* 3.
Quibus clarè resultat, quod resignatio con-
ditionalis fauore certæ personæ facta tunc
demum habet locum, quando in effectu re-
signatarius ipse de beneficio prouideatur,
& non alias, & maximè si addita fuerit clau-
sula, *& non alias, aliter, nec alio modo*, &
de qua *idem Paris. vbi suprà nu.* 8. *& quæst.*
7. *num.* 9. *& seqq.*

Nec

Nec sufficere mihi visum fuit allegata prouisio, quæ fit per Sanctissimum in forma dignum, cum, vt resignatio prædicta conditionalis fauore certæ personæ adimpleta dici possit, requiratur quod resignatarius in effectu beneficium obtinuerit illiusque possessionem adeptus fuerit, ad sæpè resoluta per *Rotam*, *& præcipuè decis.* 158. *lib.* 3. *coram Puteo*; non enim ius à resignante abdicatur, nisi plenè etiam quoad possessionem resignatario quæratur.

Minus quod resignans de idoneitate resignatarij teneretur inquirere, quia esto,
4 quod hoc simpliciter verum esset, tamen in casu proposito resignatarius veniebat excusandus ex iusta ignorantia, vt notat *idem Garcias citato loco*. Cum enim renunciasset non Clerico simplici, vel Subdiacono, aut Diacono, sed Sacerdoti, potuit
5 credere, quod esset idoneus, ex quo eo ipso, quod quis fit Sacerdos per illa verba (accipe potestatem remittendi peccata) & ad Sacramentum pœnitentiæ admittatur, quamuis illius exercitium præterquam in articulo mortis eidem suspendatur, vt tra-
6 dunt omnes, & proinde meritò dubitatur, an examinandus ad Sacerdotium sit etiam examinandus ad confessiones audiendas, & successiuè, an sit ordinandus qui & ad hoc idoneus non reperitur, vt tradit *Marchin. de Sacram. Ord. tract.* 1. *parte* 5. *cap.* 1. *num.* 12. *&* 13. vbi quamuis prò negatiua concludat, tamen ego non video quomodo talis opinio saluari possit, ex quo saltem in articulo mortis tale onus ipse Sacerdos subire debet.

Nec tandem vim mihi faciebant auctoritates contrariæ, quia vel conciliari poterant dicendo, quod illæ essent intelligendæ, quando resignans ostendisset, quod sibi sufficeret, quod Summus Pontifex in forma dignum contulisset, vt videtur supponere *Garcias*, & quod argui forsan potuisset ex omissione clausulæ *& non alias, aliter, nec alio modo*, vel non erant tales, quæ in contrarium deductis præualere deberent, & sic tam ex hoc, quam etiam ex alio capite ita ego iudicaui.

ARGVMENTVM.

Laicus si efficiatur Clericus debet finire iudicium cæptum coram Iudice laico, sed executio de mandato eiusdem Iudicis non potest fieri contra ipsius Clerici personam, sed tantum contra bona.

SVMMARIVM.

1 *Iudicium vbi est cæptum, ibi debet finiri.*
2 *Clericus successor laici debet finire coram Iudice laico iudicium iam cum defuncto cæptum coram eodem.*
3 *Clericus effectus iudicio iam introducto coram Iudice laico, debet illud finire, coram eodem;*
4 *sed si quid exequi postea debet, non est exequendum contra ipsius personam, sed contra bona.*
5 *Consuetudo seruari debet, & maximè si sit fauore Ecclesiæ.*
6 *Immunitas Ecclesiastica, quod sit de iure Diuino; saltem in dubio esse negari non potest.*

SINGVLARE CXXXIX.

CVm inhibitionem concessissem ad instantiam Clerici, ne quædam sua causa coram Iudice laico tractaretur, opponente parte aduersa, quod iudicium fuerat cæptum anteaquam Clericus esset Clericus, & sic cum laico, instanteque propterea inhibitionem reuocari, vt posset suum iu-
1 dicium prosequi, cum vbi est cæptum ibi debeat finiri, ad *l. Vbi acceptum ff. de iudic.* mihi visum fuit, quod talis quæstio coincideret cum illa alia de Clerico successore laici, an scilicet teneatur prosequi iudiciũ cæptum cum suo auctore; eodem enim modo videtur considerandus Clericatus respectu laici iam litigantis, cui Clericus succedit, ac respectu sui ipsius, qui iam vti laicus litigare inceperat, & cum hæc quæstio esset ita ambigua, quod meritò intra suas communes contra communes illam connumerauerit *Hieronym. de Ceuallos sub*
2 *quæst.* 36. inclinaui contra Clericum, per ea, quæ circa hanc quæstionem de Clerico successore laici latè tradit *Carol. de Grass.*

de

de eff. Cleric. eff. 1. num. 282. & seqq. & per ea, quæ in terminis casus propositi tradit *idem de Graß. eodem eff. 1. num. 1239. & 1240.*

3 Quia tamen & quæstio in puris terminis huius casus dubitatione non caret, quamuis communis opinio sit prò affirmatiua, videlicet quod laicus effectus Clericus teneatur iudicium finire, vbi cæptum fuit, vt refert *Sanfelicius decis. 2. num. 12. parte 1.*

4 tenui finiẽdam quidem esse causam coram Iudice laico, sed si quid exequendum resultaret, exequi tantum debere contra bona, & non contrà personam Clerici, per ea, quæ tradit *ipsemet Sanfelicius vbi suprà*, & quidem optima ratione, si consideretur, quod res non mutat statum, sicut mutat persona à laicali ad Clericalem, & sic inhibitionem moderare volebam quoad omnia, præterquamquod respectu executionis personalis ipsiusmet Clerici, sed illam moderaui, executione quacumque excepta, cum stylus vigeret, quod etiam prò executionibus realibus obtentis in tribunalibus laicalibus contra Clericos recurrebatur ad Iudicem Ecclesiasticum, vt confirmaret, vel de nouo executionem concederet, & prout degustato etiam de meritis si placebat concedi solitum erat.

5 Consuetudo enim seruari debet, & maximè si sit circa interpretationem iuris Diuini, vt notat *Sperell. in suis decis. for. Eccles.*

6 *decis. 37. num. 17.* vbi tradit etiam, quod saltem negari non potest, quod dubium non sit, an immunitas Ecclesiastica sit de iure Diuino nec ne.

ARGVMENTVM.

Clericus in minoribus constitutus, si fit miles ipso facto beneficium amittit.

SVMMARIVM.

1 *Clericus per simplicem, & non continuatam habitus dimissionem priuilegia clericalia non amittit.*

2 *Clericum non incedentem in habitu, & tonsura, beneficijs priuari ex constit. Sixti Quinti non videtur vsu receptum.*

3 *Clericus beneficia, & priuilegia clericalia amittit, si cum dimissione habitus facit aliquem actum, qui Clericatui est omnino contrarius.*

4 *Clericus in minoribus constitutus, qui habitum dimittens miles efficitur, ipso facto priuilegia clericalia, & beneficia amittit.*

5 *Clericus, vt ex dimissione habitus priuilegia clericalia amitteret, requirebatur ante Concil. Trident. trina monitio; secus autem post.*

SINGVLARE CXXXX.

1 Quamuis Clericus per simplicem habitus dimissionem priuilegia clericalia non amittat, cum ad hoc non quælibet habitus dimissio, sed dimissio continuata requiratur, ad ea, quæ tradit *Ciarlin. Controuers. foren. cap. 53. num. 16.*

2 Et quamuis etiam non videatur vsu recepta *constitutio Sixti Quinti, iam Romæ publicata sub die 18. Ianuarij 1589.* in ea parte, in qua statuit, quod incedentes absque habitu, & tonsura ipso facto beneficijs sint priuati, vt notat *Garci. de benef. parte 7. cap.*

3 *1. de Cleric. & ord. num. 24.* Tamen & priuilegia clericalia, & beneficia statim perdi suadetur, si cum dimissione habitus concurrat aliquis actus, qui sit Clericatui omninò contrarius, cum hic solum ad prædicta sufficiens videatur, per ea, quæ latè cumulat *Carol. de Graß. de effect. cleric. eff. 1. num. 865.*

4 Constito itaque, quod quidam Clericus in minoribus constitutus, & beneficiatus, ne dum habitum dimisisset, sed & miles effectus fuisset, cum ex hoc non simplex, sed habitualis dimissio habitus cõsiderari posset, ex quo præcipuè qui militiæ ascribitur, non possit regulariter ad sui libitum ab ipsa recedere; & vlterius cum actus clericatui omninò repugnans resultaret, eundem militem effectum, ipso facto, beneficio priuatum tenui, & declaraui per ea, quæ in his terminis de amissione priuilegiorum clericalium tradit *Carol. de Graß. loco citato*, & de amissione beneficiorum notat *Ciar-*

5 *lin. vbi suprà, cap. 115. in fine.* Quamuis enim saltem ad amissionem priuilegiorum clericalium ex dimissione habitus requiratur trina monitio, *cap. fin. de vit. & honest. Cleric. Clar. in praxi §. fin. quæst. 36. nu. 16.* &

& alij, quos citat *Ciarlin. anteceden. cap. 36. num. 48.* tamen amplius non requiri post *Conc. Trid. sess. 23. cap. 6. de Reform.* aduertit *idem Ciarlin. num. seq. 49. ex declaratione Sacræ Congreg. Conc.* relata per *Belett. Disquis. cleric. parte 1. tit. de fauor. Cleric. pers.* §. 8. *num. 6. & ex Barbos. de pot. Episc. parte 2. alleg. 12. num. 19. vers. Sed si*, idemque notat *Sperel. decis. 26. num. 3.* & indubitanter monitionem prædictam non requiri suadebatur in casu proposito, ex eo, quod non de amissione priuilegiorum, sed de amissione beneficij tractabatur, & non propter solam dimissionem habitus, sed etiam propter actum omninò cum Clericatu incompossibilem.

Beneficium itaque ipsum ad præsentationem Patroni, de cuius iure patronatus erat, alteri præsentato ex prædictis contuli, ne & ipsum beneficium ex deficientia Rectoris damnum aliquod reportaret.

ARGVMENTVM.

IVdex etiam non sibi subditos coram se delinquentes punire potest, si tamen sit capax in illos exercendi iurisdictionem.

SVMMARIVM.

1 *IVdex competens ad puniendum dicitur ille cuius aures sunt offensæ.*
2 *Iudex laicus potest punire Clericum falsitatem coram se committentem; sed contra, verius.*
3 *Iudex potest punire quemcumque coram se delinquentem, si tamen in ipsum eius iurisdictio prorogari potest.*
4 *Archiepiscopus potest punire quoscumque in sua prouincia, se ipsum, vel aliquem de sua familia iniuriantes, si iniuria sit notoria.*
5 *Aures Iudicis offensæ dicuntur ex delicto coram ipso in iudicio commisso.*
6 *Notorium per acta iudicij inducitur.*

SINGVLARE CXXXXI.

CVm quidam Laicus coram me Iudicem Ecclesiasticum agente in iudicio deliquisset, vt pœnam euitaret, forum declinabat, sed hoc non obstante ad vlteriora procedendum esse decreui, per *l. Nullum,*
1 *Cod. de test.* vbi apertè legitur, quod Iudex competens est ille, cuius aures sunt offensæ. Quamuis enim textus ibi loquatur de testibus, tamen & de principalibus litigantibus id intelligendum colligitur, ex traditis per *Doctores in dicta lege*, & per *Bal. in l.*
2 *Si Prætor num. 4. ff. de Iudic.* vbi loquitur de Clerico, qui produxit instrumentum coram Iudice Laico, quamuis doctrina *Baldi* respectu Clerici per Iudicem laicum non sit tuta, vt ex *Innoc. & Paul. de Castro notatur in addit. ad Gloss. in dicta l. Nullum*, & latè tradit *Carol. de Graff. de effect. Clericat. eff. 1. num. 1147. & seqq.* vbi contrariam opinionem veram, & magis communem dicit; Et quidem rectè, cum Iudex laicus nec actu, nec potentia possit esse Iudex ad puniendum Clericum, quicquid sit quoad alia, quæ *vbi suprà* notat *idē Carol. de Graff.*

Ita practicaui etiam respectu quorundam Religiosorum alias exemptorum, cum in ipsos animaduertere possem, ex quo ego vti Iudex Ecclesiasticus talis iurisdictionis eram capax, & cum indubitatum
3 videatur, quod Iudex possit punire illum, qui coram se deliquit, si iurisdictio in ipsum prorogari potest, ad ea quæ subdit *idem de Graff. vbi suprà num.* 1152. vbi ita communiter teneri asserit, vt nullus discedere audeat, & ad hoc benè potest induci & textus *in cap. 1. de pœnis in sexto*, ex quo
4 textu prorogatur iurisdictio in non subditos occasione iniuriæ factæ Archiepiscopo, vel eius familiæ etiam extra actum iurisdictionis, dummodo iniuria fiat in sua
5 Prouincia, & sit notoria; Iudicem enim iniuriari ex delicto coram ipso commisso, suadetur ex textu in dicta *l. Nullum*, vbi ex hoc aures eius offensæ dicuntur, & iniuria talis notoria videtur esse, cum notorium
6 per acta Iudicij inducatur, ad ea, quæ tradit *Mascar. de prob. concl. 1102. num. 13.*

ARGVMENTVM.

ASsassinus dicitur etiam ille, qui non occidit, sed lethaliter vulnerauit animo occidendi, & vt talis immunitate Ecclesiastica gaudere non debet.

SVMMARIVM.

1 *Assassinus ex Bulla Greg. XIV. immunitate Ecclesiastica non gaudet.*

2 *Assassinus, vt quis propriè dici possit, requiritur, quod Christianum occiderit, vel occidi fecerit pretio conuento.*

3 *Assassinus dicitur non solum mandans, sed etiam mandatarius.*

4 *Assassinus, effectu non sequuto, pœna ordinaria assassinij non punitur; sed contra num. 6.*

5 *Assassinij in crimine conatus prò effectu haberi, & pœna sua ordinaria puniri debet, etiam in terminis Bullæ Gregorij XIV.*

6 *Conatus mitiori pœna, quam effectus punitur, non tamen in crimine assassinij.*

SINGVLARE CXXXXII.

VT de articulo immunitatis cognoscerem, extracto de mandato mei ex Ecclesia quodam, qui lethaliter vulnerauerat alium non solum cum ense satis ad occidendum apto, sed etiam propè genitalia,
1 & sic in loco ex se periculoso, contigit dubitari, an posset dici Assassinus, ita vt Ecclesiastica immunitate gaudere non posset
2 ex *Bulla Greg. XIV.* Et quidem, cum ad proprium assassinium requiri videantur tria, videlicet homicidium, homicidium in personam Christiani, & homicidium pretio conuento mandatum, vel commissum, ad ea, quæ habentur in *cap. 1. de homicid. in 6.* (quod ne dum mandantem, sed
3 & mandatarium comprehendere debere, tradit inter alios *Ambrosin. de immunit. cap. 7. num. 5. & 6.*) & ad ea, quæ inter alios latè tradit *Carol. de Crass. de eff. Cleric. eff.*
4 *1. num. 699.* Videbatur dicendum, quod cum homicidium sequutum non esset, assassinus ita dici non posset, vt immunitate Ecclesiastica gaudere non valeret. Quod enim effectu non sequuto assassinus pœna ordinaria assassinij non puniatur ad exclusionem immunitatis, tradit *Farinac. in Appendice. de Immun. cap. 8. num. 123.* vbi circa hoc cogitandum dicit, & in dubio prò immunitate resoluendum suadet.

5 Verùm, quia conatus in tali casu prò effectu haberi debet, ex verbis expressis *dicti cap. 1. de homicid. in 6.* ibi *quanquam mors ex hoc forsan non sequatur*, & sic etiam ex *Bulla prædicta*, quæ ex *dicto cap.* regulari debet, ad trad. per *Sperell. decis. 23. num. 2.* Et prout *Ant. Gabr. in suis commun. concl. lib. 7. concl. 1. num. 7. & seqq.* haberi, &
6 pœna sua ordinaria puniri debere tradit de magis communi opinione, etiam non obstante generali consuetudine Italiæ, qua conatus mitiori pœna punitur, quam effectus, cum hoc non habeat locum, vt tradit ipse in crimine assassinij; Resolutum fuit ex hoc capite immunitate non gaudere debere, quamuis ex alio capite fuerit me mandante Ecclesiæ restitutus, vt in singulari sequenti.

ARGVMENTVM.

IMmunitatis in articulo plena delicti cognitio non requiritur.

SVMMARIVM.

1 *Assassinum vt Ecclesiastica immunitate non gaudere pronuncietur, debet plenè constare quod sit talis; sed contra num. 3.*

2 *Immunitatis in articulo plenam cognitionem delicti adhibendam fore Greg. XIV. voluisse, est inuerisimile.*

3 *Immunitatis in articulo ex declaratione Clementis VIII. non requiritur nisi talis cognitio extraiudicialis, quæ prò informatione conscientiæ sufficere videatur, quod delicta excepta per prætensos reos fuerint commissa.*

4 *Conatus ad occidendum ex qualitate armorum probatur.*

5 *Animus, & conatus ad occidendum, ex loco, & qualitate vulneris probatur.*

SINGVLARE CXXXXIII.

PRosequendo materiam singularis antecedentis, fuit dubitatum, an ad excludendam immunitatem requireretur, quod de
1 delicto illam excludente plenè constare deberet, & videbatur, quod sic ex verbis *Bullæ Greg. XIV.* quæ mandat cognosci, an extrahendi verè crimina in *eadem Bulla* expressa cummiserint, & per quæ verba præcipuè ita firmat *Farinac. consf. 77. num. 3. & sequentibus.*
2 Verùm considerato prò inuerisimili, quod Pontifex voluerit talem plenam cogni-

gnitionem adhiberi, per ea, quæ subtiliter more suo ratiocinando tradit *Gambacur. de Immun. Eccles. lib. 6. cap. 15.* & pro-
3 ut expressè declaratum postea reperitur per *Clem. VIII.* Qui voluit sufficere etiam extraiudicialem informationem, in quantum iudicare debenti prò sua conscientia visum fuerit, *vt in Panormitana Immunit.* relata per *Genuen. in pract. Archiepisc. Neapol. cap. 94.* Ac ita, & taliter, quod secundum hanc declarationem Episcopos iudicare debere tradat *Farin. in Appendice, cap. vlt. num. 375.* Quamuis hac declaratione circumscripta aliter sentire profiteatur.

Cum in casu proposito satis instructa videretur conscientia ne dum extraiudicialiter, sed & iudicialiter, ad formam *dictæ declarationis Clem. VIII.* Quod dictus car-
4 ceratus tale crimen perpetrasset; tum ex
5 qualitate armorum, & loci vulneris, quæ quoad conatum, & animum ad occidendum probant, ad ea, quæ habentur in *capit. Significasti, de Homicid.* & tradit *Mascar. concl. 864. num. 33.* Tum ex qualitate personæ, & ex eius mendacijs, ac variationibus circa substantialia, & ex alijs, quæ in defensionibus sibi assignatis, ne dum vllatenus non eliserat, sed nec elidere tentauerat, Consultores adhibiti vna mecum concurrebant in sententiam, quod prædictus non gauderet, & vnus ipsorum ingeniosè dicebat, quod res videbatur extra omne dubium, si considerabatur, quod *Bulla* non excipiebat assassinos simpliciter, sed Reos assassinij, & sic non erat necesse, quod esset assassinus, sed sufficiebat quod esset Reus criminis assassinij, ad quod vtique sufficit etiam minus quam semiplena probatio, cum per simplicem litis contestationem quis dicatur Reus, ad tradita per *Clar. in pract. Crimin. quæst. 14. num. 13.*

Verùm, quia non constabat de qualitate, videlicet de pretio conuento, quamuis ex vilitate personæ posset præsumi, immò ex communiter accidentibus esset præsumendum, *l. Nam ad ea, & l. Ideo, vbi Gloss. ff. de legibus, cum similibus*, Ecclesiæ fuit restitutus, non tamen omnibus approbantibus.

ARGVMENTVM.

Contra Clericum in minoribus constitutum, & in aliquo delicto enormi deprehensum absque habitu, & tonsura, videtur, quod possit Iudex secularis cognoscere cum assistentia Iudicis Ecclesiastici.

SVMMARIVM.

1 *Clericus in minoribus constitutus deprehensus in aliquo delicto graui, & enormi absque habitu, & tonsura, perdit priuilegium fori, & à Iudice laico potest iudicari; sed contra num. seq. & quomodo intelligendum num. vltimo.*

2 *Clericus etiam deprehensus in aliquo delicto graui, & enormi absque habitu, & tonsura, fori priuilegium non amittit.*

3 *Clericus ex simplici habitus dimissione fori priuilegium non amittit, cum tali casu saltem quatuor requirantur, & quæ.*

4 *Clericus ex causa habitum dimittere potest absque eo, quod fori priuilegium perdat.*

5 *Clericus in minoribus constitutus deprehensus in aliquo delicto graui, & enormi absque habitu, & tonsura, potest quidem à Iudice seculari iudicari, sed cum assistentia Iudicis Ecclesiastici.*

SINGVLARE CXXXXIV.

1 Carcerato per curiam secularem absque habitu, & tonsura quodam Clerico in minoribus constituto, & in fraganti (vt asserebatur) cuiusdam delicti satis grauis, & enormis deprehenso; instabatur declarari ipsum fori priuilegio non gaudere, & proinde Iudici laico licere contra eundem prout iuris procedere, ad ea, quæ iuxta magis communem Doctorum sententiam in tali casu latè tradit *Carol. de Grass. de effect. Cler. eff. 1. nu. 916. & seqq.* & præcisius ante ipsum *Clar. in pract. crim. quæst. 36. num. 19.*

2 Verùm vrgente saltem communi opinione in contrarium, ad ea etiam, quæ subdit *idem de Grass. vbi suprà*, & quidem non
3 sine valida ratione, si consideretur, quod

ex simplici habitus dimissione, absque trina monitione fori priuilegium non amittitur, cum tali casu requirantur saltem illa quatuor requisita, de quibus meminit *Rolan. à Valle, ex mente Ant. de Butr. in cons. 4. num. 32. vol. 1.* Videlicet quod clericus incedat vt laicus; quod se ingerat in enormitatibus; quod in illis frequentauerit, & quod in eisdem deprehensus fuerit; & in omnem casum, quod (ex ijs, quæ notaui suprà in *Singulari* 140.) ex sola dimissione habitus tale priuilegium perdi valeret, vtiquè non ex qualibet dimissione acciden-
4 tali, sed ex habituali intelligi deberet, cum saltem ex causa habitus dimitti valeat absque fori priuilegij amissione, ad ea, quæ notat etiam *idem de Grass. vbi suprà num. 1174. & seq.* Et prout per prædictum carceratum dimissum fuisse asserebatur.

5 Tenebam, quod saltem casus esset dubitabilis, & quod proinde practicari deberet *Bulla Pauli III.* de qua meminit *idem de Grass. loco citato num. 917. ex Decian. cons. 82. num. 8. lib. 2.* Et qua Bulla datur facultas Iudicibus laicis cognoscendi contra tales Clericos cum assistentia tamen Iudicis Ecclesiastici. Cum enim videretur pendere amissio fori ex eo, quod prædictus Clericus in enormitate fuisset deprehensus, vtique tali priuilegio exuendus non videbatur, nisi prius de tali enormitate saltem & Iudice Ecclesiastico præsente constaret.

Quia tamen de *dicta Bulla* dubitatur, cum (vt innuit *ipsemet Decian.*) ipsa non reperiatur, dum Consultores inclinarent vna mecum, vt pronunciaretur, quod fori priuilegio ipse carceratus non gauderet, quia satis superque videbatur apparere, quod in enormitate prædicta fuisset deprehensus, absque eo quod posset excusari neque ex dimissione habitus facta ex aliqua causa, quæ ne dum non probabatur, sed potius in contrarium suadebatur; in carceribus obijt.

ARGVMENTVM.

Monialium vicinus potest sua ædificia altius tollere, maximè si statum ædificiorum antiquorum supergredi non vult; non autem potest fenestras, & alia in ipsis facere, ex quibus Monasterium, & Moniales videri, & dominari valeant.

SVMMARIVM.

1 *Ædificium proprium tollens in altum ad sui commoditatem, & non ad æmulationem, etiamsi ex ipso Moniales videri valeant, videtur posse tollere; sed vide numeris sequentibus.*

2 *Fenestræ, ex quibus Moniales distinctè videri, & Monasterium dominari valet, fieri non possunt, & quare.*

3 *Aedificans tenetur seruare formam, & statum antiquorum ædificiorum.*

SINGVLARE CXXXXV.

NE vicinus altius domum propriam tolleret, insteterunt quædam Moniales ex eo, quod sibimetipsis iam prospectum impedire inceperat, & ex fenestris, quas facere intendebat, eorum secreta videre poterat. Reluctante tamen vicino ex regula vulgata, quod qui habet solum, habere di-
1 citur & Cœlum, instabat non impediri, & maximè ostendendo se ad propriam vtilitatem, non autem ad æmulationem, & vt Monasterium, & Moniales videret in altum tollere velle, quod licere videtur, ad ea, quæ notant *Doctores in l. Altius, Cod. de seruit. & aqua*, & tradunt *Boer. decis. 320. num. 9. vers. Etsi quis velit Altius, & Mars. sing. 154. vers. Et prò hoc faciunt.*

In contrarium tamen tenui quoad fenestras, ex quibus in Monasterium prospici poterat, & hoc non obstante, quod via esset intermedia, & locus videretur satis distans, quia compertum fuit nimis distinctè Moniales videri posse, ipsumque Monasterium ex ipsis fenestris valde domina-
2 turum fore. Speciale enim priuilegium Monialium hoc videtur ex *textu, in cap. 1. de statu Regul. in 6.* ibi *vt sic à publicis, & mundanis aspectibus separatæ omninò seruire Deo valeant liberius, & lasciuiendi opportunitate sublata, eidem corda sua, & corpora in omni Sanctimonia diligentius custodire.* Et quidem hoc textu stante, prò Monialibus in tali puncto resultauit communis opinio Doctorum, de qua testatur *Padill.*

in

in dicta l. Altius, nu. 9. & latè etiam quoad circumstantias casus propositi scripsit *Sperell. decis. 58. per totam*, ex qua pluries ipsum & ita practicasse colligitur.

Quò vero ad impedimentum prospectus tenui prò vicino, quia cessabat in hoc ratio textus prædicti, & maximè cum altius tollendo ipse vicinus noller excedere statum
3 antiquorum ædificiorum, quem statum seruandum esse habetur *ex l. 1. & 3. Cod. de ædificijs priuatis*, & tradunt *Gotfredus ad l. Qui luminibus, Duaren. ad l. 1. tit. de seru. Vrb. præd. & Faber in rational. ad l. Qui luminibus ff. de seruit. vrb. præd.*

Et sic eidem fuit permissum altius quidem tollere, sed non facere fenestras, ex quibus in Monasterium prospici valeret.

ARGVMENTVM.

MOnialis demens professionem emittens non obligatur, & ad ipsius dementiæ probationem, vt ex inde professio nulla declaretur, cœteræ commoniales principale interesse in causa non habentes, vel si aliter probari non potest, admittuntur.

SVMMARIVM.

1 *Monialis demens professionem validè emittere non potest.*
2 *Testis in causa propria nemo esse potest.*
3 *Testis de vniuersitate admittitur, si principaliter de ius commodo non tractatur.*
4 *Testis de vniuersitate, puta Monachus, vel Regularis, admittitur si veritas aliter haberi non potest.*
5 *Testibus quanta fides sit adhibenda, est in arbitrio Iudicis.*
6 *Testis de vniuersitate, si alias sit fide dignus, ad testificandum admittitur.*
7 *Professionis nullitas coram Ordinario, & Superiore Regulari est intentanda.*
8 *Professionis nullitas, quæ intentari potest ex forma Conc. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 19. competit etiam Monialibus.*
9 *Professionis nullitas, quæ ex officio per Superiorem inquiritur, & per professum non intentatur, non subiacet dispositioni dicti cap. Conc. Triden. sed declarari & expediri potest per solum Superiorem Regularem.*

SINGVLARE CXXXXVI.

HAbito prò probato, quod quædam Monialis tempore professionis, & deinde postea fuisset, & esset demens, & tantò magis, quod ex forma constitutionum Monasterij sufficiebat & dementia ex interuallo; dubitaui an testibus Monialibus esset credendum ad effectum declarandi
1 professionem nullam ex dicto capite, ex quo indubitati iuris est, quod est talis, ad *l. furor. ff. de sponsal. cap. sicut tenor de Regul. & ad passim tradita per Doctores.*

Et quidem prima facie videbatur, quod
2 non, per regulam, quod nemo in causa propria testificari potest, causa enim talis propria Monialium prædictarum satis superque videbatur, cum nedum de ipsarum particulari seruitio tractaretur, ex quo dicta Monialis erat Conuersa, & seruitijs aliarum Monialium addicta, sed etiã quia per ipsasmet Moniales talis professio nulla declarari instaretur, & sic intrare viderentur ea, quæ circa præmissa latè tradit *Mascard. de prob. Concl.* 1414. de testibus de vniuersitate.

3 Verùm ipsas probare tenui; tum quia principaliter de eorum commodo particulari non tractabatur, ad ea, quæ notat *idem Mascard. vbi suprà num. 16.* cum ipsa ex dementia carceribus mancipara, liceret in eius locum ad consueta seruitia alteram eligere, & ad professionem admitte-
4 re; tum quia erat casus, in quo veritas aliter haberi non poterat, cum tractaretur de rebus intra clausuram gestis, ad ea, quę etiam in terminis Monachorum Regularium tradit *Masc. vbi suprà Concl. 3. nu. 13.* & tum denique, quia re vera Moniales prædictæ sub strictissimæ obseruantiæ regula Altissimo ita famulabantur, quod plenè eisdem credi posse non dubitarem, per
5 ea, quæ habentur in *l. 3. de Test. §. 1.* vbi hoc arbitrio Iudicis committitur, dum dicitur: *Tu magis scire potes quanta fides adhibenda sit testibus, qui, & cuius dignitatis, &*
6 *cuius existimationis sint &c.* Vltra quod testi fide digno, etiamsi sit de vniuersitate, & affectionem ad causam habeat, creditur,

4 dicat. *Consult.* 105. *nu.* 47. *& seqq.* Et maximè quòd à Visitatione Ordinariorum excipiuntur illa loca, quæ sub immmediata Regum protectione sunt, *Conc. Trid. sess.*
5 22. *de Reform. cap.* 8. Et prout erat dictum Hospitale, cum talis Princeps jura imperij in suo dominio haberet, & sic tali priuilegio Regibus concesso gauderet, ad *Fusc. de visit. & reg. Eccles. lib.* 2. *cap.* 13. *nu.* 23.

Quia tamen in contrarium constabat, quod in erectione de Ordinarij scientia, & beneplacito mentio facta fuerat, & quod semel iam visitauerat, re ad Sanctissimum delata, oraculum prodijt, quod Episcopo visitare liceret, & quidem (vt credo) quia dubium saltem, quod orriri poterat, an in erectione interfuisset auctoritas Episcopi, ex quo de eius scientia, & beneplacito mẽtio facta fuerat, videretur in eius fauorem declaratum ex iam permissa visita-
6 tione, & sic quod intraret regula, qua fertur Ordinarium habere intentionem fundatam visitandi quæcumque loca pia sua auctoritate erecta, vt habetur ex *cap. Si quis Episcoporum* 16. *quæst.* 5. *& alijs relatis per Velasc. vbi suprà num.* 45.

ARGVMENTVM.

RESignato beneficio in fauorem certæ personæ, maximè cum clausula non alias, aliter, nec alio modo, si beneficium eidem personæ non quæratur, illiusque possessionem ipsa persona non adipiscatur, beneficium non vacat, & ius ipsius à resignante non abdicatur.

SVMMARIVM.

1 *REsignato beneficio in fauorem certæ personæ, collatoque eidem in forma dignum, beneficium vacat, si resignatarius vti non idoneus reprobetur, sed contrà num.* 3.

2 *Resignans tenetur inquirere de idoneitate resignatarij, & sibi imputare debet, si beneficium vacat postea, ex quo resignatarius idoneus non reperitur; sed vide num.* 4.

3 *Resignatione facta in fauorem certæ personæ, beneficium non vacat, iusque à resignante abdicatum non dicitur, si beneficium, illiusque possessio resignatario non acquiratur, & maximè stante clausula (& non alias, aliter, nec alio modo.)*

4 *Resignans, qui tenetur de idoneitate resignatarij inquirere, ex ignorantia iusta excusatur.*

5 *Sacerdos eo ipso, quod sit talis, etiam ad Sacramentum pœnitentiæ admittitur, quamuis eidem exercitium præterquam in articulo mortis suspendatur.*

6 *Sacerdos an debeat ordinari, si non est & idoneus ad confessiones audiendas, dubitatur.*

SINGVLARE CXXXVIII.

RESignauerat quidam Parochus in manibus Sanctissimi suum beneficium curatum ad effectum, quod de illo prouideretur talis Sacerdos, & non alias, aliter, nec alio modo, obtentaque postea per eundem Sacerdotem prouisione in forma dignum, mihique commissa executione, cum ipse Sacerdos vti non idoneus ab examinatoribus synodalibus fuisset reprobatus contigit dubitari, an beneficium vacaret, vel po-
1 tius ad resignantem adhuc spectaret. Et quod vacaret prætendebatur ex traditis per *Garc. de benef. parte* 11. *cap.* 3. *de renunt. num.* 38. per *Riccium decis.* 207. *num.* 4. *parte* 1. & per *Lotter. de benef. lib.* 3. *quæst.* 14. *num.* 50. *& seqq.* Vbi ipse loquitur in terminis terminantibus casus propositi, & concludit vacare, quia etsi dicta renunciatio possit dici conditionalis tamen ipsa conditio adimpleta videtur eo ipso, quod Summus Pontifex de beneficio prouidit resignatarium, qui sibi postea imputare debet,
2 si non reperitur idoneus, & prout facere debet resignans, ex quo tenebatur inquirere de idoneitate resignatarij, ad ea, quæ notat *Garc. vbi suprà.*

3 Tenui tamen contrarium, per ea quæ notat *Nald. in sua summa resol. præst. subrubrica, Renunciare, & resignare num.* 13. *&* 14. & tradit *Parif. de Resign. lib.* 1. *quæst.* 3. Quibus clarè resultat, quod resignatio conditionalis fauore certæ personæ facta tunc demum habet locum, quando in effectu resignatarius ipse de beneficio prouideatur, & non alias, & maximè si addita fuerit clausula, *& non alias, aliter, nec alio modo*, & de qua *idem Parif. vbi suprà nu.* 8. *& quæst.* 7. *num.* 9. *& seqq.*

Nec

Nec sufficere mihi visum fuit allegata
prouisio, quæ fit per Sanctissimum in for-
ma dignum, cum, vt resignatio prædicta
conditionalis fauore certæ personæ adim-
pleta dici possit, requiratur quod resigna-
tarius in effectu beneficium obtinuerit il-
liusque possessionem adeptus fuerit, ad sæ-
pè resoluta per *Rotam*, *& præcipuè decis.*
158. *lib.* 3. *coram Puteo*; non enim ius à re-
signante abdicatur, nisi plenè etiam quo-
ad possessionem resignatario quæratur.

Minus quod resignans de idoneitate re-
signatarij teneretur inquirere, quia esto,
4 quod hoc simpliciter verum esset, tamen
in casu proposito resignatarius veniebat
excusandus ex iusta ignorantia, vt notat
idem Garcias citato loco. Cum enim renun-
ciasset non Clerico simplici, vel Subdiaco-
no, aut Diacono, sed Sacerdoti, potuit
5 credere, quod esset idoneus, ex quo eo ip-
so, quod quis fit Sacerdos per illa verba
(accipe potestatem remittendi peccata) &
ad Sacramentum pœnitentiæ admittatur,
quamuis illius exercitium præterquam in
articulo mortis eidem suspendatur, vt tra-
6 dunt omnes, & proinde meritò dubitatur,
an examinandus ad Sacerdotium sit etiam
examinandus ad confessiones audiendas,
& successiuè, an sit ordinandus qui & ad
hoc idoneus non reperitur, vt tradit *Mar-
chin. de Sacram. Ord. tract.* 1. *parte* 5. *cap.* 1.
num. 12. *&* 13. vbi quamuis prò negatiua
concludat, tamen ego non video quomo-
do talis opinio saluari possit, ex quo saltem
in articulo mortis tale onus ipse Sacerdos
subire debet.

Nec tandem vim mihi faciebant aucto-
ritates contrariæ, quia vel conciliari pote-
rant dicendo, quod illæ essent intelligen-
dæ, quando resignans ostendisset, quod si-
bi sufficeret, quod Summus Pontifex in
forma dignum contulisset, vt videtur sup-
ponere *Garcias*, & quod argui forsan po-
tuisset ex omissione clausulæ *& non alias,
aliter, nec alio modo*, vel non erant tales, quæ
in contrarium deductis præualere debe-
rent, & sic tam ex hoc, quam etiam ex alio
capite ita ego iudicaui.

ARGVMENTVM.

Laicus si efficiatur Clericus debet fi-
nire iudicium cæptum coram Iu-
dice laico, sed executio de mandato eius-
dem Iudicis non potest fieri contra ip-
sius Clerici personam, sed tantum con-
tra bona.

SVMMARIVM.

1 *Iudicium vbi est cæptum, ibi debet finiri.*
2 *Clericus successor laici debet finire coram
Iudice laico iudicium iam cum defuncto cæ-
ptum coram eodem.*
3 *Clericus effectus iudicio iam introducto coram
Iudice laico, debet illud finire, coram eodem;*
4 *sed si quid exequi postea debet, non est exe-
quendum contra ipsius personam, sed contra
bona.*
5 *Consuetudo seruari debet, & maximè si sit fa-
uore Ecclesiæ.*
6 *Immunitas Ecclesiastica, quod sit de iure Di-
uino; saltem in dubio esse negari non potest.*

SINGVLARE CXXXIX.

Cum inhibitionem concessissem ad in-
stantiam Clerici, ne quædam sua causa
coram Iudice laico tractaretur, opponente
parte aduersa, quod iudicium fuerat cæ-
ptum anteaquam Clericus esset Clericus,
& sic eum laico, instanteque propterea
inhibitionem reuocari, vt posset suum iu-
1 dicium prosequi, cum vbi est cæptum ibi
debeat finiri, ad *l. Vbi acceptum ff. de iudic.*
mihi visum fuit, quod talis quæstio coin-
cideret cum illa alia de Clerico successore
laici, an scilicet teneatur prosequi iudiciũ
cæptum cum suo auctore; eodem enim
modo videtur considerandus Clericatus
respectu laici iam litigantis, cui Clericus
succedit, ac respectu sui ipsius, qui iam vti
laicus litigare inceperat, & cum hæc quæ-
stio esset ita ambigua, quod meritò intra
suas communes contra communes illam
connumerauerit *Hieronym. de Cenallos sub
2 quæst.* 36. inclinaui contra Clericum, per
ea, quæ circa hanc quæstionem de Cleri-
co successore laici latè tradit *Carol. de Graß.*
de

de eff. Cleric. eff. 1. *num.* 282. *& seqq.* & per ea, quæ in terminis casus propositi tradit *idem de Graß. eodem eff.* 1. *num.* 1239. *&* 1240.

3 Quia tamen & quæstio in puris terminis huius casus dubitatione non caret, quamuis communis opinio sit prò affirmatiua, videlicet quod laicus effectus Clericus teneatur iudicium finire, vbi cæptum fuit, vt refert *Sanfelicius decis.* 2. *num.* 12. *parte* 1. 4 tenui finiẽdam quidem esse causam coram Iudice laico, sed si quid exequendum resultaret, exequi tantum debere contra bona, & non contrà personam Clerici, per ea, quæ tradit *ipsemet Sanfelicius vbi suprà*, & quidem optima ratione, si consideretur, quod res non mutat statum, sicut mutat persona à laicali ad Clericalem, & sic inhibitionem moderare volebam quoad omnia, præterquamquod respectu executionis personalis ipsiusmet Clerici, sed illam moderaui, executione quacumque excepta, cum stylus vigeret, quod etiam prò executionibus realibus obtentis in tribunalibus laicalibus contra Clericos recurrebatur ad Iudicem Ecclesiasticum, vt confirmaret, vel de nouo executionem concederet, & prout degustato etiam de meritis si placebat concedi solitum erat.

5 Consuetudo enim seruari debet, & maximè si sit circa interpretationem iuris Diuini, vt notat *Sperell. in suis decis. for. Eccles.* 6 *decis.* 37. *num.* 17. vbi tradit etiam, quod saltem negari non potest, quod dubium non sit, an immunitas Ecclesiastica sit de iure Diuino nec ne,

ARGVMENTVM.

Clericus in minoribus constitutus, si fit miles ipso facto beneficium amittit.

SVMMARIVM.

1 *Clericus per simplicem, & non continuatam habitus dimissionem priuilegia clericalia non amittit.*

2 *Clericum non incedentem in habitu, & tonsura; beneficijs priuari ex constit. Sixti Quinti non videtur vsu receptum.*

3 *Clericus beneficia, & priuilegia clericalia amittit, si cum dimissione habitus facit aliquem actum, qui Clericatui est omnino contrarius.*

4 *Clericus in minoribus constitutus, qui habitum dimittens miles efficitur, ipso facto priuilegia clericalia, & beneficia amittit.*

5 *Clericus, vt ex dimissione habitus priuilegia clericalia amitteret, requirebatur ante Concil. Trident. trina monitio; secus autem post.*

SINGVLARE CXXXX.

1 Quamuis Clericus per simplicem habitus dimissionem priuilegia clericalia non amittat, cum ad hoc non quælibet habitus dimissio, sed dimissio continuata requiratur, ad ea, quæ tradit *Ciarlin. Controuers. foren. cap.* 53. *num.* 16.

2 Et quamuis etiam non videatur vsu recepta *constitutio Sixti Quinti, iam Romæ publicata sub die* 18. *Ianuarij* 1589. in ea parte, in qua statuit, quod incedentes absque habitu, & tonsura ipso facto beneficijs sint priuati, vt notat *Garci. de benef. parte* 7. *cap.* 3 1. *de Cleric. & ord. num.* 24. Tamen & priuilegia clericalia, & beneficia statim perdi suadetur, si cum dimissione habitus concurrat aliquis actus, qui sit Clericatui omninò contrarius, cum hic solum ad prædicta sufficiens videatur, per ea, quæ latè cumulat *Carol. de Graß. de effect. cleric. eff.* 1. *num.* 865.

4 Constito itaque, quod quidam Clericus in minoribus constitutus, & beneficiatus, ne dum habitum dimisisset, sed & miles effectus fuisset, cum ex hoc non simplex, sed habitualis dimissio habitus cõsiderari posset, ex quo præcipuè qui militiæ ascribitur, non possit regulariter ad sui libitum ab ipsa recedere; & vlterius cum actus clericatui omninò repugnans resultaret, eundem militem effectum, ipso facto, beneficio priuatum tenui, & declaraui per ea, quæ in his terminis de amissione priuilegiorum clericalium tradit *Carol. de Graß. loco citato*, & de amissione beneficiorum notat *Ciarlin. vbi suprà, cap.* 115. *in fine*. 5 Quamuis enim saltem ad amissionem priuilegiorum clericalium ex dimissione habitus requiratur trina monitio, *cap. fin. de vit. & honest. Cleric. Clar. in praxi* §. *fin. quæst.* 36. *nu.* 16. &

& alij, quos citat *Ciarlin. anteceden. cap. 36. num.* 48. tamen amplius non requiri post *Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 6. *de Reform.* aduertit *idem Ciarlin. num. seq.* 49. *ex declaratione Sacræ Congreg. Conc.* relata per *Belett. Disquis. cleric. parte* 1. *tit. de fauor. Cleric. pers.* §. 8. *num.* 6. *& ex Barbos. de pot. Episc. parte* 2. *alleg.* 12. *num.* 19. *vers. Sed si*, idemque notat *Sperel. decis.* 26. *num.* 3. & indubitanter monitionem prædictam non requiri suadebatur in casu proposito, ex eo, quod non de amissione priuilegiorum, sed de amissione beneficij tractabatur, & non propter solam dimissionem habitus, sed etiam propter actum omninò cum Clericatu incompossibilem.

Beneficium itaque ipsum ad præsentationem Patroni, de cuius iure patronatus erat, alteri præsentato ex prædictis contuli, ne & ipsum beneficium ex deficientia Rectoris damnum aliquod reportaret.

ARGVMENTVM.

IVdex etiam non sibi subditos coram se delinquentes punire potest, si tamen sit capax in illos exercendi iurisdictionem.

SVMMARIVM.

1 *IVdex competens ad puniendum dicitur ille cuius aures sunt offensæ.*

2 *Iudex laicus potest punire Clericum falsitatem coram se committentem; sed contra, verius.*

3 *Iudex potest punire quemcumque coram se delinquentem, si tamen in ipsum eius iurisdictio prorogari potest.*

4 *Archiepiscopus potest punire quoscumque in in sua prouincia, se ipsum, vel aliquem de sua familia iniuriantes, si iniuria sit notoria.*

5 *Aures Iudicis offensæ dicuntur ex delicto coram ipso in iudicio commisso.*

6 *Notorium per acta iudicij inducitur.*

SINGVLARE CXXXXI.

CVm quidam Laicus coram me Iudicem Ecclesiasticum agente in iudicio deliquisset, vt pœnam euitaret, forum declinabat, sed hoc non obstante ad vlteriora procedendum esse decreui, per *l. Nullum,*
1 *Cod. de test.* vbi apertè legitur, quod Iudex competens est ille, cuius aures sunt offensæ. Quamuis enim textus ibi loquatur de testibus, tamen & de principalibus litigantibus id intelligendum colligitur, ex traditis per *Doctores in dicta lege*, & per *Bal. in l.*
2 *Si Prætor num* 4. *ff. de Iudic.* vbi loquitur de Clerico, qui produxit instrumentum coram Iudice Laico, quamuis doctrina *Baldi* respectu Clerici per Iudicem laicum non sit tuta, vt ex *Innoc. & Paul. de Castro notatur in addit. ad Gloss. in dicta l. Nullum*, & latè tradit *Carol. de Grass. de effect. Clericat. eff.* 1. *num.* 1147. *& seqq.* vbi contrariam opinionem veram, & magis communem dicit; Et quidem rectè, cum Iudex laicus nec actu, nec potentia possit esse Iudex ad puniendum Clericum, quicquid sit quoad alia, quæ *vbi suprà* notat *idē Carol. de Grass.*

Ita practicaui etiam respectu quorundam Religiosorum alias exemptorum, cum in ipsos animaduertere possem, ex quo ego vti Iudex Ecclesiasticus talis iurisdictionis eram capax, & cum indubitatum
3 videatur, quod Iudex possit punire illum, qui coram se deliquit, si iurisdictio in ipsum prorogari potest, ad ea quæ subdit *idem de Grass. vbi suprà num.* 1152. vbi ita communiter teneri asserit, vt nullus discedere audeat, & ad hoc benè potest induci & textus *in cap.* 1. *de pœnis in sexto*, ex quo
4 textu prorogatur iurisdictio in non subditos occasione iniuriæ factæ Archiepiscopo, vel eius familiæ etiam extra actum iurisdictionis, dummodo iniuria fiat in sua
5 Prouincia, & sit notoria; Iudicem enim iniuriari ex delicto coram ipso commisso, suadetur ex textu in dicta *l. Nullum*, vbi ex hoc aures eius offensæ dicuntur, & iniuria talis notoria videtur esse, cum notorium
6 per acta Iudicij inducatur, ad ea, quæ tradit *Mascar. de prob. concl.* 1102. *num.* 13.

ARGVMENTVM.

ASsassinus dicitur etiam ille, qui non occidit, sed lethaliter vulnerauit animo occidendi, & vt talis immunitate Ecclesiastica gaudere non debet.

SVMMARIVM.

1 *ASsassinus ex Bulla Greg. XIV. immunitate Ecclesiastica non gaudet.*

2 *Assassinus, vt quis propriè dici possit, requiritur, quod Christianum occiderit, vel occidi fecerit pretio conuento.*

3 *Assassinus dicitur non solum mandans, sed etiam mandatarius.*

4 *Assassinus, effectu non sequuto, pœna ordinaria assassinij non punitur; sed contra num. 6.*

5 *Assassinij in crimine conatus prò effectu haberi, & pœna sua ordinaria puniri debet, etiam in terminis Bullæ Gregorij XIV.*

6 *Conatus mitiori pœna, quam effectus punitur, non tamen in crimine assassinij.*

SINGVLARE CXXXXII.

VT de articulo immunitatis cognoscerem, extracto de mandato mei ex Ecclesia quodam, qui lethaliter vulnerauerat alium non solum cum ense satis ad occidendum apto, sed etiam prope genitalia,
1 & sic in loco ex se periculoso, contigit dubitari, an posset dici Assassinus, ita vt Ecclesiastica immunitate gaudere non posset
2 ex *Bulla Greg. XIV.* Et quidem, cum ad proprium assassinium requiri videantur tria, videlicet homicidium, homicidium in personam Christiani, & homicidium pretio conuento mandatum, vel commissum, ad ea, quæ habentur in *cap. 1. de ho-*
3 *micid. in 6.* (quod ne dum mandantem, sed & mandatarium comprehendere debere, tradit inter alios *Ambrosin. de immunit. cap. 7. num. 5. & 6.*) & ad ea, quæ inter alios latè tradit *Carol. de Crass. de eff. Cleric. eff.*
4 *1. num. 699.* Videbatur dicendum, quod cum homicidium sequutum non esset, assassinus ita dici non posset, vt immunitate Ecclesiastica gaudere non valeret. Quod enim effectu non sequuto assassinus pœna ordinaria assassinij non puniatur ad exclusionem immunitatis, tradit *Farinac. in Appendice, de Immun. cap. 8. num. 123.* vbi circa hoc cogitandum dicit, & in dubio prò immunitate resoluendum suadet.
5 Verùm, quia conatus in tali casu prò effectu haberi debet, ex verbis expressis *dicti cap. 1. de homicid. in 6.* ibi *quanquam mors ex hoc forsan non sequatur*, & sic etiam ex *Bulla prædicta*, quæ ex *dicto cap.* regulari debet, ad trad. per *Sperell. decis. 23. num. 2.* Et prout *Ant. Gabr. in suis commun. concl. lib. 7. concl. 1. num. 7. & seqq.* haberi, & pœna sua ordinaria puniri debere tradit
6 de magis communi opinione, etiam non obstante generali consuetudine Italiæ, qua conatus mitiori pœna punitur, quam effectus, cum hoc non habeat locum, vt tradit ipse in crimine assassinij; Resolutum fuit ex hoc capite immunitate non gaudere debere, quamuis ex alio capite fuerit me mandante Ecclesiæ restitutus, vt in singulari sequenti.

ARGVMENTVM.

IMmunitatis in articulo plena delicti cognitio non requiritur.

SVMMARIVM.

1 *ASsassinum vt Ecclesiastica immunitate non gaudere pronuncietur, debet plenè constare quod sit talis; sed con. num. 3.*

2 *Immunitatis in articulo plenam cognitionem delicti adhibendam fore Greg. XIV. voluisse, est inuerisimile.*

3 *Immunitatis in articulo ex declaratione Clementis VIII. non requiritur nisi talis cognitio extraiudicialis, quæ prò informatione conscientiæ sufficere videatur, quod delicta excepta per prætensos reos fuerint commissa.*

4 *Conatus ad occidendum ex qualitate armorum probatur.*

5 *Animus, & conatus ad occidendum, ex loco, & qualitate vulneris probatur.*

SINGVLARE CXXXXIII.

PRosequendo materiam singularis antecedentis, fuit dubitatum, an ad excludendam immunitatem requireretur, quod de
1 delicto illam excludente plenè constare deberet, & videbatur, quod sic ex verbis *Bullæ Greg. XIV.* quæ mandat cognosci, an extrahendi verè crimina in *eadem Bulla* expressa commiserint, & per quæ verba præcipuè ita firmat *Farinac. cons. 77. num. 3. & sequentibus.*
2 Verùm considerato prò inuerisimili, quod Pontifex voluerit talem plenam cogni-

gnitionem adhiberi, per ea, quæ subtiliter more suo ratiocinando tradit *Gambacur. de Immun. Eccles. lib. 6. cap. 15.* & pro-
3 ut expresse declaratum postea reperitur per *Clem. VIII.* Qui voluit sufficere etiam extraiudicialem informationem, in quantum iudicare debenti prò sua conscientia visum fuerit, *vt in Panormitana Immunit.* relata per *Genuen. in pract. Archiepisc. Neapol. cap. 94.* Ac ita, & taliter, quod secundum hanc declarationem Episcopos iudicare debere tradat *Farin. in Appendice, cap. vlt. num. 375.* Quamuis hac declaratione circumscripta aliter sentire profiteatur.

Cum in casu proposito satis instructa videretur conscientia ne dum extraiudicialiter, sed & iudicialiter, ad formam *dictæ declarationis Clem. VIII.* Quod dictus car-
4 ceratus tale crimen perpetrasset; tum ex
5 qualitate armorum, & loci vulneris, quæ quoad conatum, & animum ad occidendum probant, ad ea, quæ habentur in *capit. Significasti, de Homicid.* & tradit *Mascar. concl. 864. num. 33.* Tum ex qualitate personæ, & ex eius mendacijs, ac variationibus circa substantialia, & ex alijs, quæ in defensionibus sibi assignatis, ne dum vllatenus non eliserat, sed nec elidere tentauerat, Consultores adhibiti vna mecum concurrebant in sententiam, quod prædictus non gauderet, & vnus ipsorum ingeniose dicebat, quod res videbatur extra omne dubium, si considerabatur, quod *Bulla* non excipiebat assassinos simpliciter, sed Reos assassinij, & sic non erat necesse, quod esset assassinus, sed sufficiebat quod esset Reus criminis assassinij, ad quod vtique sufficit etiam minus quam semiplena probatio, cum per simplicem litis contestationem quis dicatur Reus, ad tradita per *Clar. in pract. Crimin. quæst. 14. num. 13.*

Verùm, quia non constabat de qualitate, videlicet de pretio conuento, quamuis ex vilitate personæ posset præsumi, immò ex communiter accidentibus esset præsumendum, *l. Nam ad ea, & l. Ideo, vbi Gloss. ff. de legibus, cum similibus*, Ecclesiæ fuit restitutus, non tamen omnibus approbantibus.

ARGVMENTVM.

Contra Clericum in minoribus constitutum, & in aliquo delicto enormi deprehensum absque habitu, & tonsura, videtur, quod possit Iudex secularis cognoscere cum assistentia Iudicis Ecclesiastici.

SVMMARIVM.

1 *Clericus in minoribus constitutus deprehensus in aliquo delicto graui, & enormi absque habitu, & tonsura, perdit priuilegium fori, & à Iudice laico potest iudicari; sed contra num. seq. & quomodo intelligendum num. vltimo.*

2 *Clericus etiam deprehensus in aliquo delicto graui, & enormi absque habitu, & tonsura, fori priuilegium non amittit.*

3 *Clericus ex simplici habitus dimissione fori priuilegium non amittit, cum tali casu saltem quatuor requirantur, & quæ.*

4 *Clericus ex causa habitum dimittere potest absque eo, quod fori priuilegium perdat.*

5 *Clericus in minoribus constitutus deprehensus in aliquo delicto graui, & enormi absque habitu, & tonsura, potest quidem à Iudice seculari iudicari, sed cum assistentia Iudicis Ecclesiastici.*

SINGVLARE CXXXXIV.

1 Carcerato per curiam secularem absque habitu, & tonsura quodam Clerico in minoribus constituto, & in fraganti (vt asserebatur) cuiusdam delicti satis grauis, & enormis deprehenso; instabatur declarari ipsum fori priuilegio non gaudere, & proinde Iudici laico licere contra eundem prout iuris procedere, ad ea, quæ iuxta magis communem Doctorum sententiam in tali casu latè tradit *Carol. de Grass. de effect. Cler. eff. 1. nu. 916. & seqq.* & præcisius ante ipsum *Clar. in pract. crim. quæst. 36. num. 19.*

2 Verùm vrgente saltem communi opinione in contrarium, ad ea etiam, quæ subdit *idem de Grass. vbi suprà*, & quidem non
3 sine valida ratione, si consideretur, quod

 ex

ex simplici habitus dimissione, absque trina monitione fori priuilegium non amittitur, cum tali casu requirantur saltem illa quatuor requisita, de quibus meminit *Rolan. à Valle, ex mente Ant. de Butr. in cons. 4. num. 32. vol. 1.* Videlicet quod clericus incedat vt laicus; quod se ingerat in enormitatibus; quod in illis frequentauerit, & quod in eisdem deprehensus fuerit; & in omnem casum, quod (ex ijs, quæ notaui suprà in *Singulari* 140.) ex sola dimissione habitus tale priuilegium perdi valeret, vtiquè non ex qualibet dimissione acciden-
4 tali, sed ex habituali intelligi deberet, cum saltem ex causa habitus dimitti valeat absque fori priuilegij amissione, ad ea, quæ notat etiam *idem de Grass. vbi suprà num.* 1174. *& seq.* Et prout per prædictum carceratum dimissum fuisse asserebatur.

5 Tenebam, quod saltem casus esset dubitabilis, & quod proinde practicari deberet *Bulla Pauli III.* de qua meminit *idem de Grass. loco citato num.* 917. *ex Decian. cons.* 82. *num.* 8. *lib.* 2. Et qua Bulla datur facultas Iudicibus laicis cognoscendi contra tales Clericos cum assistentia tamen Iudicis Ecclesiastici. Cum enim videretur pendere amissio fori ex eo, quod prædictus Clericus in enormitate fuisset deprehensus, vtique tali priuilegio exuendus non videbatur, nisi prius de tali enormitate saltem & Iudice Ecclesiastico præsente constaret.

Quia tamen de *dicta Bulla* dubitatur, cum (vt innuit *ipsemet Decian.*) ipsa non reperiatur, dum Consultores inclinassent vna mecum, vt pronunciaretur, quod fori priuilegio ipse carceratus non gauderet, quia satis superque videbatur apparere, quod in enormitate prædicta fuisset deprehensus, absque eo quod posset excusari neque ex dimissione habitus facta ex aliqua causa, quæ ne dum non probabatur, sed potius in contrarium suadebatur; in carceribus obijt.

ARGVMENTVM.

Monialium vicinus potest sua ædificia altius tollere, maximè si statum ædificiorum antiquorum supergredi non vult; non autem potest fenestras, & alia in ipsis facere, ex quibus Monasterium, & Moniales videri, & dominari valeant.

SVMMARIVM.

1 *Ædificium proprium tollens in altum ad sui commoditatem, & non ad æmulationem, etiamsi ex ipso Moniales videri valeant, videtur posse tollere; sed vide numeris sequentibus.*

2 *Fenestra, ex quibus Moniales distinctè videri, & Monasterium dominari valet, fieri non possunt, & quare.*

3 *Aedificans tenetur seruare formam, & statum antiquorum ædificiorum.*

SINGVLARE CXXXXV.

NE vicinus altius domum propriam tolleret, institerunt quædam Moniales ex eo, quod sibimetipsis iam prospectum impedire inceperat, & ex fenestris, quas facere intendebat, eorum secreta videre poterat. Reluctante tamen vicino ex regula vulgata, quod qui habet solum, habere di-
1 citur & Cœlum, instabat non impediri, & maximè ostendendo se ad propriam vtilitatem, non autem ad æmulationem, & vt Monasterium, & Moniales videret in altum tollere velle, quod licere videtur, ad ea, quæ notant *Doctores in l. Altius, Cod. de seruit. & aqua*, & tradunt *Boer. decis.* 320. *num.* 9. *vers. Etsi quis velit Altius, & Mars. sing.* 154. *vers. Et prò hoc faciunt.*

In contrarium tamen tenui quoad fenestras, ex quibus in Monasterium prospici poterat, & hoc non obstante, quod via esset intermedia, & locus videretur satis distans, quia compertum fuit nimis distinctè Moniales videri posse, ipsumque Monasterium ex ipsis fenestris valde domina-
2 turum fore. Speciale enim priuilegium Monialium hoc videtur ex *textu, in cap.* 1. *de statu Regul. in* 6. ibi *vt sic à publicis, & mundanis aspectibus separata omninò seruire Deo valeant liberius, & lasciuiendi opportunitate sublata, eidem corda sua, & corpora in omni Sanctimonia diligentius custodire.* Et quidem hoc textu stante, prò Monialibus in tali puncto resultauit communis opinio Doctorum, de qua testatur *Padill.*

in

in dicta l. Altius, nu. 9. & latè etiam quoad circumstantias casus propositi scripsit *Sperell. decis. 58. per totam*, ex qua pluries ipsum & ita practicasse colligitur.

Quò vero ad impedimentum prospectus tenui prò vicino, quia cessabat in hoc ratio textus prædicti, & maximè cum altius tollendo ipse vicinus nollet excedere statum
3 antiquorum ædificiorum, quem statum seruandum esse habetur *ex l. 1. & 3. Cod. de ædificijs priuatis*, & tradunt *Gotfredus ad l. Qui luminibus, Duaren. ad l. 1. tit. de seru. Vrb. præd. & Faber in rational. ad l. Qui luminibus ff. de seruit. vrb. præd.*

Et sic eidem fuit permissum altius quidem tollere, sed non facere fenestras, ex quibus in Monasterium prospici valeret.

ARGVMENTVM.

MOnialis demens professionem emittens non obligatur, & ad ipsius dementiæ probationem, vt ex inde professio nulla declaretur, cœteræ commoniales principale interesse in causa non habentes, vel si aliter probari non potest, admittuntur.

SVMMARIVM.

1 *MOnialis demens professionem validè emittere non potest.*
2 *Testis in causa propria nemo esse potest.*
3 *Testis de vniuersitate admittitur, si principaliter de ius commodo non tractatur.*
4 *Testis de vniuersitate, puta Monachus, vel Regularis, admittitur si veritas aliter haberi non potest.*
5 *Testibus quanta fides sit adhibenda, est in arbitrio Iudicis.*
6 *Testis de vniuersitate, si alias sit fide dignus, ad testificandum admittitur.*
7 *Professionis nullitas coram Ordinario, & Superiore Regulari est intentanda.*
8 *Professionis nullitas, quæ intentari potest ex forma Conc. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 19. competit etiam Monialibus.*
9 *Professionis nullitas, quæ ex officio per Superiorem inquiritur, & per professum non intentatur, non subiacet dispositioni dicti cap. Conc. Triden. sed declarari & expediri potest per solum Superiorem Regularem.*

SINGVLARE CXXXXVI.

HAbito prò probato, quod quædam Monialis tempore professionis, & deinde postea fuisset, & esset demens, & tantò magis, quod ex forma constitutionum Monasterij sufficiebat & dementia ex interuallo; dubitaui an testibus Monialibus esset credendum ad effectum declarandi
1 professionem nullam ex dicto capite, ex quo indubitati iuris est, quod est talis, ad *l. furor. ff. de sponsal. cap. sicut tenor de Regul. & ad passim tradita per Doctores.*

Et quidem prima facie videbatur, quod
2 non, per regulam, quod nemo in causa propria testificari potest, causa enim talis propria Monialium prædictarum satis superque videbatur, cum nedum de ipsarum particulari seruitio tractaretur, ex quo dicta Monialis erat Conuersa, & seruitijs aliarum Monialium addicta, sed etiã quia per ipsasmet Moniales talis professio nulla declarari instaretur, & sic intrare viderentur ea, quæ circa præmissa latè tradit *Mascard. de prob. Concl.* 1414. de testibus de vniuersitate.

3 Verùm ipsas probare tenui; tum quia principaliter de eorum commodo particulari non tractabatur, ad ea, quæ notat *idem Mascard. vbi suprà num.* 16. cum ipsa ex dementia carceribus mancipata, liceret in eius locum ad consueta seruitia alteram eligere, & ad professionem admitte-
4 re; tum quia erat casus, in quo veritas aliter haberi non poterat, cum tractaretur de rebus intra clausuram gestis, ad ea, quę etiam in terminis Monachorum Regularium tradit *Masc. vbi suprà Concl. 3. nu. 13.* & tum denique, quia re vera Moniales prædictæ sub strictissimæ obseruantiæ regula Altissimo ita famulabantur, quod plenè eisdem credi posse non dubitarem, per
5 ea, quæ habentur in *l. 3. de Test.* §. 1. vbi hoc arbitrio Iudicis committitur, dum dicitur: *Tu magis scire potes quanta fides adhibenda sit testibus, qui, & cuius dignitatis, &*
6 *cuius existimationis sint &c.* Vltra quod testi fide digno, etiamsi sit de vniuersitate, & affectionem ad causam habeat, creditur, per

per ea quæ notat etiam *idem Masc. citata Concl. 1414. num. 20.*

Et sic vna mecum concordante Supe-
riore Regulari eiusdem Monasterij, coram
7 quo etiam causa fuerat introducta ad for-
mam *Concil. Trid. sess. 25. de Regul. & Mo-
nial. cap. 19.* professionem nullam pronun-
8 ciaui, cum *dictum cap.* etiam Moniales
comprehendat, vt ex generali contextu
colligitur, & expresè tradit *Barbosa in
Collect. Doctorum ad dictum Conc. loco cita-
to, & Zerol. in praxi Episc. parte 1. verbo
Monialis, vers. ad secundum respond.* qui
etiam rationes reddit, & quatenus non
comprehendisset, tamen nullo etiam habi-
to respectu ad *dictum cap.* nullitas ex præ-
dictis de iure communi declarari poterat,
9 & ad hoc solus Superior sufficiebat absque
Ordinario, cum Concilium disponat so-
lum in casu, in quo professus de nullitate
dicit, non autem quando Superior ex cau-
sa legitima vult professum dimittere, ad
ea, quæ notat *Nauar. in Lucerna Regula-
rium, verbo Professio, num. 35.*

ARGVMENTVM.

IVdex secularis potest cognoscere de causa possessorij rei temporalis iuris spiritualis, puta possessionis rei emphytheuticæ Ecclesiasticæ, si de ipsa inter laicos controuerti contingat.

SVMMARIVM.

1 *EMphyteuta potest Domino directo irrequisito legare, vel donare rem Emphyteuticam etiam Ecclesiasticam.*

2 *Emphyteuta potest rem Emphyteuticam sine Domini directi consensu hypothecare.*

3 *Iudex laicus videtur posse cognoscere inter laicos de iure, quod eisdemmet competit circa rem Emphyteuticam Ecclesiæ, dummodo ipsi Ecclesiæ aliquod praiudicium resultare non valeat.*

4 *Iudex laicus potest cognoscere de causa meri possessorij rei temporalis iuris spiritualis, puta Ecclesiæ, cum talis causa censeatur merè temporalis.*

SINGVLARE CXXXXVII.

1 CVm Emphyteuta, Domino directo
irrequisito, disponere possit de iure
sibi competente in re Emphyteutica, illud
legando, vel donando, ad ea, quæ latè tra-
dit *Clar. lib. 4. suarum sententiarum §. Em-
phyteusis, quæst. 15. num. 1.* vbi & de com-
muni, ac de magis communi Doctorum
opinione refert etiam respectu Emphyteu-
2 sis Ecclesiasticæ, & sic multò magis illud
ad fauorem creditorum valeat obligare,
rem Emphyteuticam hypothecando, vt
subdit *idem Clar. quæst. 18. sequenti*, & hoc
nō ob aliud, nisi quia nullum præiudicium
3 ex hoc Domino directo infertur; videba-
tur quod nec etiam posset impediri, quod
Iudex laicus circa tale ius Emphyteusis
Ecclesiasticæ iudicaret, si inter laicos de ta-
li iure controuerti contingeret cum nec
Ecclesiæ ex tali iudicio præiudicium infer-
ri valeret, & de re penitus laicali tractan-
dum veniret, & sic à fortiori inferebam,
quod id multò magis procedere deberet, si
non de tali iure, sed de nuda possessione
eiusdem iuris tractaretur, & prout tracta-
batur in quodam casu, in quo creditor lai-
cus iudicium possessorium intentauerat cō-
tra debitorem pariter laicum coram Iudi-
ce seculari, super quadam re de dominio
Ecclesiæ directo.

4 Benè itaque circa hoc considerata do-
ctrina *Beroij*, qui *in prima parte lib. 2. De-
cretal. in Rubr. de iudicijs, sub num. 52.* ex-
presè concludit, quod causa meri posses-
sorij rei temporalis iuris spiritualis, puta
Ecclesiæ, censetur esse causa merè tempo-
ralis, & quod proinde de illa Iudex secula-
ris cognoscere potest, moderatus fui quan-
dam inhibitionem, quam vti Iudex Eccle-
siasticus concesseram, reseruato tamen iu-
re prouidendi semper, & quandocumque
circa præiudicium, quod Ecclesiæ resulta-
re posset ex sententia Iudicis secularis, vel
ob deteriorationem eiusdem rei
prouenientem ab illo, cui in
possessionem adiudicata
esset, vel aliter quo-
modocum-
que.

SVM-

ARGVMENTVM.

PRæscriptio cæpta cum laico finiri debet cum Ecclesia eius hærede iuxta priuilegium, quod competit ipsi Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *PRæscriptionis in materia, Ecclesia hæres laici iure suo vtitur, ita vt cæpta cum defuncto iuxta priuilegium Ecclesiasticum compleatur.*
2 *Hæres repræsentat personam defuncti; sed limita, vt num. 4.*
3 *Hæres nullo suo priuilegio vtitur, cum in locum defuncti succedat.*
4 *Hæres non repræsentat personam defuncti, si habet priuilegium generale in corpore iuris clausum.*
5 *Clericus priuilegio sui Clericatus renunciare non potest, ne præiudicium inferat toto ordini Clericali.*

SINGVLARE CXXXXVIII.

1 PRæscriptionem cæptam cum laico cōplendam esse iuxta priuilegium Ecclesiasticum contra Ecclesiam eiusdem laici hæredem, tenui, quia Ecclesia tali casu priuilegio suo vtitur, ad ea, quæ tradit *Grat. discept. foren. cap.* 16. *num.* 4.
2 Quamuis enim hæres repræsentet personam defuncti, *Authen. de iur. iur. à mo-*
3 *rien. præstit.* Et nullo suo priuilegio vtatur, *l. Hæres, ff. de Iud.* Cum in locum defuncti succedat, *ad l. Si is, ff. de Iud. cum simil.*
4 *Surd. cons.* 112. *num.* 65. *&* 66. Tamen hoc non procedit, quando repugnat priuilegium generale concessum à iure, & prout est priuilegium Ecclesiæ. Tali enim casu supradicta repræsentatio locum non habet, vt subdit *idem Grat. vbi suprà num.* 6. *ex doctrina Spin. de testam. gloss.* 33. *de adit. hæred. num.* 76. Vbi distinguit inter priuilegium particulare, & inter priuilegium generale in corpore iuris clausum. Et quidem ratione etiam conuincitur, si consideretur, quod priuilegio generali non potest quis exui, quin ordo ipsius offendatur,
5 prout dicitur de Clerico, qui clericatus priuilegio nec renunciare potest, ne præiudicium inferat ordini clericali, *cap. Diligenti, de foro competen.* & latè *Graff. de effect. Cleric. eff.* 1. *num.* 42. *&* 43. Si enim aliter diceretur, non solum hæres personam defuncti repræsentaret, sed totus ordo, in quo hæres continetur quodamodo ipsi defuncto famularetur.

ARGVMENTVM.

COniux vt iterum possit nubere, non sufficit, quod probet mortem coniugis per publicam vocem, & famam, sed requiritur, quod cum illa concurrat saltem vnus testis, qui de visu de dicta morte deponat.

SVMMARIVM.

1 *MOrs per publicam vocem, & famam probari potest.*
2 *Mors per publicam vocem, & famam non probatur in causis grauioribus.*
3 *Matrimonialis causa est grauis, & criminali æquiparatur.*
4 *Mors viri per certum nuncium probari debet, vt vxor iterum nubere valeat.*
5 *Coniux vt iterum possit nubere, debet probare mortem coniugis per vnum testem de visu, vt talis probatio possit postea per publicam vocem, & famam suppleri.*
6 *Matrimonium contractum absque certa notitia mortis prioris coniugis, est nullum, etiamsi re vera coniux ipse prior iam mortuus esset.*
7 *Fama est communis opinio voce manifestata ex suspicione proueniens.*
8 *Suspicio certam cognitionem gignere non potest.*
9 *Mors coniugis fama, & alijs adminiculis probatur arbitrio Iudicis; vt superstes coniux iterum nubere valeat.*

SINGVLARE CXXXXIX.

1 ETsi mors possit per publicam vocem, & famam probari, vt tradit *Mascar.*
2 *de prob. Concl.* 1070. *nu.* 1. tamen Conclusionem limitando *sequenti num.* 3. id non procedere subdit in causis grauioribus.

Hoc autem supposito sæpè sæpiùs talem pro-

probationem reiici in probanda morte
3 coniugis, vt alteri coniux superstes iterum posset nubere. Cum enim certo certius sit causam matrimonialem nedum esse grauem, & criminali æquiparari, vt passim tradunt Doctores, & maximè si agatur de declarando aliquem esse solutum à matrimonio iam contracto, vt refert *idem Masc. Concl.* 1021. *num.* 8, 9, *&* 10. sed etiam esse grauissimam, cum in ea iam apposuerit manus ipse Deus; vtique nonnisi claris, & euidentissimis probationibus tractanda vi-
4 detur, & in terminis terminantibus mortis propositæ est textus clarus *in Cap. In præsentia, de Sponsal.* vbi legitur non esse permittendum mulieri iterum nubere, si cer-
5 tum nuncium de morte viri non receperit, quo attento necessario requiri, quod saltem vnus testis de visu circa talem mortem deponat, vt cum alijs de publica voce, & fama possit suppleri, tradit *Riccius in praxi decis.* 265. *num.* 2. *in fine*, & nouissimè firmat *Pontius de matrim. lib.* 7. *cap.* 53. *per totum*, vbi reiectis etiam contrarijs quibus-
6 cumque, infert postea, quod Matrimonium aliter quam ex certa notitia mortis prioris coniugis contractum est nullum, etiamsi re vera iam coniux obijsset, cum ex *Decretali Clem.* 3. *in dicto cap. In præsentia* inhabilis coniux reddatur ad contrahendum, donec de morte viri certum nuncium
7 receperit. Cum enim fama *ex Bart. in l. De Minore ff. de quæstion.* sit communis opinio voce manifestata ex suspicione
8 proueniens, vtique suspicio certam cognitionem necessariam ex *dicto cap. In præsentia* gignere non potest, ad ea, quæ pariter notat *idem Pontius, vbi suprà*, omninò in tali materia videndus.

9 Benè tamen verum est, quod aliquando si cum fama alia vrgentia concurrere reperij, & in specie testes deponentes audijsse alios testes, qui morti interfuisse asseruissent, arbitrio, de quo inter alios meminit *Cucchus Inst. maior. iur. Canon. lib.* 5. *tit.* 12. *de impedim. matrim. num.* 231. vsus fui, & licentiam iterum nubendi concessi.

ARGVMENTVM.

Absolutio à Iuramento ad effectum agendi concedi debet absque partis citatione, vbi stylus ita faciendi viget.

SVMMARIVM.

1 *Absolutio à Iuramento ad effectum agendi, secundum communem opinionem, concedi non potest absque partis citatione; sed contra num. seq. & prò, & contra num. 6.*

2 *Absolutio à Iuramento ad effectum agendi, secundum magis communem opinionem, concedi potest absque partis citatione.*

3 *Absolutio à Iuramento ad effectum agendi ex iusta causa concedi debet, & quomodo iusta causa in tali casu est intelligenda.*

4 *Iustitia causæ absque partis citatione cognosci non potest.*

5 *Iuris controuersi declarationem nec Princeps, secundum magis communem opinionem, facere potest absque partis citatione.*

6 *Absolutio a iuramento ad effectum agendi concedi debet cum, & absque partis citatione, secundum stylum.*

7 *Consuetudo est optima legum, & statutorum interpres.*

SINGVLARE CL.

1 Absolutionem à Iuramento ad effectum agendi absque partis citatione dandam non esse etiam de communi Doctorum opinione tradit *Gaill. lib.* 1.
2 *pract. obseru. obseruat.* 22. *nu.* 3. sed de magis communi testatur in contrarium *Afflict. decis.* 220. *num.* 10. *&* 11. & contra hanc magis communem, non videtur facere quod considerat *Polyd. Ripa in suis sing. obseru. obseruat.* 150. dicendo, quod
3 *Afflict.* videtur sibi contrarius, dum ibidem dicit, quod talis absolutio concedi
4 debet ex iusta causa, quæ absque citatione partis cognosci non potest, cum causarum merita partium assertione pandantur *l. fin. Cod. si per vim, vel alio modo, & in cap. Tum ex literis de in integr. rest. Abb. in cap.* 1. *nu.* 13. *de Iureiur.* quia non se restringit *Afflict.* ad iustitiam strictam, quæ absque partis citatione administrari non potest, & sic

eius

eius dictum in qualiquali iustitia Iudici benè visa, saluari valet.

In facti itaque contingentia contra dictam magis communem potius mihi videbatur facere, quod citatio esset necessaria, ex quo stante communi opinione in contrarium, dubitari non poterat, quod ius
5 esset controuersum, & sic necessaria videbatur citatio, cum in declaratione iuris controuersi nec Princeps, parte non citata, procedere possit, secundum magis communem opinionem, de qua testatur *Gabr. de citat. Concl. 1. num. 11. & 13.*
6 Obstante tamen stylo in contrarium, qui in tali materia est attendendus, secundum *Riccium in praxi, resolut. 301. num. 2.*
7 Et meritò cum consuetudo sit optima legum, & statutorum interpres, vt dixit *Rota in recens. parte 1. decis. 642. nu. 15.* Tenui, & iudicaui, quod non requireretur, & absolutionem prædictam absque tali citatione concessi, præcipuè cum sic nullum præiudicium fieret parti aduersæ, ex quo in meritis, parte ipsa non citata, causa discuti non poterat.

ARGVMENTVM.

Diuortium ob sæuitiam viri per accidens intentari, & concedi potest, & sic ipsa sæuitia cessante, & diuortium cessare debet.

SVMMARIVM.

1 *Diuortium ob sæuitiam viri intentari potest;*
2 *Sæuitia viri arbitrari à Iudice debet ex qualitate vxoris.*
3 *Thori separatione concessa, & restitutio dotis concedi debet, cum in consequentiam separationis Thori, & augumentum, seu lucrum dotale, & donatio propter nuptias veniant.*
4 *Sæuitiam viri, quoad separationem Thori, attestantibus plus creditur, quam contrarium deponentibus, si istorum dicta non sint coarctata, & quarè.*
5 *Negatiua si sit vaga, & non coarctata probari nequit.*
6 *Singularibus testibus creditur, si tractetur de probando habitu hominis successiuo, & in genere; secus autem si de aliquo actu speciali.*
7 *Adulterium solum causa diuortij perpetui esse potest, ex quo per tale crimen fides Matrimonij violatur.*
8 *Diuortium ex alijs causis, quam ex causa adulterij solum per accidens intentari potest, & sic ad tempus, & non in perpetuum, prout ex causa adulterij conceditur, concedi debet.*

SINGVLARE CLI.

1 INtentato per vxorem diuortio ob sæuitiam viri, ad textum *in cap. 1. §. Verum, & ibi Gloss. verbo Suspectum vt lite non contestata*; probataque sufficienter sæui-
2 tia, stante qualitate vxoris, qua attenta, circa dictam sæuitiam Iudex arbitrari debet, ad ea quæ tradit *Pont. de Matrim. lib. 9. de dissol. vincul. & matrim. cap. 23. num.*
3 *5. in fine*, instabat ipsa vxor prò diuortio pronunciari, & dotes sibi restitui mandari, ad doctrinam *Abbat. in cap. 1. in princ. de donat. inter virum, & vxor.* Quod videtur indubitatum, si consideretur, quod in consequentiam separationis Thori veniat lucrum, seu augumentum dotale, vt tenuit *Rota coram Seraph. decis. 1308. num. 2.* & etiam donatio propter nuptias, vt resoluit in sequenti *decis. 1315. in princ.*

Detuli itaque eidem in vtroque, non obstantibus ijs, quæ prò parte viri contra prædictam sæuitiam prætendebantur, quia esto, quod ipse vir contrarium probasset,
4 tamen cum eius probatio non esset coarctata, plus testibus de sæuitia deponentibus, quam contrarijs erat credendum, ad ea, quæ tradit *Grat. discept. forn. cap. 738. num. 57.* Et quidem inconcussa ratione, si consideretur, quod tali casu testes de sæ-
5 uitia affirmatiuam probent, contrarij autem negatiuam, quæ si non sit coarctata probari nequit, vt tradit *Mascard. de probat. concl. 1087. num. 8.* Quamuis enim & hi possint dici affirmatiuam probare, si mansuetudinem viri astruant, tamen non possunt concludere, vt concludunt deponentes de sæuitia, ex quo possit esse, quod quis sit mansuetus, & tamen quod non benè, saltem semper, fuerit solitus tractare vxorem, *vt nu. antecedenti præmittit idem Grat.*

Hinc fit, quod tali casu etiam testibus
6 singularibus sit credendum, prout ego credidi,

V

didi, ex quo tractabatur de probando habitu quodam hominis successiuo, & in genere, non autem de actu speciali, vt in terminis aduertit *idem Grat. vbi suprà nu.* 52.

Benè verum est, quod non simpliciter
7 detuli, sed vsque ad nouum ordinem, cum adulterium solum diuortij perpetui causa esse possit, ex quo per tale crimen fides Ma-
8 trimonij violatur. Ex alijs enim causis solum per accidens diuortium intentari potest, & sic ipsis causis cessantibus coniux recipi debet, vt accuratè notat *Layman in sua Theolog. mor. lib.* 5. *tract.* 10. *parte* 3. *cap.* 7. *de Impedim. Matrim, nu.* 16. *vers. Nunc demum*.

ARGVMENTVM.

ABsolutio à Iuramento non prodest, nisi agendo, vel excipiendo læsio probetur.

SVMMARIVM.

1 *REi causa fauorabilior est, quam sit causa Actoris.*
2 *Agere plus est, quam excipere.*
3 *Absolutio à Iuramento ad effectum agendi, & excipiendi conceditur; sed quomodo ad effectum excipiendi intelligatur, vide infra.*
4 *Absolutio à Iuramento ex afferta læsione conceditur, & ideo ipsa læsio probari debet.*
5 *Reus in exceptione, quæ est fundamentum suæ intentionis, habetur prò Actore.*
6 *Exceptio, quæ est fundamentum intentionis, per excipientem probari debet.*
7 *Absolutio siue sit concessa ad effectum agendi solum, siue ad effectum agendi, & excipiendi etiam, idem operatur, cum in vtroque casu probatione afferta læsionis indigeat.*

SINGVLARE CLII.

CVm in quodam Tribunali Ecclesiastico, in quo præsidebam, vigeret stylus, quod absolutio à Iuramento concederetur quidem ad effectum agendi, & de iuribus experiendi, secus autem ad effectum excipiendi; contigit dubitari, an talis stylus esset sustinendus, & videbatur quod non,
1 quia cui conceditur posse agere, eidem debet concedi & posse excipere, cum fauorabilior sit causa Rei, quam Actoris, *l. Fa-*
2 *uorabiliores ff. de reg. iur.* Item quia plus est posse agere, quam excipere, cum saltem actio semper intentari possit, exceptio autem solum in casu molestiæ deduci valeat.
3 Et tandem, quia Doctores, qui hanc materiam tractant, passim tradunt concedi talem absolutionem ad vtrumque effectum.
4 Tenui tamen ego, quod esset quæstio nominis, quia cum talis absolutio concedatur ex afferta læsione, absolutionem petens ipsam læsionem probare debet, vt aduertit *Mantica de tac. & ambig. lib.* 18. *tit.*
5 4. *nu.* 7. & sic siue agat, siue excipiat, semper erit Actor, cum in exceptione, quæ est fundamentum intentionis, Reus habea-
6 tur prò Actore, ex quo suam exceptionem probare tenetur, ad ea, quæ tradit *Masc. de prob. concl.* 685. *in princip.* & sic cum absolutus siue agendo, siue excipiendo idem
7 facere debeat, nihil referre iudicaui, an solum ad effectum agendi, vel etiam ad effectum excipiendi absolutio concederetur; in omnem enim casum loco exceptionis ipsam actionem deducere valeret.

Ad vtrumque tamen effectum concedendam duxi, vt cum communi practica me conformarem, stylumque, de quo suprà, solum introductum credidi, ne per simplicem exceptionem absque probatione Reus posset prætendere iam per se iurata impedire, & sic ad maiorem declarationem formulæ solitæ, videlicet ad effectum agendi, & excipiendi, &c. addidi, exceptionemque probandi.

ARGVMENTVM.

CLerici non possunt nisi in aliquibus causis causas patrocinari coram Iudice seculari, in omnibus autem coram Iudice Ecclesiastico, secus tamen de Sacerdotibus, quibus, aliquibus exceptis; id etiam coram Iudice Ecclesiastico interdicitur.

SVMMARIVM.

1 *CLerici coram Iudice seculari patrocinari possunt solùm causas proprias, vel propria*

pria Ecclesia, vel miserabilium personarum, quæ sibimetipsis succurrere non valent.

2 *Sacerdotes coram Iudice Ecclesiastico solùm possunt tueri causas proprias, vel propriæ Ecclesiæ, & in casu necessitatis causas coniunctorum, & miserabilium personarum.*

3 *Clerici coram Iudice Ecclesiastico possunt quascumque causas tueri.*

4 *Vidua dicitur persona miserabilis, etiamsi sit diues.*

5 *Odiosa fieri non debent, quæ in fauorem sunt introducta.*

SINGVLARE CLIII.

1 Vigente stylo, quod Clerici absque licentia sui Ordinarij causas patrocinandas coram Iudice seculari non susciperent nec in casibus permissis in *cap. 1. de postul.* videlicet causæ propriæ, vel propriæ Ecclesiæ, vel miserabilium personarum, quæ sibimetipsis succurrere non valent, & quidem rectè, cum non sit conueniens, quod ipsimet Clerici circa præmissa arbitrentur; contigit quod illam à me petijt quidam Sacerdos prò patrocinanda, vt supra, causa cuiusdam personæ sibi coniunctæ, per textum in *cap. Cum Sacerdotis, tit. eod. de Postulat.* vbi eidem id permittitur prò se, prò sua Ecclesia, & in casu necessitatis prò coniunctis, & prò miserabilibus personis.

2 Verùm considerans, quod sic plus in similibus permitteretur Sacerdoti, quam Clericis in communi, quibus ex *dicto cap. 1.* non permittitur id facere prò coniunctis, tenui, quod *dictum cap. cum Sacerdotis,* intelligi debeat respectu Iudicis Ecclesiastici, & sic quod facultas, quæ videtur præ-
3 seruata Clericis in communi ex *dicto cap. 1.* quod possint coram Iudice Ecclesiastico patrocinari omnes causas, sit restricta Sacerdoti ad causas tantum in *dicto cap. cum Sacerdotis* expressas, vt omnia in his terminis tradit *Layman in sua Theol. mor. lib. 3. de Iustit. tract. 4. cap. 26. num. 11.* Cum igitur coram Iudice seculari plus non possit facere Sacerdos, quam possint cæteri Clerici, ex *dicto cap. 1.* & in ipso non legatur, quod liceat comparere prò coniunctis, licentiam prædictam denegaui, & tantò magis, quod necessitas non vrgebat, & causa
4 dirigebatur contrà Viduam, quæ dicitur persona miserabilis, etiamsi sit diues, ad trad. per *Menoch. de arbitr. lib. 2. cas. 66. nu. 6. & 11.* *Dictum* enim *cap. 1.* quod fauore miserabilium personarum fuit factum,
5 contra ipsas practicaretur, neglecta regula, quod inducta in fauorem non debent retorqueri in odium, *l. Quod fauore, Cod. de leg.*

ARGVMENTVM.

Licentiæ laborandi in diebus festis tutius conceduntur, si cum conditione elargiendi aliquam eleemosynam concedantur, quod fieri posse firmatur, non obstante Const. Vrb. VIII. de sanctificat. festorum, qua mandatur licentias prædictas esse concedendas gratis, liberè, & absque vllo pretio, vel pacto.

SVMMARIVM.

1 *Festiuis diebus licentia laborandi gratis, liberè, & absque vllo pretio, vel pacto est concedenda; sed vide numeris sequentibus, quomodo id sit intelligendum.*

2 *Dispensare qui potest, potest & commutare.*

3 *Plus cui licet, vtique licet etiam quod est minus.*

4 *Licentia laborandi in diebus festis concedi debet gratis, liberè, & absque vllo pretio, vel pacto in fauorem Concedentis, vel Notariorum; secus respectu Eleemosynæ locis pijs erogandæ.*

5 *Correctoria strictè interpretari, & quantum possibile est restringi debent.*

6 *Correctoria interpretari debent, vt quominus fieri potest Ius Commune lædatur.*

7 *Correctoria sufficit quod verificentur in vno casu.*

8 *Correctio quando duo potest operari, contenti esse debemus, quod tantum operetur vnum.*

9 *Ius suum vnicuique est tribuendum.*

10 *Festis diebus laborari potest absque licentia Superioris, si id faciendi subest causa omninò clara.*

SINGVLARE CLIV.

CVm ex aliqua rationabili causa mihi videretur locus dispensationi à sanctificatione festorum, sequebar consuetudinem iam introductam iniungendi dispensatis elargiendi ad ipsorum arbitrium aliquã eleemosynam locis pijs; quando in facti contingentia mihi obiectum fuit id alias tentum fuisse esse prohibitum ex *Bulla Vrbani VIII. de obseruatione festorum, sub da-*
1 *tum Romæ Idibus Septembris* 1642. in qua legitur, quod licentiæ laborandi diebus festis nonnisi gratis, liberè, & sine vllo prorsus pretio, aut pacto, directè, vel indirectè concedantur, sub pœnis etiam grauioribus arbitrio, &c. infligendis.

2 Verùm hoc non obstante id posse fieri tenui, quia qui potest dispensare, potest & commutare, vt ex pluribus in materia voti firmat *Layman in Theolog. mor. lib. 4. tract.* 4. *cap.* 8. *de Voto & voti relaxat. num.* 20.
3 Et meritò eum cui licet quod est plus, liceat vtique quod est minus, *cap. seù Regula, Cui,* 53. *de Reg. iur. in* 6. Et sic saltem ex com-
4 mutatione id sustineri valeret; sed punctus est, quod dicta *Bulla* non videtur posse intelligi nisi quod aliquid ex dicta concessione à Concedentibus, seù Notarijs non exigatur, non autem, quod ob id aliqua eleemosyna elargiri non mandetur. Si enim hoc ex capite commutationis de iure communi fieri potest, vtique correctum dici
5 non debet, si expressè dictum non sit, cum correctoria strictè interpretari, & quantum possibile est restringi debeant, vt dixit *Rota in recens. parte prima decis.* 674. *num.* 2.
6 ac ita, & taliter, quod quominus fieri potest ius commune lædatur, *Rota in recens. parte* 2. *decis.* 21. *num.* 2. & in omnem casum verificata *Bulla* in primo Capite, quod scilicet non liceat concedentibus aliquid exigere, non est extendenda vlterius,
7 cum in correctorijs sufficiat verificatio vnius casus, *Rota vbi suprà parte* 1. *decis.* 563.
8 *num.* 1. Quando enim correctio duo potest operari, contenti esse debemus, quod tantum operetur vnum, vt tradit *decis. Pedemon. Osasch.* 59. *num.* 13, & tantò magis in casu proposito, in quo ex verbis ipsis id detegitur, cum ipsa verba eleemosynæ minime adaptari posse videantur, immò adaptari non debeant, cum nedum arbitraria, sed congrua eleemosyna tali casu fieri debeat, per textum clarum in *cap. Licet de ferijs*.

Nec mihi visum fuit obstare, quod id esset grauare dispensatos, qui non ob aliud dispensantur nisi, quia ita iustum esse vide-
9 tur, & ius suum vnicuique est tribuendum §. *Iuris præcepta Inst. de inst. & iur.* Quia respondetur, quod regulariter, quando in similibus dispensatur, nunquam casus
10 solet esse omninò clarus, & si esset talis, licentia Superioris opus non haberet, vt obseruat *idem Layman vbi suprà tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 2. *vers. Porrò*.

ARGVMENTVM.

PRofessionem nullam dicens ex causa metus obtinere non potest, si cessante causa metus, vti professus in Religione mansit.

SVMMARIVM.

1 *MEtus reuerentialis si interueniat in aliquo actu, qui absque tali metu non fieret, sufficit ad ipsum actum rescindendum.*
2 *Professionem nullam dicere non potest, qui intra quinquennium de ipsa nullitate non reclamauit.*
3 *Metus semel illatus semper durare præsumitur, si durat causa metus.*
4 *Metus durat vsque dum viuit, qui metum intulit; sed declara, vt num. sequenti.*
5 *Metus causa durare non dicitur, si simpliciter viuit, qui metum intulit; sed requiritur, quod adhuc eidem sit subiectus ille, cui metus fuit illatus.*
6 *Professio non inducitur per susceptionem ordinum, & alios actus, si causa metus durat.*

SINGVLARE CLV.

1 PRobato metu reuerentiali, quo quis Religionem ingressus, & in illa professus fuerat, vt Patruo suo tutori non contradiceret, & quod alias id non fecisset, cum a statu tali eius voluntas abhorreret, quod sufficiat ad actum rescindendum, vt ex pluribus notat *Layman in Theol. mor. lib.*

3. de

3. *de inst. tract. 4. cap. 6. num.* 4. & insuper probato, quod id totum fecerat per vim, & metum sibi ex subtractione alimento-
2 rum, ex minis, & ex verberibus illatum, cum intra quinquennium etiam iudicialiter reclamasset ad formam *Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. de Regul. & Mon.* & cum etiam a Summo Pontifice breue delegationis in me vti Ordinarium, & in Superiorem domus, in qua professus fuerat obtinuisset; instabat dictam professionem iam longè ante emissam nullam declarari.

Et quidem dato prò constanti, quod totum quod fecerat, durante causa metus, nullum esset, etiamsi ex metu id fecisse non
3 probasset, cum metus semel illatus semper durare dicatur, si durat causa metus, vt de communi testatur *Rolan. cons. 95. num. 32. lib. 1.* & indubitatum dixit *Rota in recens. parte 2. decis. 705. num. 1.* & sic quod vi-
4 uente ipso Patruo omnia per ipsum facta nulla erant, vt in terminis notat *Sperel. in suis decis. for. Eccles. decis. 80. num. 10.* remanebat dubium, an ex quo quinque anni elapsi fuerant, postquam effectus fuerat maior, posset dici, quod causa metus cessasset, & quod proinde continuando in Religione per dictos quinque annos professionem prædictam tacitè ratificasset, vel denuò tacitè professus esset. Et tenui, quod
5 sic, quia non sufficit, quod viuat ille, qui metum intulit, vt dicatur causa metus durare, sed requiritur, quod duret etiam subiectio illius, cui metus fuit illatus, quod non erat in casu, de quo tractabatur, in quo per annum vigesimumquintum dictus professus maior effectus fuerat, & sic tempus cuiuscumque subiectionis tutelæ, & curæ euaserat, vt per plura, quæ congerit, tradit *Sanchez de Matrim. lib. 4. disput. 18. nu. 7. vers. Durat autem,* & etiam exemplificando subdit *Sperel. vbi suprà num. sequenti.*

6 Nec mihi visum fuit releuare, quod in reclamatione iam protestatus fuisset, quod ex quibuscumque actibus in Religione faciendis non intendebat dictam professionem ratificare, declarando, quod omnes ex dicta causa metus processissent; quia causa ipsius metus cessante omnia corruebant, & protestatio solum ipsa causa durante sibi suffragari poterat, vt ipsemet expresserat.

Concurrente itaque mecum in hoc Superiore Regulari, desperatus Actor ex capite metus obtinere, conuolauit ad alia, de quibus in *singulari seq.* & ex ipsis obtinuit.

ARGVMENTVM.

PRofessio non inducitur ex actibus indifferentibus, & qui citra nomen professi fieri possunt.

SVMMARIVM.

1 *PRofessio dicitur inducta per susceptionem ordinum, & alios similes actus si causa metus non durat.*
2 *Professionis ratificationem induci absque nouo Religionis consensu probabilius videtur.*
3 *Metus vt probetur sublatus, actus positiui requiruntur, & sola acquiescentia non sufficit.*
4 *Profitendi animum abfuisse iuramento non probatur, solet tamen tale iuramentum adhiberi ad cautelam.*

SINGVLARE CLVI.

1 CVm causa metus durante per susceptionem ordinum, ac per alios actus professionem inducentes, non inducatur professio, vt notatur in *decis. 705. num. 1. parte 2. recens.* vtique a contrario sensu per tales actus ipsa metus causa cessante professio inducta videtur, & sic dato, quod Religiosus, de quo in *singulari antecedenti*, metus causa cessata se gessisset in Religione vti professus, videbatur, quod tacitè professionem fecisset, non obstante quod ex causa metus protestatus esset, cum dicta protestatio, ipsa metus causa cessante, vt dictum fuit, afficere non posset.

Nec videbatur obstare, quod non sufficeret professio, seù ratificatio professionis
2 ipsius, nisi etiam de nouo consensu Religionis constaret, quia omisso, quod probabilior sententia videatur illa, quæ tradit, quod in tali casu dictus nouus consensus Religionis non requiratur, ad ea, quæ tradit *Sanchez de Matrim. lib. 2. disput. 32. præcipuè num. 9.* & in his terminis in *Decal. lib.*

5. *cap.*

5. *cap. 4. num.* 81. de consensu etiam ipsius Religionis apparebat, si considerabatur, quod reclamatio fuerat interposita etiam coram Superiore Religionis, qui postea, ipsa non obstante, ipsum vti professum tractauerat, eidem etiam superioritates conferendo.

Dicente tamen ipso Religioso, quod re vera postquam maior euaserat, non poterat dici, quod vti professus se gessisset, ex quo non constabat, quod aliquem actum
3 fecisset, qui citra nomen professi fieri non potuisset, sed solum quod acquieuisset, quod non sufficit, cum sola acquiescentia metum passi post mortem illius, qui metum intulit, non sufficiat prò purgatione metus, sed requiratur quod metus probetur sublatus per actus positiuos, vt pluries dixit *Rota, & signanter decis.* 179. *num.* 6. *parte* 2. *Posthum. Farinac.* sequens præcipuè doctrinam *Osasch. decis.* 179. *num.* 11. Immò subiungente, quod quando superioritates vt supra, acceptauerat, quas citra nomen professi acceptare non poterat, protestatus fuerat animo profitendi illas non acceptare; compertoque per Superiorem Regularem, meque, quod factum pròut ipse Religiosus asserebat se habuerat, ipsum a Religione liberauimus, iurato per eundem ad cautelam, quod re vera
4 professionem tacitè non ratificasset. Quamuis enim in foro externo credendum non sit iuranti se non habuisse intentionem profitendi, vt inter alios notat *Bordon. var. resol. Regul. tom. 2. resol.* 57. tamen solere Coniudices talem cautelam apponere, tradit idem *Bordon. vbi suprà, tom.* 1. *resolut.* 23. *num.* 9. & quæ cautela tantò magis videbatur apponenda, quantò in Breue delegationis expressum erat, quod nullitas non admitteretur, si tacitè, vel exprefsè professio ratificata fuisset.

ARGVMENTVM.

DEclaratio caducitatis ab emphytheusi potest fieri per Dominum directum, tam verbis, quam factis, absque partis citatione, sed non obstante quocumque pacto non potest ex ipsa absque intimatione capi possessio, ob purgationem moræ; quæ saltem de iure Canonico etiam post declarationem prædictam competit.

SVMMARIVM.

1 *CAducitatem incursam declarare potest dominus directus tam verbis, quam factis, absque partis citatione.*
2 *Possessio rei Emphytheuticæ post declarationem caducitatis capi non potest absque citatione partis, vel eiusdem declarationis intimatione, & hoc non obstante pacto, quod tali casu locatio intelligatur resoluta.*
3 *Caducitate declarata in Emphytheusi, adhuc competit moræ purgatio.*
4 *Possessio rei Emphyteuticæ capi non potest absque Iudicis sententia, & partis citatione, etiamsi in concessione dictum fuerit, quod in casu caducitatis liceat domino directo propria auctoritate possessionem capere.*

SINGVLARE CLVII.

1 ADmisso prò constanti, quod Domini directi declaratio ad inducendam caducitatem citatione partis opus non habeat, vt de crebriori sententia testatur *Sperel, decis. for. Eccl.* 71. *num.* 42. *vers. Non denique*; & quod dicta declaratio tam verbis, quam factis, vendendo scilicet, vel dando alteri in emphytheusim rem deuolutam, fieri possit, vt deducit *Grat. discept. foren. cap.* 378. *num.* 5. & 6.

2 Dubitatum fuit coram me, an ex tali declaratione, qui caducitatem incurrerat potuisset absque vlla citatione, vel intimatione possessione priuari, stante maximè, quod in instrumento suæ inuestituræ Ecclesiasticæ legebatur, quod deficiente ipso in debita solutione canonis per biennium, & prout defecerat, locatione resoluta, res liberè conferetur ad eundem Dominum directum deuoluta.

3 Tenui, & iudicaui quod non, per ea, quæ subdit *Sperel. vbi suprà*, firmando latè, quod adhuc post caducitatis declarationem competat ius purgandi moram. Quod quidem si est verum, pròut verissimum credo saltem de iure Canonico, vt præcipuè firmauit *Rota in recens. parte* 4.

de-

decis. 640. *num.* 5. & 854. vtiquè & intimatio dictæ declarationis absquè citatione factæ præcedere debet, ne de illa ignorantia allegari valeat.

4 Neque obstare credidi pactum prædictum in inuestitura appositum, quod scilicet locatio intelligatur resoluta, quia etiam in tali casu, quem figurat *sub num.* 1. post declarationem, moram purgari posse certum dixit *Rota in recens. parte 2. decis.* 577. *num.* 2. Quamuis enim dictum etiam expresse fuisset, quod tali casu Dominus directus propria auctoritate possessionem ingredi potuisset, tamen absque Iudicis sententia, & absque partis citatione id facere non potuisset, vt in terminis tradit *Grat. dicto cap.* 378. *num.* 24. & 25.

ARGVMENTVM.

Absolutus ab excommunicatione in foro interno anteaquam iudicium sit introductum, adhuc debet puniri, & excommunicari in foro externo.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus iam absolutus in foro interno anteaquam negotium esset deductum in iudicium, secundum practicam fori Archiepiscopalis Neapolis, non debet inquietari, & excommunicari in foro externo; sed contrà num. 2. & declara, vt num. 3.*

2 *Excommunicatus iam absolutus in foro interno, adhuc de Iure puniri, & excommunicari debet in foro externo.*

3 *Excommunicatus iam absolutus in foro interno, adhuc puniri, & excommunicari debet in foro externo, etiam secundum Archiepiscopalem praxim Neapolis si pars in Iudicio instet.*

SINGVLARE CLVIII.

1 Quamuis practica Curiæ Archiepiscopalis Neapolis, de qua testatur *Riccius decis.* 229. *num.* 6. *parte* 2. non molestandi scilicet in foro externo iam absolutum ab excommunicatione in foro conscientiæ, anteaquam negotium in
2 iudicium fuerit deductum, sit contrà notata per *Glos. & communiter per Doctores in cap. de his, de accusat.* & latè per *eundem Riccium loco citato*; Tamen cum in quadam facti specie quidam, ob violentas manuum iniectiones in Clericum, ne dum in foro interno absolutus fuisset, sed & temporali pœna à Iudice laico punitus extitisset, videbatur talis praxis sequenda, ex quo publicæ vtilitati (cuius interest delicta puniri) per pœnam prædictam consultum erat; Honestius enim, & benignius facit Iudex (vt dicit *Ricci. vbi suprà*) si taliter in foro interno absolutum non inquietat, & non declarat excommunicatum in foro exteriori.

Verùm cum non satis consultum esset absque sententia excommunicationis, quæ talis delicti est propria pœna, appellationi coram me interpositæ non detuli, caussamque Ordinario pròut iuris expedien-
3 dam remisi, maximè instante parte prò pœna condigna, & quo casu omnis scrupulus cessare videtur, etiam secundum *Riccium dicta decis. in fine*.

ARGVMENTVM.

Clerici statutis laicalibus, etiam fauorabilibus, sed à Papa non confirmatis, vti non debent nec possunt, & maximè si ipsa statuta non sint vndequaque fauorabilia ipsis Clericis.

SVMMARIVM.

1 *Clerici statutis laicalibus, etiam fauorabilibus, non tamen à Papa confirmatis, vti non possunt; sed contra num. 3.*

2 *Statuta laicalia à Papa non confirmata, respectu Clericorum, nullius firmitatis existunt.*

3 *Clerici statutis laicalibus sibimetipsis fauorabilibus, secundum communem opinionem, vti possunt, etiamsi à Papa non sint confirmata; sed contra ex iuribus, & ratione.*

4 *Aequitas Canonica inter Ecclesiasticos, & non rigor legum Ciuilium, est attendenda.*

5 *Ecclesiastici non lege huius seculi, sed lege Dei viuunt.*

SINGVLARE CLIX.

Clerico volenti vti statuto laicali tanquam sibi fauorabili, non detuli, quia etsi ex parte esset fauorabile, ex alia nedum sibi, sed

sed & toto ordini Clericali erat odiosum,
& in omnem casum cum non esset confir-
matum a Papa, Clerico prodesse non po-
1 terat, ex quo similibus statutis a Papa non
confirmatis Clerici vti non possunt, ad ea,
quæ notant *Mathesil. Sing.* 111. *incip. Nota
vnam lucrosam, & vtilem doctrinam, & Ro-
man. Singul.* 441. *incip. Habeo casum in fa-*
2 *cto*, & meritò, cum talia statuta ab Eccle-
sia non confirmata, respectu Clericorum,
nullius firmitatis existant, ad ea, quæ ex-
pressè leguntur in *cap. Ecclesia Sancta Ma-
riæ de Constit.*

3 Quamuis enim *Adden. ad singularia præ-
dicta* notent, quod communis opinio sit
in contrarium, & quod malè sentiant *Ro-
man. & Mathesil.* Tamen valdè vrgere mihi
visa sunt ea, quæ in *singularibus prædictis*
deducuntur, & præcipuè dictum *cap. Ec-
clesia Sanctæ Mariæ*. Vltra quod & opti-
ma ratione suadetur, si consideretur, quod
non sufficit, quod aliquid sit Clerico fauo-
rabile, vt illo ipse Clericus vti valeat, sed
4 requiratur, quod sit etiam iustum, non
solum secundum leges Ciuiles, sed etiam
secundum æquitatem Canonicam arbitrio
Summi Pontificis iudicandam, argumen-
to *cap. Filius noster, de Testam.* vbi relicto
5 rigore legum Ciuilium, aliud statuit *Gre-
gorius Nonus*, dicendo, quod non lege hu-
ius seculi, sed lege Dei Ecclesiastici viuunt.

ARGVMENTVM.

Clericus prò spolio coram Iudice Ecclesiastico agere potest, immò debet, si re vera ipse est spoliatus, & sic est Reus, & non Actor.

SVMMARIVM.

1 *Bonorum Clerici laicus nequit esse Iudex.*
2 *Fori beneficio Clericus nec in ciuilibus, nec in criminalibus renunciare potest neque cum iuramento.*
3 *Iudex Ecclesiasticus inhibere potest Iudici laico ne procedat contra Clericum etiam litigare volentem coram ipso.*
4 *Actor forum Rei sequi debet.*
5 *Iudex Ecclesiasticus vt iudicare possit laicum spoliantem Clericum, requiritur quod Clericus rectè possideat.*
6 *Clerico pro suis bonis competit priuilegium sibi eligendi forum.*
7 *Iudicia vbi sunt capta, ibi debent finiri.*

SINGVLARE CLX.

Non obstante, quod Clericus se spoliari
dixisset coram Iudice laico, & quod
coram ipso super hoc iudicium institutum
fuisset, comparente postea eodem Cleri-
co coram me Iudicem Ecclesiasticum agē-
1 te, & instante Iudici laico inhiberi, inhi-
bui, cum laicus neque possit esse Iudex bo-
norum Clerici, ad ea, quæ hinc inde cu-
mulat, & resoluit *Carol de Grass. de effect.
Cleric. eff.* 1. *præcipue à num.* 10. *ad num.* 14.
2 & Clericus beneficio fori renunciare non
valeat nec in criminalibus, nec in ciuili-
bus causis, & neque cum iuramento, vt sub-
dit idem de *idem de Grass. vbi suprà à num.*
3 42. *ad num.* 47. Quo numero firmat etiam,
quod Iudex Ecclesiasticus potest inhibere
Iudici laico ne procedat contra Clericum
etiam coram eo litigare volentem.

Quia tamen controuertebatur postea,
an Clericus prædictus esset legitimus pos-
sessor bonorum, de quibus se spoliatum
asserebat, & re vera id non probabat, se-
quebatur, quod id, quod fecerat coram
Iudice laico fecisset vti Actor, vt scilicet
ostenderet bona, de quibus tractabatur,
4 ad se spectare, & sic vti talis forum Rei se-
5 qui debebat, *iuribus vulgatis*. Doctores
enim, qui in puncto dicunt Iudicem Eccle-
siasticum iudicare laicum turbantem, vel
spoliantem Clericum, supponunt, quod
Clericus rectè possideat, vt videre est apud
Ciarlin. Controuers. foren. lib. 1. *cap.* 28. *nu.*
12. *&* 13. vbi ex professo materiam tra-
ctat, & sic ex hoc capite inhibitionem mo-
6 deratus fui, stante etiam, quod etsi posset
dici Clerico prò suis bonis competere pri-
uilegium sibi eligendi forum, per ea, quæ
notaui *in Singulari sequenti*, iam forum lai-
cum sibi elegerat, & sic intrabat regula,
7 quod Iudicia vbi sunt cæpta, ibi fi-
niri debent, *vulg. l. Vbi cæ-
ptum, ff. de Iudic.*
*cum simili-
bus.*

AR-

ARGVMENTVM.

CLericus prò consecutione suorum bonorum patrimonialium, & ad quorum titulum ordinatus fuit, habet electionem fori, & sic potest agere etiam coram Iudice Ecclesiastico pro consecutione eorundem bonorum.

SVMMARIVM.

1 *FOrum Rei sequi debet Actor.*
2 *Clericus prò bonis Ecclesiasticis habet electionem fori.*
3 *Clericus & prò bonis, ad quorum titulum est ordinatus, habet electionem fori.*
4 *Bona Clericorum ipsorum priuilegio gaudere debent.*
5 *Fori respectu, bona Ecclesiæ, & Clericorum parificantur.*
6 *Clerici causa introducta contrà laicum coram Iudice Ecclesiastico prò bonis per Clericum prætensis est remittenda ad Iudicem secularem solum si laicus bona esse Ecclesiæ, vel Clerici probabiliter neget, & confirmet, & si consuetudo non extat in contrarium.*

SINGVLARE CLXI.

CLerico contrà laicum agere volenti coram me Iudice Ecclesiastico prò consecutione bonorum patrimonialium, ad
1 quorum titulum ordinatus fuerat, opponebatur, quod sequi debebat forum Rei, ad *l. Iuris ordinem, Cod. de iurisdict. omn. iud. cap. Experientiæ, & cap. Clericus 11. quæst. 1.*
2 Verùm cum videatur indubitatum, quod Clericus ex *l. Vnica, Cod. Quando Imper. inter pup. & vid.* prò bonis Ecclesiasticis habeat electionem fori, ad ea, quæ passim omnes Doctores affirmant, vt dicit *Riccius in praxi for. Eccles. tom. 2. Praxi Bo-*
3 *norum resol. 93. num. 1.* tenui, quod id procedere deberet & quoad bona patrimonialia, per ea, quæ subdit ibi in his terminis *Riccius num. sequenti.* Cum enim talia bona sint Clerico necessaria, absque du-
4 bio & ipsius Clerici priuilegio gaudere debent, per ea, quæ à fortiori de omnibus bonis Clericorum notat *Ciarlin. controuers. foren. lib. 1. cap. 28. num. 13. & 14.*
5 vbi in specie firmat, quod respectu fori par ficantur bona Ecclesiæ, & Clerici, ad *textum in cap. Si Clericus laicum, de foro compet. & ad alia per ipsum allegata.*
6 Nec in contrarium facere tenui textum prædictum in *cap. si Clericus laicum*, vbi expressè decidi videtur, quod si laicus asseuerat non Ecclesiæ, aut Clerici esse bona, de quibus tractatur, ad Iudicem laicum causam esse remittendam, quia si simpliciter *textus prædictus* intelligeretur, nunquam nec de bonis Ecclesiæ Iudex Ecclesiasticus cognosceret, cum ad ipsius forum declinandum, laicus id semper opponeret. Venit itaque *textus prædictus* intelligendus, quod habeat locum solum in casu, in quo laicus nedum negaret bona esse Ecclesiæ, vel Clerici, sed probabiliter negaret, vt explicat idemmet Summarium ad eundem textum, & melius textus ipse, dum dicit (*asseuerat*) & non (*asserat*) vt malè meo iudicio notatur in margine; verbum enim *asseuerare* importat certè affirmare, & confirmare, vt animaduertit *Ambros. Calepin. ad verbum ipsum*, quod vtique simplici assertione fieri non potest.

Cum itaque laicus simpliciter diceret, & nihil ostenderet, me Iudicem competentem pronunciaui, & ad vlteriora procedi mandaui, stante etiam consuetudine, de qua meminit & *ipse textus, & Glossa ad ipsum.*

ARGVMENTVM.

IMmunitate Ecclesiastica gaudent etiam Regulares, & maximè si non potest dubitari, an in locis sacris se receperint prò præsidio immunitatis.

SVMMARIVM.

1 *CLerici, & alij Religiosi nullatenus immunitate Ecclesiastica gaudere debent; sed contra numeris seqq.*
2 *Clerici, & alij Religiosi immunitate Ecclesiastica gaudere debent.*
3 *Clerici, & alij Religiosi, si confugiunt ad Ecclesiam, vt eius immunitate gaudeant, illa*

 gau-

gaudere debent, cum quis fide, quam in veneratione Ecclesia, & Sanctorum habuit fraudari non debeat.

4 *Regularis Prælatus, non obstante immunitate Ecclesiastica, potest pœnitentijs salutaribus suos subditos corrigere, quamuis contra ipsos ad vltrices pœnas Canonum procedere non valeat.*

SINGVLARE CLXII.

EXtracto ab Ecclesia quodam Regulari sub prætextu, quod crimen per ipsum commissum esset exceptum in *Bulla Greg. XIV*, cum id non subsisteret, Ecclesiastica immunitate ipsum gaudere debere dixi,

1 Ecclesiæque restitui mandaui, non obstantibus latè deductis per *Panormitanum in cap. Inter alia num. 13. de Immunit. Eccles.* ad ostendendum, quod Clerici, & alij Re-

2 ligiosi nullatenus immunitate gaudere debeant. Contrarium enim defendit *Roman. in cons.* 234. cuius opinionem ex pluribus veriorem, & sequendam dicit *Ambrosin. de*

3 *Immunit. cap. 12. num. 3.* Tantòque magis id feci, quantò non poterat dubitari, quod ipse Religiosus ad dictam Ecclesiam prò refugio non confugisset, cum non in suo Monasterio, sed in aliena Ecclesia, in qua nihil facere habebat, se recepisset, & ideo (ad ea, quæ subdit *idem Ambros. num. seq.*) ne ipse fide, quam in veneratione Ecclesiæ, & locorum sacrorum habuerat, fraudaretur, ita iudicandum erat.

4 Cum autem promptus essem, vt ipse consignaretur suo Prelato Regulari, ad hoc vt eum, si vellet, posset pœnitentijs salutaribus corrigere, cum talis Prælatus possit, non obstante immunitate, ad tales pœnitentias vti pater procedere, quamuis non valeat in foro Iudiciali vltrices pœnas Canonum irrogare, vt inter alios obseruat *Gambacur. de Immun. Eccles. lib. 4. cap. 11. num. 14.* superuenerunt alia ex quibus id mihi expediens visum non fuit, & sic simpliciter Ecclesiæ fuit restitutus.

ARGVMENTVM.

LOcus immunis non præbet immunitatem ei, qui ad aliud, quam vt gaudeat immunitate, ad ipsum locum immunem accedit.

SVMMARIVM.

1 *IMmunitate vt quis non gaudeat, sufficit, quod appareat, quod alio animo, quam gaudendi immunitate, ad locum sacrum, seu immunem accedit.*

2 *Animus in dubio, iuramento asserentis probatur; secus autem quando aliter constat.*

3 *Animus benè factis, immò melius, quam verbis probatur.*

4 *Immunitatem Ecclesiasticam leges, & Canones prabent propter fidem, qua in locis sacris habetur.*

SINGVLARE CLXIII.

QVamuis Palatium Episcopi immunitate Ecclesiastica gaudeat, *vt passim notant Doctores*; dubitaui tamen in facti contingentia, an in eo vti Iudex Ecclesiasticus capi facere possem quendam Clericum criminosum, non tamen de criminibus exceptis, & hoc, ex quo clarè suadebatur ex facto ipso, quod ad aliud, quam vt immunitate gauderet, ad Palatium ipsum accesserat.

Tenui, quod sic, eundemque carcerare

1 feci, & debita pœna puniri, quia ad hoc, vt quis immunitate non gaudeat, sufficit, quod appareat, quod alio animo, quam gaudendi immunitate, accedat, per ea, quæ ex *Dec. notat Ambros. de Immun. & li-*

2 *bert. Eccles. cap. 12. num. 4.* Animus enim etsi iuramento asserentis probetur, id tamen procedit in dubio, & non quando aliter constat, vt tradit *Mascard. de probat.*

3 *concl. 94. nu. 5. & seqq.* Animus namque benè factis, immò melius, quam verbis probatur, ad ea, quæ deducit *Menoch. de præsumpt. lib. 6. Præsumpt. 35. nu. 20. & 21.* Et cum *idem Ambros. vbi suprà* loquatur nedum de Palatio, sed & de Monasterio, & de ipsa Ecclesia, non hæsitandum duxi in casu Palatij, cum non hæsitandum esset nec in casu Monasterij, vel Ecclesiæ, si factum id demonstraret, vt puta si Regularis post patratum delictum accederet ad suum Monasterium, & ad suam cellam, vt sua bona secum asportaret, & in ipsa asportatione deprehenderetur; qua enim fide in Ecclesiam, vel locum sacrum defraudari

4 potest ille, qui nullam fidem talem habuis-

se

se demonstrat? & propter quam leges, & Canones immunitatem concedunt, vt pariter notat *Ambros. vbi suprà*.

ARGVMENTVM.

Literæ cambij habere debent executionem paratam, etiam contra Clericos si habent in foro Mercatorum eandem executionem.

SVMMARIVM.

1 *Literæ cambij, an habeant executionem paratam, valdè dubitatur.*
2 *Literæ cambij, secundum veriorem, & communiorem in iure sententiam, executionem paratam non habent.*
3 *Mercantilibus in causis mos, consuetudo, & statutum mercatorum, non autem Ius Commune attendi debet.*
4 *Clerici ex vi directiua tenentur ad leges seculares, quæ ad bonum publicum tendunt.*
5 *Clerici in foro Ecclesiastico iudicandi sunt secundum leges seculares, si æquitas, & ratio naturalis suadeat, Sacrique Canones aliter non disponant.*

SINGVLARE CLXIV.

Clericum ex literis cambij debitorem executiuè ad soluendum compuli.
1 Quamuis enim valde dubitetur, an literæ cambij habeant executionem paratam, vt præcipuè est videre apud *Nicolaum Genuam de script. priu. lib. 3. de literis cambij,*
2 *quæst. 6. per totam*, immò quamuis *ipse Genua* relatis hinc inde fundamentis, tandem *sub num.* 14. concludat prò negatiua sententia, tanquam in iure veriori, & communiori, tamen attentis ijs, quæ subdit postea *sub num.* 16. *ex Corneo, cons.* 319. *num.* 12. *vol.* 3. *& ex Rota Genuen. decis.* 7. *num.*
3 11. Quod scilicet in causis mercantilibus mos, consuetudo, & statutum mercatorum, non autem Ius Commune, attendi debet, cum non controuerteretur, quod in foro ipsorum Mercatorum vndequaque literæ prædictæ executionem paratam haberent, eisdem & ego illam detuli, cum ad
4 prædicta ex vi directiua & Clerici videantur obligati, ex quo tenentur & ad leges seculares, quæ ad bonum publicum tendunt, per ea, quæ *in sua Theolog. mor. lib.* 1. *tract.* 4. *de legibus cap.* 13. *ex communi Do-*
5 *ctorum assertione, tradit Layman*. Si enim ratio, & æquitas naturalis suadet, quod causæ ad mercaturam spectantes celeriter, & breui manu expediri debeant, cum tota vis mercaturæ in vsu pecuniarum consistat; meritò secundum hanc æquitatem, & in foro Ecclesiastico est iudicandum, si Canones aliter non disponant, ad ea, quæ notat etiam *idem Layman vbi suprà in fine*.

ARGVMENTVM.

Vt Episcopus absoluere possit ab excommunicatione *Canon. Si quis suadente Diabolo*, iniuria Clerico illata leuis in dubio est iudicanda.

SVMMARIVM.

1 *Clericum percutiens excommunicationem incurrit.*
2 *Excommunicatus ob percussionem Clerico illatam absolui potest ab Episcopo, si percussio sit leuis.*
3 *Percussio facta Clerico leuis iudicari debet in dubio.*
4 *Rei in fauorem iudicari debet in dubio.*
5 *Extrauaganti Perlectis in materia Canon. Si quis suad. Diabolo, non est fidendum, & quare.*

SINGVLARE CLXV.

Cvm disputaretur, an iniuria cuidam Clerico ex percussione illata esset leuis, vel grauis, ita vt si leuis, ab excommunicatio-
1 ne *Canon. Si quis suadente Diabolo* 17. *quæst.*
2 4. quam incurrerat, qui talem iniuriam intulerat, posset absolui ab Episcopo, per ea, quæ habentur in *cap. Peruenit, de senten. Excommun.*
3 Tenui quod esset leuis, ex quo casus
4 erat valde dubitabilis, & hoc per Regulam, quod in dubio semper est iudicandum prò Reo, ad ea, quæ inter alios etiam in terminis excommunicationis tradit *Layman in sua Theol. mor. lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 4. *de conscient. num.* 38.
5 Nec obstare credidi quæ habentur in

Extrauag. Perlectis, de qua mentionem facit *Nauar. in Manual. de Censur. Eccles. cap. 27. num. 91.* & in qua dicitur, quod in dubio talis iniuria, seu percussio grauis est iudicanda, ita vt ex ipsa excommunicatio Papæ reseruata dicatur; quia talis constitutio in corpore iuris non reperitur, & quantum sit incerta, ex ijs, quæ ibidem dicit *idem Nauar.* satis deprehenditur.

Nec pariter me mouit in contrarium ratio, quæ in *eadem Extrauag.* adducitur, scilicet, ne occasio præbeatur lædendi Statum Ecclesiasticum; quia maius inconueniens esset, si dubio pœna augeretur, cum ex hoc non occasio faciendi malum, sed malum ipsum resultare posset.

Et ita etiam iudicaui, & obseruatum fuit, concurrentibus mecum in hanc sententiam viris doctis ad id adhibitis.

ARGVMENTVM.

IVramenta in diebus Dominicis, & alijs solemnibus absque necessitate, nec de consuetudine, recipi possunt.

SVMMARIVM.

1 *IVramenta absque necessitate in diebus Dominicis, & alijs solemnibus recipi, neque de consuetudine, possunt, & quare.*

2 *Sanctificatio festorum tam ex veteri, quam ex nouo testamento fuit introducta.*

3 *Ferijs in honorem Dei introductis, nec de consensu partium, contrauenire potest.*

4 *Consuetudo introduci non valet super ijs, quæ in pactum deduci non possunt.*

SINGVLARE CLXVI.

1 NOn consuetudinem, sed corruptelam dixi quendam vsum, seu abusum introductum in quadam curia Ecclesiastica, recipiendi iuramenta etiam in diebus Dominicis absque necessitate, de qua loquuntur textus *in cap. 1. & cap. fin. Conquestus, de ferijs*; Consuetudine enim abrogari non posse teneo, quod ex reuerentia erga Deum fuit sancitum, & quod, vt habe-
2 tur in *cap. Licet, tit. eod.* tam ex veteri, quam ex nouo testamento fuit introductum.

Ipsas itaque Sacras constitutiones pro-
3 ut iacent seruari feci, maximè quod textus in *dicto cap. Conquestus* talibus ferijs in honorem Dei introductis, nec de partium
4 consensu contrauenire posse statuit, & sic intrat doctrina *Baldi in l. De quibus 31. nu. 24. ff. de leg. & Senatus consult.* quod scilicet consuetudo introduci non valeat super ijs, quæ in pactum deduci non possunt, per ea, quæ notantur in *Rubr. Cod. de Decret. decur.*

Et quidem si benè consideretur plus à iuramentis respectu temporalium introductis videtur abstinendum in diebus Altissimo dicatis, quam ab alijs quibuscumque, cum ex ipsis non solum ab eius cultu distrahamur, sed quodammodo faciamus, quod ipse nobis opituletur, dum in testem nostrorum negotiorum ipsum adhibemus.

ARGVMENTVM.

TEstes tactis scripturis, vel alio signo externo iurare debent, alias examen est nullum, & inualidum.

SVMMARIVM.

1 *TEstes summariè examinari valent, si materia super qua deponere debent non controuertatur, & solum pro informatione Iudicis fieri debeat.*

2 *Iurari potest solo animo absque aliquo signo externo.*

3 *Matrimonij causa dicitur causa grauis.*

4 *Iuramentum etiam cum signo externo recipi debet, vt cum maiori deliberatione reuerentia, & timore præstetur.*

5 *Iuramentum ex circumstantijs externis, quibus præstitur aggrauatur.*

6 *Iuramentum cum signis externis, præstari debet, quando diligenter veritas indagatur, vt certè probetur.*

7 *Iuramentum testis vt dicatur benè præstitum, requiritur, quod præstetur tactis scripturis, alias examen est nullum.*

8 *Testis coram Iudice & cum signo externo iurare debet, vel saltem coram deputato à Iudice, & quarè.*

SINGVLARE CLXVII.

IN causa matrimoniali nolui admittere quasdam fidei scripturas quibus manu pro-

propria subscriptis testes testificabantur, vt in ipsis dicebant etiam eum iuramento.

1 Quamuis enim esset locus summarijs depositionibus eo quia materia non controuertebatur ab aliquo, & eorum attestationes requirebantur solum prò informatione Iudicis, vt tradit *Farin. de oppos. contrà exam. test. quæst.* 74. *num.* 106. *& seqq.* & vlterius quamuis benè iuramentum inter-

2 positum fuisset, cum solo animo etiam iurari possit absque aliquo signo externo, ad ea, quæ post multos notat *Layman Theol. mor. lib.* 4. *tract.* 3. *de iuram. & periur. cap.* 1. *num.* 3.

3 Tamen, quia causa matrimonij dicitur grauis, & ardua, vt passim notant Doctores, & præcipuè *Paris. cons.* 54. *nu.* 14. *parte* 4.

4 mihi visum fuit iuramentum in ipsa debere præstari etiam cum signo externo, vt cum maiori deliberatione, reuerentia, & timo-

5 re præstaretur, cum ex talibus circumstantijs iuramentum aggrauetur, ad ea, quæ tradit *Layman vbi suprà cap.* 4. *num.* 2. *vers. Eiusmodi*, & tanto magis, quod ex mihi à Sanctissimo D.N. Papa iniunctis tenebar in ipsa causa diligenter me informare, & sic

6 non videbam, quarè si possem, certam probationem sumere non deberem, quo casu testes ita iurare debent, vt subdit *idem Lay-*

7 *man loco citato*, & in specie de iuramento testis, quod vt dicatur benè præstitum requiratur, quod præstetur tactis scripturis, & quod ita dicat Notarius, fuit decisum à *Rota Romana coram Verallo*, vt est videre in *decis. ipsius verb. Iuramentum, decis.* 5. *alias* 123. cum aliter examen sit nullum, vt ibidem refertur alias fuisse decisum, & meritò, cum vltra ibidem allegata sit de hoc textus expressus in *cap. Hortamur Caus.* 3. *quæst.* 9. vbi non solum dicitur, quod testis tactis

8 Euangelijs iurare debeat, sed etiam, quod illum ad id coram se Iudex præsentari faciat, & si non ob aliud meo iudicio saltem quia Iudex per se, vel saltem per alium id non faciendo securus esse non poterit, quod testis spontè, & deliberatè iurauerit.

ARGVMENTVM.

Clericus beneficio *Cap. Odoardus de solut.* vti non potest, si debitum non agnoscit, & hoc etiam post sententiam, & in gradu appellationis facere valet, sed in secunda instantia tantum.

SVMMARIVM.

1 *Clericus beneficio Cap. Odoardus de solut. vti non potest, si debitum non agnoscit.*

2 *Suspectus de fuga Clericus iurari non potest cum solis requisitis ad iurandum suspectum laicum.*

3 *Beneficio Cap. Odoardus de solut. Clericus frui potest etiamsi debitum recognoscat post sententiam.*

4 *Capituli Odoardus de solut. beneficio Clericus vti potest etiamsi debitum in gradu appellationis fateatur.*

5 *Clericus post secundam sententiam recognoscens debitum beneficio Cap. Odoardus non videtur posse gaudere.*

SINGVLARE CLXVIII.

Cum certo certius sit Clericum volentem gaudere beneficio *Cap. Odoardus de so-*

1 *lut.* debere debitum confiteri, per ea, quæ expressè leguntur in textu *eiusdem cap.* nitebatur creditor cuiusdam Clerici ipsum Clericum vti suspectum de fuga tractare, cum solis requisitis ad iurandum suspe-

2 ctum in laicum, contra ea, quæ notaui supra in *singul.* 132. & hoc tanquam dicto beneficio *Cap. Odoardus* gaudere non valeret, ex quo nedum debitum in prima instantia negauerat, sed adhuc in gradu appellationis illud negabat.

Verùm eidem non deferendum duxi, nisi prius moneretur Clericus ad declarandum, an vellet habere debitum prò vero, vt beneficijs ex tali confessione resul-

3 tantibus frui posset. Quod enim talis recognitio debiti ad gaudendum de dicto beneficio fieri valeat etiam post sententiam,

4 tradit *Afflict. decis.* 379. & quod liceat id facere etiam in gradu appellationis, habe-

5 tur in *addit. ad eandem decis. in princ.* quicquid esset post secundam sententiam, quo casu non videretur posse excusari, dicendo, quod non credebat se esse debitorem, per ea, quæ habentur in eisdem *annot. ad dictam decis.*

Cum

Cum autem ipse Clericus debitum agnoscere postea noluisset, creditori circa prætensa detuli, & contra ipsum Clericum, tanquam cessarent ea, quæ in prædicto *singul.* 132. annotaui, vti contra laicum ex suspecto processum fuit.

ARGVMENTVM.

TEstes vigore monitorij in curia Ecclesiastica prò causa ciuili examinati non possunt examinari in causa criminali, si aliunde via ad id non aperitur, quam ex depositis in Curia Ecclesiastica.

SVMMARIVM.

1 *Monitoria sub pœna excommunicationis possunt concedi etiam prò causis criminalibus; sed contra num. seq.*

2 *Monitoria prò causis criminalibus concedi non debent, & de generali consuetudine non conceduntur.*

3 *Monitoria si continent, quod sub pœna excommunicationis latæ sententiæ non liceat vti depositionibus eorum vigore factis in alia causa, quam in ciuili, & quod nullatenus ex ipsis in causa criminali procedatur; dicta pœna incurritur, etiamsi testes denuo examinentur, si aliunde ad ipsos examinandos via non aperitur.*

SINGVLARE CLXIX.

1 QVamuis spectata rei natura non sit illicitum concedere monitoria sub pœna excommunicationis etiam in causa criminali, vt existimat *Theoph. Raynaud. de monit. Eccles. parte* 1. *cap.* 1. *quæst.* 6. quem refert *Barbosa de pot. Episc. parte* 3.
2 *alleg.* 96. *num.* 32. tamen in contrarium de iure & de consuetudine teneri, & generaliter practicari idem *Barbos. eodem loco*, tra-
3 dit, vnde cum ad instar styli curiæ Archiepiscopalis Neap. de quo meminit *Barb. vbi suprà*, in quodam Tribunali Ecclesiastico, cui præeram, esset solitum apponi in calce monitoriorum prædictorum, quod sub pœna excommunicationis latæ sententiæ non liceret quoquomodo reuelationibus ex prædictis monitorijs resultantibus vti, & earum vigore procedere in alia causa, quam ciuili; Contigit dubitari, an Iudices laici, qui testes reuelantes repetebant, & postea ex ipsis reuelationibus criminaliter procedebant, talem pœnam incurrerent: Et tenui quod sic saltem respectu eorum, qui præceptis pœnalibus compellebantur in causis criminalibus prædictis deponere, quia dato quod aliunde, quam ex depositionibus factis in vim monitoriorum prædictorum, Iudices prædicti notitiam non haberent, quod tales testes de prætensis per fiscum essent informati, non poterat negari, quod ex monitorijs prædictis non procederent, & sic sequebatur, quod ipsi testes ligati prius in curia Ecclesiastica sub prætextu causæ ciuilis cum depositionibus in vim monitorij factis, non audebant renuere, & recusare in criminali causa deponere, maximè quando pœnæ, vt suprà comminabantur.

Satis tamen iudicatum fuit, quod monerentur ijdem Iudices, quod in præmissis cauerent, & suis conscientijs consulerent.

ARGVMENTVM.

DIuortium obtineri potest etiam ex odio capitali, quod ex signis, factis, & discordijs assiduis colligitur introductum inter virum & vxorem.

SVMMARIVM.

1 *Diuortij causa est etiam odium capitale mariti.*

2 *Odium capitale ex signis, factis, & ex discordijs assiduis colligitur.*

3 *Diuortium obtinere potest vxor ex odio capitali, etiamsi illud sua culpa in se concitauerit.*

4 *Inimicitia capitalis deducitur ex causa ciuili ardua, & prout certè est illa, in qua de statu omnium bonorum controuertitur.*

5 *Adulterij causa etiam dotium amissionem importat.*

6 *Diuortium ex alia causa, quam ex adulterio, solùm ad tempus concedi debet.*

SIN-

SINGVLARE CLXX.

MVlieri agenti ad diuortium ex odio capitali, quo Maritum seipsam prose-
1 qui asserebat, detuli quia odium capitale mariti expressè prò sufficienti causa diuortij assignatur in *cap. Transmissa, seù ex transmissa, de restit. spoliat.* Et quia tale odium ipsa mulier probabat ex eo, quod Maritus inter alia contra se ipsam adulterium in iudicio deduxerat, & per longum tempus inter ipsos etiam de nullitate Matrimonij
2 altercatum fuerat. Quod enim ex signis, factis, et discordijs assiduis colligatur odium capitale, tradit *Pont. de Matrim. lib. 9. de dissolut. matrim. quoad vincul. cap. 23. num. 5. in fine, ex Rota decis. 156. num. 1. lib. 2.*
3 *decis. crim. Farinaccij*, subdens quod tale odium ad diuortium sufficit, etiamsi vxor sua culpa illud in se concitasset, præcipuè ex *Sanchez lib. 10. disputat. 18. num. 5.*

Quod autem odium capitale in Marito colligi posset etiam ex eo solo, quod adulterium contra Vxorem in iudicio deduxe-
4 rat, videbatur indubitatum, quia si inimicitia capitalis deducitur ex causa ciuili ardua, & pròut certè est illa, in qua de statu omnium bonorum controuertitur, ad ea, quæ tradit *Menoch. de arbitr. cas. 110. num. 4. 5. & 6.* multò magis erit deducenda ex causa criminali graui, pròut est causa adulterij, in qua continetur & causa ciuilis ma-
5 gna, cum & dotium amissionem importet *l. Cum mulier ff. solut Matrim. cap. Plerumque de donat. inter vir. & Vxorem.*

6 Prò diuortio itaque pronunciaui, sed non in perpetuum, cum diuortium petitum fuisset ex odio, & non ex adulterio, cuius respectu solum in perpetuum conceditur, vt dixi *suprà Singulari 151. in fine*, & habetur etiam ex dicto *cap. Ex transmissa*, dum dicitur; quod si capitali odio mulierem vir persequitur, ipsa vsque ad causæ decisionem alicui probæ, & honestæ mulieri custodienda tradatur.

ARGVMENTVM.

CLericus respectu contractus initi dum erat laicus est iudicandus in foro Ecclesiastico quoad decisoria secundum iura laica, & hoc videtur verum etiam quoad appellationem, quæ & ipsa decisoria iudicij respicere videtur.

SVMMARIVM.

1 *CLericus respectu contractus initi dum erat laicus est indicandus in foro Ecclesiastico secundum iura laica; sed in decisorijs tantum, non autem in ordinatorijs.*
2 *Ordinatoria iudicij respicit appellatio, & maximè si prohibeatur ad effectum suspensiuum tantum, & quarè; sed videtur contra.*
3 *Facta verbis præualent.*
4 *Decisoria respicere videtur statutum mandans laudum habere executionem paratam.*

SINGVLARE CLXXI.

LAicus effectus Clericus cum conuentus, & condemnatus fuisset in foro Ecclesiastico vigore contractus initi dum erat laicus, appellauerat, & instabat appellationem admitti tā ad effectum deuolutiuum, quam ad effectum suspensiuum, non obstante quod in foro laico talis contractus
1 haberet executionem paratam, quia quamuis Clericus tali casu in foro Ecclesiastico sit iudicandus secundum iura laica, ad ea, quæ post multos notat *Bellet. disquis. Cleric. parte 1. de exempt. Cleric. à statut. secu-*
2 *lar.* §. 4. *num.* 28. tamen id non procedere prætendebat quoad ordinatoria iudicij, vt est appellatio, ad ea, quæ latè tradit *Scacc. de appellat. lib. 3. cap. 2. quæst. 18. num. 3. 4. & 5.* vbi etiam de magis communi opinione dicit, quod respicit ordinatoria iudicij articulus, an sit deferendum appellationi, & tantò magis, quantò non tractabatur simpliciter, an appellatio esset admittenda, sed solum, an interim executio esset retardanda, quo casu videbatur indubitatum, quod ordinatoria respiceret, quia prohibitio appellationis ad effectum suspensiuum tantum respicit ordinatoria, vt pariter notat *Scacc. vbi suprà num. 8. ex Barzio decis. Bonon. 41. Egerat, num. 16.* qui rationem reddendo dicit esse ex eo, quia remanet ius saluum in meritis.

Verùm cum mihi ex dicta ratione persuasum non esset, quod talis articulus ordinatoria respiceret, cum ex ipsa etiam sen-

sententiæ in prima, & secunda instantia possent dici respicientes ordinatoria iudicij, ex quo sunt salua merita in tertia; & vlterius cum ad sensum patere videatur, quod plus merita tangat sententiæ execu-
3 tio, quam ipsa sententia, ex quo facta præualent verbis, *Menoch. de præsumpt. præsumpt. 1. num. 83. lib. 3.* inclinabam potius
4 in contrariam parte cum *Rolan. à Valle, qui cons. 57. vol. 2. num. 21.* dicit, quod statutum mandans laudum habere executionem paratam videtur decisionem respicere; sed ex alio euidenti capite mihi contigit appellationi ad effectum suspensiuum non deferre, & executionem concedere.

ARGVMENTVM.

Sponsalia perficere recusans non est ad id cogendus, si ex coactione effectus non speratur, vel causa iusta deducitur, ex qua ad contrahendum ipse recusans non cogendus videtur.

SVMMARIVM.

1 *Sponsalibus contractis, recusans illa matrimonio perficere etiam censuris ad id est cogendus, sed vide num. seqq.*
2 *Sponsalia perficere recusans non est excommunicandus, si prudenter iudicari potest, quod frustra excommunicaretur.*
3 *Sponsalia matrimonio complere non est cogendus ille, qui iustam causam habet illa non adimplendi.*
4 *Sponsalia matrimonio complere non est cogendus ille, qui à contrahendo abhorret, & per plures instantias in contrarium litem sustinuit.*
5 *Sponsalia coacta infelices exitus sortiri solent.*

SINGVLARE CLXXII.

Censuris etiam cogendus videbatur quidam, qui sponsalibus contractis, matrimonium celebrare recusabat, per ea, quæ notaui *suprà in singul. 115.*

Verùm à coactione abstinendum duxi, quia causam talem recusationis adducebat, quod prudenter iudicari poterat, quod frustra excommunicaretur, & sic excommunicandus non erat, ad ea, quæ deducit *Pont. de Matrim. lib. 12. de Sponsal. cap. 6. num. 2. in fin.* Dicebat enim, quod esto, quod de ipsis sponsalibus constasset, & de quo videbatur etiam posse dubitari, tamen non tenebatur illa adimplere, quia in ætate tenera inconsideratè ad id deuenerat, & apparebat ex quo maxima disparitas inter
3 ipsos quoad omnia extabat, & sic causa iusta videbatur, ex qua ad executionem eorundem sponsalium compelli non deberet, ad tradita per *Seraph. decis. 1258. cum con-*
4 *cordantibus in margine*, & præcipuè quia dissentiēs ita abhorrebat à contrahēdo, quod per plures instantias litem sustentauerat, quod non teneretur, & nolle contrahere ita affirmabat, quod ad coactionem non esse procedendum erat arbitrandum, per ea, quæ latius ad propositum tradit *Seraph. decis. 1112. per totum*, vbi ex *Gabr. cons.*
5 *186. num. 9. lib. 2.* redditur ratio, quia scilicet solent coacta sponsalia infelices sortiri exitus.

Ipsum itaque solum monendum tenui, quod circa præmissa conscientiæ suæ benè consuleret, & sic monitus fuit.

ARGVMENTVM.

Regularis si Clericus secularis efficiatur saltem ipso iure bona renunciata non recuperat sed ad id sententia seu declaratione opus habet.

SVMMARIVM.

1 *Regularis si efficiatur Clericus secularis, dubium est, an bona renunciata recuperare valeat.*
2 *Religiosus factus Episcopus bona iam in ingressu Religionis renunciata recuperare potest; sed contra.*
3 *Lazarus resuscitatus, non obstante etiam testamento, quod forsan fecerat, sua bona recuperauit.*
4 *Renunciationis causa cessante, & effectus renunciationis cessare debet.*
5 *Commodum ex propria culpa quis reportare non debet.*

SIN-

SINGVLARE CLXXIII.

Regulari Clerico seculari, Superioribus permittentibus, effecto, ipso iure ad bona iam renunciata in ingressu Religionis rediisse prætendenti, & propterea in præiudicium eorum, quibus ius circa ipsa bona quæsitum esse prætendebatur, in ipsis se immiscenti, dixi non licere, nisi prius seruatis seruandis hoc declarare fecisset.

1 Valdè namque dubium est, an prædictus regressus detur, vt in fortioribus terminis, Religiosi scilicet effecti Episcopi,
2 discutit *Molfes.* Quamuis enim ipse concludat, quod sic, vt videre est in suo *conf.* 1. *per totum*; contrarium tamen, dicta ipsius *Molfes.* confutando, decisum fuisse refert *Rout. decis. sua* 10.

Vlterius quamuis id videatur indubitatum, per ea, quæ notat *Glos.* communiter approbata in *l. Ex his, in princ. de legibus*,
3 & tradit *Clar. in* §. *Testamentum, quæst.* 86. de Lazaro resuscitato, qui vt dicit *ipse Clar.* non obstante etiam testamento, quod forsan fecerat, de iure suam hæreditatem recuperauit, quasi quod ita dicendum sit de Regulari effecto seculari, qui videtur iam mundo mortuus seculo reuiuiscere, & proindè, quod sicut est censendum, quod mortuus nolit suis bonis se spoliare nisi in casu mortis, sic videatur dicendum de Religioso, quod ita velit solum in casu Religionis, cum ex tali causa id fiat, & proinde ipsa
4 cessante, & effectus cessare debeat, vt in puncto renunciationis inter alios tradit *Tiraquel. tract. Cessante caus. cessat effect. parte* 1. *num.* 232.

Tamen quia poterat dubitari, an & ip-
5 se Regularis dedisset culpabilem causam egressus à Religione, ne commodum ex propria culpa reportaret, contra ea, quæ præcipuè habentur in *cap. Intelleximus, de Iud.* tantò magis, vt supra decreui, cauto tamen, quod in omnem casum sibi dedita salua forent, itaut frustatoriè de suis iuribus postea non experiretur.

ARGVMENTVM.

Beneficiorum fructus non recollecti, seù pensiones, & responsiones maturatæ, & non exactæ per Beneficiatum, vel ad successorem in beneficio spectant, vt in commodum Ecclesiæ expendantur, vel ad R. C. Apostolicam mediante spolio pertinent.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiorum fructus non recollecti, & pensiones maturatæ in vita Antecessoris, sed ab ipso non exactæ, ad Successorem in beneficio spectant, qui de illis, vt numeris seqq. disponere debet.*
2 *Fructus etiam beneficij simplicis non recollecti, vel pensiones maturatæ, & non exactæ ad Successorem in beneficio spectant.*
3 *Beneficiorum fructus non recollecti, seù pensiones maturatæ, & non exactæ debentur Successori in beneficio, vt illas in vtilitatem Ecclesiæ expendat.*
4 *Successor in beneficio de fructibus non recollectis, seù non exactis ab Antecessore, potest vti pro suis alimentis, & de residuo in beneficium Ecclesiæ disponere debet.*
5 *Fructus beneficiorum pendentes, vel non exacti, si Ecclesia, vel altaria ipsorum beneficiorum illis non indigent, ad R. C. Apostolicam mediante spolio spectant.*

SINGVLARE CLXXIV.

1 Instabat Successor in beneficio mandari sibi solui nonnullos fructus maturatos quidem in vita Antecessoris, sed non solutos, & adducebat inter alia deducta per *Riccium in suis Collect. decis. parte* 4. *Collect.* 1327. vbi firmat, quod nedum bonorum fructus non recollecti, sed etiam pensiones, & fructus maturati in vita Antecessoris, & eidem non soluti, ad Successorem spectent, & vt est *Const. Iulij III.* de qua ad propositum meminit *Caualcan. decis.* 44. *parte* 1. *num.* 4.
2 Nec videbatur obstare, quod secundum deducta per *eundem Riccium*, prædicta veniant limitanda in beneficio simplici, prout erat illud, de quo tractabatur, quia à fortiori & de fructibus beneficij simplicis ita videtur dicendum, ex quo Beneficiatus simplex minus laborat in acquirendis ipsis fructibus, quam Beneficiatus curatus, &

proindè quod iste facilius, quam ille ad
3 hæredes illos transmittere valeret, & tantò magis, quod quando tales fructus Successori in Beneficio debentur, debeantur, vt Successor ipse in vtilitatem Ecclesiæ illos conuertere debeat, vt subdit *Ric. vbi suprà*, & latè tradit *Brixian. in Repert. ad decis. Caualc. sub verbo fructus num.* 7. vbi de-
4 clarando quomodo erogari debeant, dicit, quod etiam in caritatiuum subsidium expendi possunt, & sic Successor solum prò suis alimentis illis vti valeret, vt innuit *Ric. citato loco* subdens, quod residuum in beneficium Ecclesiæ cedere debet, cum ad ipsam spectet nullo dato Successore, vt dicit etiam *Thesaur. decis.* 143. Et quamuis posset dici, quod forsan aliqui voluerunt, quod fructus non exacti Beneficij simplicis transeant ad hæredes, quando Beneficia talia Ecclesiam non habent, in cuius bene-
5 ficium expendi valeant; tamen esto, quod essent etiam absque altare, vtique succederet Ecclesia vniuersalis mediante spolio, quod hodie ad Cameram Apòst. pertinet, vt concludit *Riccius, vbi suprà*, ex *Ios. Ludouis. decis. Perus.* 33.

Hoc itaque præcipuè inspecto, Beneficiato prædicto, qui nec alimentis indigebat, ipsosque fructus sibi appropriare volebat, cum nec Ecclesia, nec Altare de ipsò beneficio extaret, non detuli, & super ipsis dixi in omnem casum spolij Commissarium in primis, & ante omnia esse citandum.

ARGVMENTVM.

ORdinarij errores nominum, & cognominum in dispensationibus Apostolicis corrigere non possunt.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio Apostolica non vitiatur, si erratum fuit in nomine illius, ad cuius fauorem fuit obtenta, dummodo de corpore constet; sed contrà numeris sequentibus.*

2 *Error nominis illius, ad cuius fauorem dispensatio Apostolica fuit obtenta, ab Ordinario corrigi non potest.*

3 *Nominum, & cognominum contentorum in dispensationibus Apostolicis errores Ordinarius corrigere non potest, & quare num. seq.*

4 *Cancellariæ Vicecancellarius, & Regens possunt corrigere nomina, & cognomina contenta in dispensationibus Apostolicis, non tamen eorum, quibus concessiones fiunt.*

5 *Illatio non fit ex diuersis, & præcipuè ad dispensationes Apostolicas; & quarè.*

SINGVLARE CLXXV.

1 QVamuis *Sanchez de Matrim. lib. 8. de dispensat. disput. 21. num.* 37. relatis etiam motiuis contrarijs, dicat, quod absque dubio non vitiatur dispensatio, quando fuit erratum in nomine illius, ad cuius fauorem fuit obtenta, si de corpo-
2 re constat; tamen ego in facti contingentia vti Ordinarius talem errorem corrigere ausus non fui, propter ea, quæ præcipuè de stylo satis apertè contra etiam *eundem Sanchez* scripsit *Pyrrus Corrad. in sua praxi dispens. Apost. lib. 7. cap. 5. à nu. 2. ad nu.* 18.
3 Immò tenui, quod Ordinarius absolutè non possit se ingerere in correctione nominum, & cognominum dispensationum
4 Apostolicarum, ex quo, dum Pontifices statim ac sunt creati, vt refert ibidem *ipse Pyr. sub num.* 14. condendo Regulas Cancellariæ, dant facultatem Vicecancellario, & Cancellariæ Regenti corrigendi nomina, & cognomina personarum, exceptis tamen earum, quibus concessiones fiunt; vtique est supponendum, quod de iure credant id fieri non posse, cum alias frustratoriè viderentur disponere.

Et quidem ita esse suadetur etiam ex consideratione eorum, quæ deducit *ipse Sanchez* ad ostendendum, quod liceat id
5 facere. Cum enim arguatur à diuersis, quod non licet *l. Papinianus ff. de minor.* & præcipuè à legatis ad dispensationes meo iudicio non benè concluditur, cum error in legatis non possit corrigi à testatore, prout corrigi potest à Papa in dispensationibus, & nos non possumus esse securi, quod Pontifex in mente non habeat ob aliquam causam nolle concedere dispensationem illi personæ in nomine cuius erratur, & sic non possumus dicere, quod sicut illam concessit sub nomine per errorem expresso, illam pariter concessisset sub nomine per errorem omisso.

AR-

ARGVMENTVM.

ÆTas libro Baptismi probatur, & quomodo id procedat.

SVMMARIVM.

1 *ÆTas libro Baptismi probatur etiamsi in eo notatus fuerit dies Baptismi, & non dies natiuitatis; sed declara vt num. sequentibus.*

2 *Intentionis fundamentum plenè probari debet.*

3 *Baptismi liber plenè ætatem non probat.*

4 *Liber Baptismi quando probat ætatem, si in eo dies Baptismi, & non dies natiuitatis notatus fuit.*

5 *Ætas probatur per librum Baptismi etiamsi solùm dies Baptismi notatus fuit, quando tractatur de tempore, in quo infantes baptizari solent.*

6 *Liber Baptismi tanquam liber publicus probat.*

7 *Solitum præsumitur.*

SINGVLARE CLXXVI.

1 ÆTatem probari per librum Baptismi passim tradunt *Doctores*, & *Mascard.* quos plures cumulat in *Concl.* 672. *de probat.* Ampliando Conclusionem sub *num.* 3. dicit, quod id procedit etiamsi Plebanus, seù Parochus diem natiuitatis illius, de cuius ætate quæritur, non annotauerit, sed tantum diem, quo baptizatus fuit.

2 Verùm non parum dubitaui de hoc in casu nullitatis professionis, in quo minor ætas prò fundamento intentionis deducebatur, & sic plenè probanda erat, ad tradita inter alios per *Grat. discept. forens. cap.*
3 135. *num.* 40. & 41. Quod enim per talem librum ætas plenè non probetur, colligitur ex *decis. Caputaquen.* 314. *seù* 4. *sub verbo ætas*, dum in ea dicitur, quod talis probatio ex testificatione Patris cum iuramento totaliter perficitur.

4 Habui tamen illam prò probata, quamuis in libro expressa solum fuisset dies Baptismi, & non dies natiuitatis, quia etsi Baptizatus natus fuisset per mensem ante, tamen adhuc iuxta suam intentionem tem-
5 pore professionis minor fuisset; vrgebat enim consuetudo in loco, in quo causa tractabatur, quod infantes intra duos, vel tres dies post natiuitatem baptizabantur, & sic ætas necessariò concludebatur, ad ea, quæ
6 notat *Mascard. dicta concl.* 672. *nu.* 4. Probato enim die Baptismi per librum Curati, qui vti liber personæ publicæ, & à *Sacrosancto Conc. Trid. sess.* 24. *de Reform. cap.* 1. Ad id destinatæ absque dubio probat, ad ea, quæ subdit *Mascard. vbi sup. num.* 18. Lex probabat diem natiuitatis ex
7 solito, prò quo est præsumendum *l. Nam ad ea ff. de legib. cum simil.*

ARGVMENTVM.

DOmus posita in confinijs duarum Parochiarum est illius Parochiæ, in qua aditum magis vsitatum habet, & si non sit aditus principalior.

SVMMARIVM.

1 *Domus posita in confinijs duarum Parochiarum est illius Parochiæ, in qua aditum habet.*

2 *Parochia vt possit habere prò sua domum positam in confinio cum alia Parochia debet habere ex sua parte ostium domus magis vsitatum; sed contrarium videtur, si alter aditus sit nobilior declaratur tamen, vt numeris seqq. & quare.*

3 *Aditus nobilior, ad dignoscendum cuius Parochiæ domus sit, attenditur quando frequentatur ac minus nobilis.*

4 *Stola in Parocho est signum iurisdictionis.*

5 *Rei suæ vnusquisque est moderator, & arbiter.*

SINGVLARE CLXXVII.

1 DOmum positam in confinijs duarum Parochiarum spectare ad illam, in qua domus aditum habebat, non dubitabam, per ea, quæ dicunt *Doctores* sequendo doctrinam *Bart. in l. Prædijs §. penult. & vlt. ff. de leg.* 3. Sed in quadam facti specie hæsitabam, quia domus, taliter sita, habebat quidem ostium vsitatum in vna Parochia, sed aliud in parte anteriori domus, & sic magis principale habebat in alia.

2 Quamuis enim etiam in tali casu ostium

magis vsitatum attendi debeat, ad ea, quæ tradit *Riccius in praxi, parte 1. decis. 733. verbo Parochorum, qua in Praxi rerum quotidianarum, tom. 1. est resolutio* 520. Tamen contrarium ibidem dici videtur, si alter aditus sit nobilior, cum vbi est pars nobilior, ibi censeatur esse totum, *l. Cum in diuersis ff. de Relig. & sumpt. fun.*

3 Tenui tamen prò ostio magis vsitato, & dixi domum esse illius Parochiæ, in qua tale ostium erat, non habito respectu ad ostium nobilius, quia quæ in contrarium notantur in *dicta decis. Riccij*, procedunt, vt dicitur ibi, quando vicissim ingreditur, quandoque scilicet per vnum, quandoque per aliud, & sic nobilius præualere debet cæteris paribus, quod non verificabatur in casu, de quo tractabatur, cum regulariter aditus pateret in parte ignobiliori, per quem Parochus alterius Parochiæ non poterat accedere quando opus fuisset cum stola

4 la (quæ est signum iurisdictionis, ad notata per *Grat. discept. for. cap. 298. num. 59.*) absque eo, quod turbaret iurisdictionem alterius Parochi, quæ meo iudicio est ratio particularis, quę in hoc casu assignari valet.

Nec poterat replicari, quod tali casu stolam vsque intus domum complicatam asportare poterat, quia non ita exequi valebat, quando Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos portare contigisset, & in alijs casibus, in quibus cum stola Parochus debet incedere.

5 Minus quod tunc potuisset instari, quod ianua magis principalis aperiretur, quia rei suæ vnusquisque est moderator, & arbiter, *l. In re mandata, Codice Mand.* Et sic per necesse inconueniens non tollebatur, si dominus illam aperire recusasset.

ARGVMENTVM.

ORdinarius est Iudex competens in causis funeralium inter Parochos, & Regulares, & isti ipsum declinare non possunt.

SVMMARIVM.

1 *Funeralium causa curam animarum respiciunt, & quare num. etiam 3.*

2 *Accessorium sequitur naturam principalis.*

3 *Parochus benedictionem, & vltimum vale corporibus defunctorum impertiri debet.*

4 *Funus dirigere, & regere debet Parochus etiam vsque ad Ecclesiam Regularium, si ad illam funus tendat.*

5 *Altari qui seruit, de Altare viuere debet.*

SINGVLARE CLXXVIII.

1 QVibusdam Regularibus in causa funeris, quam cum Parocho habebant, iurisdictionem Ordinariam declinantibus non detuli, talique declinatoria non obstante me iudicem competentem pronunciaui, ad vlterioraque processi, quia talem causam curam animarum respicere tenui, & sic de illa iudicandum esse ad formam *Constit. Greg. XV. qua incipit Inscrutabili. Non. Feb.* 1622.

Quamuis enim tractaretur de emolumentis ex funere prouenientibus, tamen cum Parochus nonnisi respectu curæ animarum illa posset prætendere vti accessorium eiusdem curæ ad eundem Iudicem

2 spectare non videbatur dubitandum, per regulam, quod accessorium sequitur naturam principalis, *cap. Accessorium de reg. iur. in 6. per l. Cum principalis ff. eod. tit. cum simil.*

Quod autem funeralia curam anima-

3 rum respiciant, satis superque suadetur ex eo, quod nedum benedictionem, & vltimum vale Parochus Cadaueribus debet impertiri, vt dicit *Barbos. ex mente S. Congreg. de off. & pot. Paroch. cap. 26. num. 7.*

4 Sed funus ipsum, quamuis ad Ecclesiam Regularium tendat, vsque ad eandem Ecclesiam dirigere, & regere totaliter habet, vt subdit *idem Barbos. de mente eiusdem S. Congreg. sub num. 74. & 75.*

Tantòque magis id feci, quantò casus erat in loco, in quo Parochi parum, aut nihil habent prò se ipsis sustentandis vltra obuentiones funerales, & similes, & sic cum de ipsorum nedum congrua, sed necessaria sustentatione tractaretur, vtique

5 tractabatur, & de cura animarum, quæ sine illa subsistere non valet, maximè cum qui Altari seruit de Altare viuere debeat. *cap. cum secundum de praben. & dign.*

AR-

ARGVMENTVM.

Renunciatio generalis apta comprehendere omnia bona, & facta intuitu ingressus in Religionem in dubio generaliter de omnibus bonis, & sic largè est interpretanda.

SVMMARIVM.

1 *Renunciatio facta intuitu ingressus in Religionem in dubio largè est interpretanda, & quarè num. seq.*

2 *Renunciatio tanquam odiosa strictissimè est interpretanda, sed contra in renunciatione facta intuitu ingressus in Religionem, & quarè.*

3 *Actum præsumitur id, quod causa suadet.*

4 *Renuncians, non quidem quoad se ipsum, sed quoad Monasterium, in quod ingreditur, bonorum temporalium præsumitur sollicitus, tum ex pietate, tum vt commodius viuat; sed aliquando contra, & quarè.*

SINGVLARE CLXXIX.

1 Cvm valdè dubitaretur, an quædam bona essent comprehensa in renunciatione facta per Monialem intuitu ingressus in Religionem, tenui, & iudicaui, quod sic, per ea, quæ præcipuè habentur in *decis. 714. parte 2. Recent.*

2 Quamuis enim regulariter in renunciationibus strictissima interpretatio, vti in materia odiosa, sit facienda, vt signanter dixit *Rota in decis. 543. nu. 10. parte 6. Rubei*; tamen quia in renunciatione facta intuitu ingressus in Religionē cessat id, quod renunciationem odiosam facit, priuatio scilicet bonorum, cum Religiosus etiam absque renunciatione illis carere debeat: talis casus non odiosus mihi visus fuit, & proinde non strictè, sed largè interpretandus. Vt enim considerat *Rota in dicta decis. 714. sub num. 9.* ex verisimili mente renunciantis volentis omnia bona à se abdicare, & perpetuam paupertatem profiteri, latior interpretatio est facienda.

Et quidem quando verba renunciationis sunt generalia, & apta comprehendere omnia bona, & prout erant illa, de quibus tractabatur, & vlterius quando saltem dubitatur, an renuncians habuerit, vel non habuerit notitiam, seu cogitauerit, vel non cogitauerit de bonis, quibus renunciatum fuisse prætēditur, & prout re vera in casu præmisso grauiter dubitabatur, nesciui videre quomodo possint habere locum ea, quæ aliqui Doctores in contrarium deducunt, cum causa renunciandi, contemptus scilicet seculi, & opum eius regat æqualiter renunciationem omnium, & quorumcumque bonorum, & præsumptio sit, quod actum fuerit id, quod causa

3 suadet, vt tradit *Menoch. de Præsumpt. lib. 1. quæst. 17. in principio.*

4 Nec mihi visum fuit obstare id, quod considerauit *Rota in Bononien. Hæreditatis de Armis Lunæ 12. Decembr. 1622. coram Merlino, quæ post tract. alterius Merlin. de legit. est decis. 48. & in tali causa 2. num. 15. & 16.* quod scilicet Renuncians non quidem quoad se ipsum, sed quoad Monasterium, in quod ingreditur, bonorum temporalium præsumatur sollicitus, vt ipsum Monasterium ditet, tum ex pietate, tum vt sibi abundantius inde necessaria suppetant; quia in casu, de quo tractabatur, saltem tempore renunciationis, maior pietas considerari poterat respectu illorum, quibus renunciatum fuerat, & ex ditatione Monasterij Renuncians maiorem commoditatem reportare non poterat, & si potuisset, tali maiori commoditate opus non habebat.

ARGVMENTVM.

Benedictio nuptialis in templo, & intra missam est recipienda, nec domi in oratorio impertiri debet.

SVMMARIVM.

1 *Benedictio nuptialis in templo est suscipienda.*

2 *Benedictio nuptialis inter missarum solemnia est recipienda.*

3 *Episcopus contra Concil. ad summum potest solum dispensare in casu magnæ necessitatis, vel vtilitatis.*

SIN-

SINGVLARE CLXXX.

1 Licentiam recipiendi benedictionem nuptialem domi denegaui quibusdam Magnatibus propter verba expressa *Conc. Trident. sess. 24. de Reform. matrim. cap. 1.* ibi *Vt coniuges ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent*.

2 Quamuis enim ipsi possent ex indulto Pontificio missam domi celebrare facere, & sic valerent illam inter missam recipere, & pròut recipiendam esse tradit *Barbos. in Collect. ad Conc. Trid. dicto cap. 1. nu. 151. ex Aldan. in comp. decis. Canon. lib. 1. tit. 8. num 31.* qui ita asserit decisum in *Pisauren. 13. Iulij 1630.* Tamen non occurrebatur per hoc verbis *Concilij*, quod loquitur de
3 Templo, & carentiæ facultatis in Episcopo, qui contra Conc. ad summum potest dispensare solum in casu magnæ necessitatis, vel vtilitatis, quando Concil. vel permittit dispensare, vel loquitur impersonaliter, vel vetando; vel permittendo, vel imponendo aliquam pœnam iuxta ea, quæ deducit *Barbosa vbi suprà sess. 1. nu. 3. & 4.*

Cum enim in casu, de quo tractabatur nulla causa necessitatis, vel vtilitatis subesset, nec de aliquibus exemplis curandum duxi, cum posset dici, vel quod in illis causa interfuisset, vel quod erratum extitisset, & maximè, quod in sacris ritibus matrimonij non relaxandis plurimum sit insistendum, cum hoc Sacramentum quodammodo ex alijs non parum de Mundo sapiat.

ARGVMENTVM.

Vicarius Generalis præcedere debet omnes dignitates & Canonicos sacris vestibus non indutos in distributione candelarum, & palmarum, dempto tamen primo de Choro, qui dare debet candelam, seu palmam Episcopo, vel Sacerdoti celebranti.

SVMMARIVM.

1 *Vicarius Generalis præcedere debet Dignitates, & Canonicos, tam præsente, quam absente Episcopo, & tam in congregationibus, & sessionibus, quam in processionibus; & quarè num. seq. & de omni iure, ac non obstante consuetudine num. 4.*

2 *Vicarius Generalis habet iurisdictionem Ordinariam in tota diœcesi, etiam supra Capitulum, & in singulos de Capitulo, associaturque Episcopo in iurisdictione, & facit idem concistorium cum ipso.*

3 *Vicarius Generalis in Synodo diœcesana præsente etiam Episcopo, secundum veriorem opinionem, præcedere debet Capitulum.*

4 *Vicarium Generalem interrumpere Capitulum non est inconueniens.*

5 *Priuilegia, quæ tertio præiudicant, sunt strictè intelligenda, & vt minus quam fieri possit præiudicent.*

6 *Priuilegia non operantur plus, quam verba sonent.*

7 *Vicarium Generalem præcedere debere Dignitates, & Canonicos sacris vestibus non indutos in distributione candelarum, & palmarum, post illum, qui dat illas Celebranti, vel Episcopo; est decisum.*

SINGVLARE CLXXXI.

Requisitus de voto, an Vicarius Generalis præcedere deberet Dignitates, & Canonicos in distributione candelarum, & palmarum post primum Sacerdotem de Choro, qui iuxta formam Ceremonialis debet dare Episcopo, vel celebranti candelam, seu palmam, & primus ab illo illam accipere.

1 Dixi prò veritate, quod sic, quia generaliter Vicarius præcedere debet Dignitates, & Canonicos tam præsente, quam absente Episcopo, & tam in Congregationibus, & sessionibus, quam in processionibus, ad latè deducta per *Riccium in Praxi rerum quotidianarum parte 1. verbo Præcedentiarum resol. 567. nu. 2.* vbi tenet, quod
2 hæc sit magis communis sententia, & meritò cum, vt subdit *num. sequenti*, inconueniens esset, quod Vicarius, qui habet iurisdictionem Ordinariam in tota Diœcesi etiam supra Capitulum, & in singulos de Capitulo, associeturque Episcopo in iurisdictione, & faciat idem concistorium cum ipso, postponeretur suis subditis.

3 Quamuis enim *idem Riccius* excitet postea

stea motiua in contrarium quoad praecedentiam in Synodo dioecesana praesente Episcopo, tamen concludit, quod verior videtur opinio, quod Vicarius in ea praecedere debeat, & quod ita decisum fuisse audiuit à *S. Congreg. Rituum, & à fel. record. Clem. VIII. in vna Nolana*.

4 Nec mihi videbatur obstare, quod Capitulum sit vnum corpus, & quod esset inconueniens illud diuidere, faciendo quod posteaquam incaeperat in primo recipere candelas, seù palmas, postea interrumperetur respectu aliorum à Vicario; quia hoc non est inconueniens, si consideretur, prout considerat & *ipse Riccius*, vbi supra, quod Collegium Cardinalium interrumpitur aliquando à Regibus, & Principibus, qui inter ipsos sedent, & vlterius maius inconueniens esset, quod priuilegia in praeiudicium tertij extenderentur. Dato enim prò regula, quod praecedentia competat Vicario, & prout re vera competit non obstante quacunque consuetudine vti irrationabili & contra ius diuinū, naturale, canonicum & ciuile, vt tradit idem *Ricc. vbi suprà parte 4. in Praxi Praecedentiae &c. resol.* 390. si permittitur, quod in casibus propositis primus Sacerdos de Choro eidem anteponatur, id non est trahendum ad alios, cum
5 priuilegia, quae tertio praeiudicant, sint strictè intelligenda, & vt minus quam fieri
6 possit praeiudicent, vt dixit *Rota coram Seraph. decis.* 827. *num.* 1. & generaliter non operentur plusquam verba sonent, vt pariter dixit *Rota coram eodem decis.* 605. *nu.* 5.

7 Voto autem his alijsque rationibus dato, inueni in terminis terminantibus ita decisum fuisse à *S. Congreg. Rituum, vt refert Barbos. de off. & pot. Parochi parte* 1. *cap.* 12. *num.* 5. 6. & 7. quicquid sit de Canonicis sacris vestibus indutis, qui ex relatis per *eundem Barbos. vbi supra*, videntur praeferendi, & meritò, cum tunc non simpliciter vti Canonici, sed vti ministerio Altaris accincti considerentur, & proinde etiam ante Vicarium soleant incensari.

ARGVMENTVM.

IN causis matrimonialibus non omnes mulieres, sed solum Mater, Soror, & aliae coniunctae, vel bonis qualitatibus praeditae admittuntur ad testificandum.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonialis causa criminali aequiparatur.*
2 *Causa Ecclesiastica iuri Canonico est supposita.*
3 *Ius canonicum mulieres in criminalibus non admittit in testes; sed contra vt num. seq.*
4 *Mulieres in causis matrimonialibus in testes admittuntur; sed limitatur, vt num. seq.*
5 *Mulieres in causis matrimonialibus non omnes, sed Mater, Soror, & aliae coniunctae solùm admittuntur, & quarè.*
6 *Mulieres bonis qualitatibus praeditae etiam de Iure Canonico videntur in criminalibus admittendae in testes.*

SINGVLARE CLXXXII.

MVlierem posse, vel non posse testificari in causis matrimonialibus, non
1 vulgaris est quaestio, cum causa matrimonialis criminali aequiparetur, *cap. Mulieri*
2 *de Iure iur.* Sitque causa Ecclesiastica, & proinde iuxta ea, quae deduxi infra in *Sing.* 260. *sub num.* 1. sit supposita Iuri Canoni-
3 co, secundum quod ex communi Doctorum sententia in criminalibus mulier in testem non admittitur, vt notat *Mascard. Concl.* 762. *num.* 1.
4 Quamuis enim, vt subdit *idem Mascard. dicta Concl. sub num.* 7. communis opinio
5 sit, quod mulieres in causa matrimoniali admittantur, tamen cum principale fundamentum sit in *cap. Super eo* il secondo *de testibus, & in cap. Videtur* 35. *quaest.* 6. qui textus non loquuntur nisi in mulieribus coniunctis, vt Mater, Soror, & aliae, quae ex coniunctione magis informatae praesumuntur, non simpliciter illas admittendas duxi, & practicaui, sed solum quando
6 erant coniunctae, vel alias ex eorum bonis qualitatibus videbantur admittendae in criminalibus etiam de Iure Canonico, vt dixi infra *dicto Sing.* 260. *numeris seqq.*

ARGVMENTVM.

MAtrimonium factum absque certitudine mortis prioris coniu-

gis

gis est nullum, & inualidum etiamsi re vera tempore celebrationis ipsius Matrimonij coniux mortuus erat.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium contractum absque certitudine mortis prioris coniugis est nullum, etiamsi re vera tempore matrimonij coniux mortuus erat, & quare.*

2 *Forma omissa, actus est nullus, etiamsi lex, quæ talem formam dat, de nullitate nihil dicat.*

3 *Actu in quolibet requiritur non solum voluntas, sed & potestas.*

SINGVLARE CLXXXIII.

Celebrato per mulierem matrimonio absque certitudine mortis sui primi viri, saltem secundum largiorem sententiam, de qua dixi suprà *in Sing.* 149. Dubitabatur, an ex quo postea compertum fuit, quod re vera maritus mortuus erat, matrimonium ipsum subsisteret; & dicebatur quod sic, quia in substantia impedimentum non aderat, & *cap. In præsentia de Sponsal.* Quod est basis huius materiæ, non declarat irrita matrimonia absque dicta certitudine contracta.

1 Tenui tamen ego, & iudicaui quod sic; tum quia ita in puncto dicunt *Pont. de Matrim. lib. 7. cap. 53. num. 5. & Comitol. in Respons. moral. lib. 1. quæst. 12. num. 2. & quæst. 129. per totam*; tum quia satis superque *cap. prædictum In præsentia*, Declarat matrimonia prædicta irrita, dum dicit, quod mulieres tali casu ad aliorum consortia canonicè conuolare non possunt.

Quamuis enim posset dici, quod talia matrimonia irrita non essent, si simpliciter absque tali certitudine illa fieri prohibitum fuisset (quod nec est verum, cum talis cer-
2 titudo tunc staret prò forma, & sic ipsa omissa, actus esset nullus, etiam quod lex de annullatione nihil dixisset, ad tradita per *Rotam in recent. parte 2. decis. 15. nu. 3.*) Tamen idem dici non potest in hoc casu, in quo dictum fuit illa fieri non posse, quod est idem ac, quod facta non teneant,
3 cum in quolibet actu requiratur non solum voluntas, sed & potestas, vt dixit *Rota vbi suprà, parte 1. decis. 640. num. 6.* Et ad hæc faciunt ea, quæ scripsi infrà *Sing. 189. in fine.*

ARGVMENTVM.

Clericus fideiubere non debet; si tamen fideiusserit, fideiusio tenet, & conueniri potest etiam non discusso principali, si tali discussioni iam ipse Clericus renunciauit.

SVMMARIVM.

1 *Clericorum fideiussio est nulla; sed declaratur, vt seq. nu. 3. & contra vt nu. 4.*

2 *Clericus fideiussor conueniri non potest non discusso principali, etiam si in solidum sit obligatus; sed contra num. sequenti 5.*

3 *Fideiussor Clericus tenetur ad fideiussionem ex pluribus remissiuè.*

4 *Clericus fideiubere non debet; si tamen fideiusserit, fideiussio tenet.*

5 *Fideiussor Clericus etiam non discusso principali conueniri potest, si tali discussioni renunciauit.*

6 *Clericus fideiussor, si renunciare debet beneficio de non fideiubendo, satis renunciasse videtur, si renunciauit beneficio discussionis.*

SINGVLARE CLXXXIV.

1 Clericus fideiussor conuentus ad soluendum dicebat suam fideiussionem nullam ex *cap. 1. de fideius.* Et ex ijs, quæ tradit *Bellet. disquisit. Cleric. de pœnis Clerici*
2 *parte 2. §. 50. num. 10.* & in omnem casum non posse conueniri subiungebat, nisi prius discusso principali, quamuis in solidum cum ipso se obligasset, ad trad. per *Vinc. Grilenz. cons. 134.*

3 In contrarium autem deducebantur prò validitate fideiussionis ea, quæ declarando, & limitando in tali materia scripsit *Marr. de fideiussor. parte 2. principali, sect. 8, cap. 12. per totum*, & quæ adaptata casui controuerso benè concludebant.

4 Ego tamen expeditius tenui cum *Romano cons. 409. num. 7.* non debere quidem Clericum fideiubere, tam propter *dictum cap. 1. de fideiussor.* quam propter *cap. Te quidem 11. quæst. 1.* Tamen si fideiusserit, te-

tenere fideiussionem, prout corroborat etiam *Mandos. ibi.*

Et quidem ita esse habetur ex *cap. seq. Peruenit*, & ex alio subsequenti, *Constitutus de fideiussor.* ex quibus Clericus fideiussor ad soluendum cogitur, & fideiussio tenet, vt expresse notat *Glos. in dicto cap. 1. sub verbo Inseruiens*, & in *dicto cap. Te quidem, sub verbo, Ne fideiussor*: per *dicta cap. Peruenit, & Constitutus.*

Ad vlteriora itaque contra ipsum Clericum processi, etiam non obstante alia ex-
5 ceptione discussionis principalis, cui expresse renunciauerat, & sic illa vti non poterat, ad expresse notata per *Gloss. in dicto*
6 *cap. Peruenit sub verbo Non soluentibus.* Et quod tollebat etiam motiuum, quod excitat *Glos. in dicto cap. Te quidem eodem verbo Ne fideiussor*, quod scilicet fideiussio Clerici possit dici nulla, si priuilegio de non fideiubendo renunciatum non fuerit, cum qui renunciat beneficio discussionis, quod est quid consequens ad fideiussionem, videatur dicendum, quod renunciauerit & beneficio de non fideiubendo, per tritum axioma, quod qui vult consequens, vult & necessarium antecedens.

ARGVMENTVM.

Filio volenti nubere absque consensu parentum denunciationes ex iusta causa sunt remittendæ.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium contrahens filius absque consensu parentum, vel absque eo quod petat eorum consilium peccat etiam lethaliter; sed limita vt num. seq. 3.*

2 *Prælati fauentes filijs volentibus nubere absque consensu parentum peccant; sed limita, vt num. seq. 4.*

3 *Denunciationes matrimoniales sunt remittenda ex iusta causa etiam filio volenti nubere absque consensu parentum.*

4 *Denunciationes non remittens Prælatus filio volenti nubere absque consensu parentum peccat, si ad id tenetur, sicuti peccat quando id facit, & non tenetur, cum iuste fauere, & non fauere debeat filijs in tali casu; sed vide & numerum sequentem.*

5 *Denunciationes matrimoniales tenetur remittere Ordinarius ex iusta causa, quando tamen talis remissio non sapit gratiam.*

6 *Consensus parentum ad matrimonium non est necessarius.*

SINGVLARE CLXXXV.

Filio volenti nubere absque consensu Patris, & petenti remitti denunciationes ne id Pater resciret, detuli, quia dicebat ipse, quod puellam, quam volebat ducere iam deflorauerat, eidemque in animam suam promiserat coniugium, quod Pater si resciuisset, absque dubio tanquam inæquale, & alijs de causis impediuisset.

1 Quamuis enim peccet Filius etiam lethaliter, si in re tam graui de se ipso disponat absque consensu parentum, ad ea, quæ post alios scripsit *Pont. de Matrim. lib. 2. de consensu absol. cap. 1. §. 2. nu. 27.* vel saltem consilium non petat cum illud petere, & si non sequi teneatur ad ea, quæ concludendo dicit *Sanchez de Matrim. lib. 4. dis-*
2 *put. 23.* & per consequens peccent & Prælati, qui filijs talia agentibus fauent, vt subdit *idem Pont. num. sequenti*; tamen com-
3 perto, quod re vera factum prout exponebatur se habuerat, periculumque impedimenti aderat, censui non esse considerandum in tali casu honorem parentibus debitum in petendo consilium, vtilitatemque solitam reportari ab illo, quando ex altera parte vrgebat magis salus animæ in seruandis promissis, ac infamia, in qua remansisset puella spe talis coniugij iam deflorata; & ad hæc bene mihi facere visa sunt, quæ scripsit *Sanchez de Matrim. lib. 3. de cons. Clandest. disp. 9. num. 14. & 15.*
4 Non minus enim peccat Prælatus, qui sine causa iusta fauet filijs nubere volentibus absque consensu parentum, remittendo illis denunciationes, quam qui id iuste petentibus denegat, ad trad. per *Pont. vbi su-*
5 *pra*, cum in effectu Ordinarius teneatur ex iusta causa denunciationes remittere, quando talis remissio non sapit gratiam, vt late tradit *Sanchez vbi supra disput. 10. per to-*
6 *tam.*, & consensus parentum pro matrimonio non sit necessarius cum quoad hoc omnes homines sint pares ad idem *Sanchez dicta disput. 23. lib. 4.*

ARGVMENTVM.

VEstes Sacerdotales benedicere non possunt simplices Sacerdotes, nec de licentia, & commissione Episcoporum, qui id facere debent.

SVMMARIVM.

1 *VEstes sacerdotales Sacerdotes simplices benedicere non possunt; sed contra de iure.*
2 *Benedicere non possunt Sacerdotes simplices vestes sacerdotales absque Sedis Apostolicæ priuilegio, etiamsi adsit consensus Episcopi; videtur tamen contra, & quare.*
3 *Episcopus delegare non potest ea, quæ sunt ordinis Episcopalis.*
4 *Ordinum collatio est ordinis Episcopalis.*
5 *Principale trahit accessorium.*

SINGVLARE CLXXXVI.

1 SAcerdotes simplices non posse vestes sacerdotales benedicere est communis opinio, teste *Nauar. cons. 2. de consecr. Eccl. vel Altar. num. 1.* Contrariam tamen opinionem de iure tenet ipse omninò in tali materia videndus, & optimis fundamentis, & responsionibus ad contraria docet communem non nisi de consuetudine sustineri posse.

2 Hoc supposito, miror quomodo aliqui dictam communem opinionem ita ampliauerint, quod absque Apostolicæ Sedis priuilegio id ipsos non posse facere affirmauerint, vt habetur ex *Layman in Theolog. moral. lib. 5. tract. 9. cap. 13. de Sacram. ord. num. 10.* Si enim hoc in honorem dignitatis Episcopalis ex consuetudine introductum fuit; quarè, delegando, fauori proprio ipsi Episcopi renunciare non possent?

Fateor itaque, quod nisi vidissem ex *Barbosa de off. & pot. Episc. parte 2. Alleg. 27. num. 42.* quod Sacra Congregatio Rituum respondit Sacerdotes simplices dictas vestes benedicere non posse, nec ex delegatione Episcoporum; ita practicari non fecissem, & non cogitassem, quod forsan ipsa Sacra Congregatio potuit ad id moueri ex connexione, quam vestes præ-
3 dictæ habent cum ordine, cuius collatio absque dubio ab Episcopo delegari non
4 potest, cum sit ordinis Episcopalis, vt latè firmat *Sbroz. de off. & pot. Vic. lib. 2. quæst. 2. & 5.* Et sic, quod vestes vti accessorium
5 ordinis debeant regulari ab ordine ipso vti principale, quod trahit accessorium, *Cap. Accessorium de reg. iur. in 6. & l. Cum principali, ff. tit. eodem.*

ARGVMENTVM.

EX sola concessione in emphiteusim facta incontinenti post caducitatem declaratam fraus in præiudicium vocatorum non præsumitur.

SVMMARIVM.

1 *CAducitas incursa per emphyteutam nocet etiam ad emphyteusim vocatis post ipsum.*
2 *Caducitas affectatè incursa in fraudem vocatorum non est attendenda.*
3 *Caducitate incursa, si qui illam incurrit denuò inuestiatur eodem actu, vel incontinenti post declarationem caducitatis, præsumitur, id esse in fraudem vocatorum; sed id solum non videtur sufficiens ad iudicandum prò fraude.*
4 *Simonia non præsumitur ex eo solùm, quod actus fuerit factus incontinenti.*
5 *Caducitas præsumitur affectatè incursa in fraudem vocatorum, quando illa euitari poterat expurgatione moræ.*
6 *Mora de iure Canonico, quoad solutionem canonum, purgari potest etiam post caducitatis declarationem.*
7 *Caducitas ob alienationem irrequisito domino factam incurritur ipso iure, & absque vlla sententia.*

SINGVLARE CLXXXVII.

REsoluta, declarataque caducata quadam Ecclesiastica inuestitura ob Canonem non solutum, & ob alienationem irrequisito domino directo factam, prætendebatur ex prædictis præiudicatum non fuisse vocatis post illum, qui assertæ caducitati causam dederat, non quia talis caducitas etiam posterioribus vocatis non noceat,
1 cum nocere communiter teneatur, & ita
practi-

practicari debeat, ad tradita per *Clar. in §. Emphyteusis. quæst. 8. num. 14.* Sed quia caducitas ipsa prætendebatur affectatè incursa in fraudem vocatorum, quo casu
2 non est attendenda, vt subdit *idem Clar. vbi suprà.*
3 Quia verò fraus deducebatur ex eo solùm, quod eodem actu, quo caducitas pronunciata fuerat, denuò eadem bona in emphyteusim concessa apparebant illi, qui caducitatem incurrerat, quod est argumentum talis fraudis, ad tradita per *Duard. de cens. tom. 1. §. 1. de re cens. subiug. quæst. 10. num. 25.*

Tenui, & iudicaui, quod id non esset sufficiens; tum quia *Gabriel*, qui ad id adducitur à *Duard. in Concl. 13. de præsumpt.* in terminis Simoniæ de actu facto inconti-
4 nenti, multa deducit ad ostendendum, quod ex eo solo, quod actus fuerit factus incontinenti, non præsumatur simoniaca conuentio; tum quia dominus directus erat talis conditionis, tantæque bonæ qualitatis, quod omnem fraudis præsumptionem excludebat, per ea, quæ deducit *Farin. de falsit. & simulat. quæst. 153. num. 147.*
5 Nec mihi visum fuit obstare, quod secundum *Duardum, vbi suprà*, talis fraus esset præsumenda etiam quia poterat dicta
6 caducitas euitari purgando moram, quæ saltem de iure canonico purgari potest, vt notat *Clar. dicta quæst. 8. num. 15.* & etiam post caducitatis declarationem, ad *Rotam in recent. parte 4. decis. 640. num. 5. & decis. 854.*

Quia caducitas non solum fuerat incursa, & declarata ob non solutionem Canonis, sed etiam ob alienationem irrequisito Domino factam, quo casu non potest considerari purgatio moræ, cum defectus non sit in omittendo, sed in committendo, &
7 caducitas ob id ipso iure, & absque vlla sententia absque dubio incurratur, vt notat *Clar. vbi suprà quæst. 13. num. 2.*

ARGVMENTVM.

Benedicta forma amissa, iterùm benedici debent, vt benedicta dicantur & sint.

SVMMARIVM.

1 *Sacrum in materia benedictionum trahit ad se non sacrum, & melius num. seq.*
2 *Sacrum trahit ad se non sacrum, etiam si non sacrum sit in maiori quantitate, quam sacrum.*
3 *Benedicta res noua benedictione indiget, si forma iam amissa reparatur.*

SINGVLARE CLXXXVIII.

Crucem iam benedictam, & postea vno ex brachijs reparatam iterùm benedici
1 concessi, quia & si in materia benedictionum, sacrum trahat ad se non sacrum, vt de aqua, & oleo tradit inter alios *Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 9. cap. 13. de sacr.*
2 *ord. num. 13.* Et etiam si non sacrum sit in maiori quantitate, vt voluerunt *Angel. in verbo Aqua, & Emanuel Sà in verb. Benedictio. nu. 1.* Tamen id adaptari Cruci prædictæ non posse credidi, quia aqua benedicta, quæ remanet, adhuc est benedicta, sicuti etiam oleum; sed Crux absque vno ex brachijs amplius non est Crux, & proinde destructa Cruce, quæ est fundamentum benedictionis, & ipsa benedictio resolui debet, & pars, quæ remanet, vti non sacra partem, quæ adiungitur, sacram facere non potest.
3 Quod autem amissa forma res benedictione noua indigeat si sit reparata, expressè tradit *Barbos. de off. & pot. Episc. parte 2. Alleg. 27. num. 45.* & dicit *Gauant. in Manual. Episc. verbo Benedictio num. 9.*

ARGVMENTVM.

Tertiariæ, seù Pizocharæ, quæ voto virginali, seù cœlibis vitæ emisso in suis proprijs domibus viuunt, non tenentur in Pascate Sacram Eucharistiam sumere à Parocho.

SVMMARIVM.

1 *Tertiariæ, seù Pizocharæ debent in Paschate Sacram Eucharistiam sumere à Parocho; sed vide, & declara vt num. seqq.*
2 *Tertiariæ, quæ trium votorum substantialium professionem solemnem non emittunt, nec in-*

clausuram se reducere volunt, omnimodæ Episcopi curæ, & iurisdictioni subiectæ esse debent; sed declara vt num. sequentibus.

3 *Tertiariæ vt non teneantur suscipere Sacram Eucharistiam in Paschate à Parocho, priuilegijsque suorum Regularium gaudeant, sufficit quod castitatem vidualem, seù virginitatem voto promittant.*

4 *Tertiariæ, quæ in proprijs domibus viuunt absque vllius voti promissione, omnimodæ Episcoporum iurisdictioni subsunt.*

5 *Tertiariæ, quæ tria vota non emittunt, & collegialiter non viuunt, sed solum vitam cælibem vouerunt, subsunt iurisdictioni Episcoporum in alijs, quàm in expressè ipsis concessis.*

6 *Tertiariæ in domibus proprijs viuentes sufficit quod loco trium votorum virginalem, seù castam vidualem vitam promittant, vt priuilegijs suorum Regularium potiri valeant.*

7 *Tertiariæ, quæ admittuntur ad professionem absque requisitis præscriptis à S. Congreg. sunt benè admissæ; sed in tali admissione peccatur.*

SINGVLARE CLXXXIX.

1 INstabat Parochus cogi quandam Tertiariam, seù Pizocharam, quæ emisso voto virginalis vitæ in domo propria viuebat, ad sumendum in die Paschatis Sanctiss. Eucharistię Sacramentum in Ecclesia Parochiali, ex resolutione Sacræ Congreg. Episcop. de qua meminit *Gauant. in manuale Episc. verbo Regularium iura circa*

2 *Tertiarias num.* 2. Et tantò magis quod Tertiariæ, quæ trium votorum substantialium professionem solemnem non emittunt, nec in Clausuram se reducere volunt, omnimodæ Episcopi curæ, & iurisdictioni subiectæ sunt, & esse debent, vt pariter resolutum fuisse à dicta *S. Congreg. in Pistorien. 29. Decemb. 1616.* refert *Barbos. in Collectan. Apostol. decis. Collect. 700. nu.* 4.

3 In contrarium autem prò parte Pizocharæ dicebatur, quod ipsa ex *constit. Leonis X. incipien. Nuper*; & quam registrat *Peyrin. de priuil. Regul. tom. 2. sub pag.* 186. erat in hoc exempta, cum vt gauderet priuilegijs suorum Regularium sufficeret, quod castitatem vidualem, seù virginitatem voto promisisset, ad ea etiam, quæ in terminis tradit *Pellizz. in manual. Regul. tom. poster. de priuil. conces. quoad ministr. Eucharist. tract. 8. cap. 2. sect. 3. num. 291. & Lezana in sum. quæst. Regul. tom. 2. cap. 14. de Tertiar. Regul. earumque obligat. & priuil. num.* 34.

Tenui ego prò Tertiaria, ipsamque non molestandam duxi, per ea, quæ expressè leguntur in *dicta Constit. Leonis X.* & tradunt *citati Doctores*.

Nec mihi visa fuerunt obstare quæ in contrarium deducebantur, quia si S. Congreg. dixit Tertiarias debere sumere Eucharistiam in Paschate à Parocho, ne constitutio Leonis absque vlla reuocatione

4 reddatur inanis, necessarium est dicere, quod intellexerit de Tertiarijs, quæ in do-

5 mibus proprijs viuunt absque alicuius voti emissione: Et si alias decreuit, quod Tertiariæ, quæ tria vota non emittunt, & collegialiter non viuunt, subsint iurisdictioni Episcoporum; pariter per necesse sit dicere, quod illæ, quæ cœlibem vitam voue-

6 runt, subsint in alijs, quàm in expressè ipsis concessis, vel melius, quod loco dictorum trium votorum, & collegialis vitæ, sufficiat votum virginalis, seù castæ vidualis vitæ, vt expressè declarauit *Leo X. vbi suprà*.

7 Nec pariter mihi visum fuit obstare, quod dicta Tertiaria non seruasset ea, quæ similibus personis in emissione prædicti voti à S. Congreg. præscribuntur, & de quibus meminit *Barbos. vbi suprà, & Lezana citato loco, num.* 40. quia non per hoc irritari poterat eius professio, seù receptio, quamuis peccatum fuerit, vt benè aduertit *ipse Lezana dicto nu.* 40. ex quo non adest clausula irritans, & non dicitur, quod non possint admitti, sed quod non admittantur, & pròut consideraui ego supra in alia materia, de qua in *singul.* 183.

Totum itaque, quod facere possem prò Parocho, tenui esse cogere dictam Tertiariam ad videndum vt sibi præscriptum erat, & in hoc præcipuè verificari, quod iurisdictioni Ordinarij subdita esset (si prior pars dictæ responsionis tenenda venit) & ad id promptum, & paratum me exhibui.

AR-

ARGVMENTVM.

SPonsalia non inducuntur ex taciturnitate cum aliqua promissione, sed ad id requiritur saltem aliquis actus positiuus vtriusque sponsi.

SVMMARIVM.

1 *SPonsalia mutuo consensu perficiuntur.*
2 *Sponsalia non inducuntur ex apprehensione manus cũ oblatione fidei sponsalium; sed contra num. seq. & rursus contra num.* 4.
3 *Sponsalia inducuntur ex apprehensione manus cum oblatione fidei sponsalium, si manus apprehensa non retrahatur, & quare num. seq. in quo contra, & melius post num.* 5.
4 *Sponsalia vt ex parte tacentis inducta dici possint, requiritur quod tacens aliquem actum positiuum fecerit, & non sufficit, quod sinat sibi capere manum ab illo, qui fidem sponsalium exhibet.*
5 *Odiosa strictissimè sunt regulanda, & non extendenda.*

SINGVLARE CXC.

QVærebatur, an supposito quod quidam Iuuenis porrigendo brachia ad collum cuiusdam puellæ, dicendoque quod erat sua vxor, eandem deosculatus esset, absque eo quod ipsa puella saltem à tali actu se subtrahere procurasset, posset
1 dici inter ipsos fuisse contracta sponsalia, quæ mutuo consensu perficiuntur, *cap. Accessit. de despons. impub. cum simil.* & considerabatur quod.
2 Negatiuè respondet *Sanchez* loquendo de apprehensione manus puellæ facta per virum exprimentem se dare fidem de matrimonio contrahendo, vt est videre in suo *tract. de Matrim. lib.* 1. *de Sponsal. disput.* 22. *num.* 6. *vers. Secus autem.*
3 Affirmatiuè autem, & contra eundem *Sanchez* tenet *Pont. tract. eodem, lib.* 2. *de cons. absoluto cap.* 11. *num.* 8.
Tenui ego cum *Sanchez*, & cum alijs per
4 ipsum citatis, quia vt ibidem notat ipse, ad hoc vt tacens se obliget, aliquem actum positiuum facere debet, & ab hoc neque dissentit *Pont.* dum in substantia dicit, quod qui non retrahit manum, illam quodammodo porrigit, & sic actum positiuum facit.
5 Verùm non ita (*vt Pontius*) esse credidi, cum materia obligatoria sit odiosa, & propterea strictissimè regulanda *cap. Odiosa, de reg. iur. in* 6. & non extendenda de actu positiuo, ad actum qui se habet vt positiuus. Et tantò magis quod ratio, qua ad id mouetur *Pont.* non videtur intrare, cum arguat à Matrimonio nullo validato per perseuerantiam cohabitationis, quasi sit idem manum non retrahere, & à cohabitatione non recedere, quod est longè diuersum, si consideretur quod manum non retrahere possit esse in illo fere momentaneo actu ex impulsu libidinis, quæ semper locum habere non est credendum in perseuerantia cohabitationis, quæ est quidam habitus, in quo non est verisimile, quod quis semper permanere velit cum peccato; vltra quod qui cohabitat & actum positiuum facit.

Sic itaque, cum nec factum esset clarum, de sponsalibus non constare pronunciaui, quamuis ex alijs Iuuenem se retrahentem, vt conscientiæ suæ consuleret, monendum esse dixerim, & prout monitus fuit.

ARGVMENTVM.

LIcentia laborandi in diebus festis prò præparandis rebus ad bellum, ob necessitatem, est concedenda, etiamsi non constet de iustitia belli ex parte licentiam petentis, dummodo præsumi posit, quod saltem iustè ad id moueatur ipse licentiam petens.

SVMMARIVM.

1 *BEllare in die festo, etiam seclusa necessitate, aut opportunitate, est licitum.*
2 *Bellum ex consuetudine est effectum quid liberale.*
3 *Necessitas facit de non licito licitum.*
4 *Milites voluntarij non possunt militare prò Principe, de cuius iustitia moralem certitudinem non habent, quicquid sit de militibus subditis.*

5 Bel-

5 *Bellum ex vtraque parte iustum præsumi potest ex bona fide, qua ad id Principes moueri possunt, & quomodo dicta bona fides inducatur.*

6 *Bello, quod iustum præsumi valet, cooperari licet.*

SINGVLARE CXCI.

VErtente bello inter duos Principes Christianos, petitaque à me licentia pro parte vnius faciendi laborare in die festo pro præparandis nonnullis ad idem

1 bellum; habui pro constanti, quod absque necessitate non esset concedenda, quia etsi *Molina tom. 1. tract. 2. disp. 111.* dicat, quod etiam seclusa necessitate, vel opportunitate, licitum sit bellare, & meritò cum

2 ex consuetudine id sit effectum quid liberale, & ex alijs, quæ considerat *Layman Theol. mor. lib. 4. tract. 7. cap. 2. de fest. obser. num. 5. vers. dico 7.* Tamen absque dubio id procedere non posse tenui in præparandis instrumentis, quod est actus purè seruilis, & mechanicus.

Punctus itaque fuit, an stante necessitate, quæ etiam supponebatur, concedenda

3 esset; & videbatur absque dubio, quod sic, cum necessitas faciat de non licito licitum, *cap. 4. extra de reg. iur.*

Dubium tamen erat, an ex quo mihi non constabat de iustitia belli in Principe pro cuius parte licentia petebatur, possem quodammodo eidem bello cooperari li-

4 centiam prædictam concedendo, & prout non possunt milites voluntarij absque morali certitudine talis iustitiæ, quicquid sit de subditis, qui obedire tenentur, ad ea, quæ tradit *idem Layman vbi suprà lib. 2. tract. 3. cap. 12. de Charit. & oppos. vitijs num. 8.*

5 Illam tandem concessi, quia bellum ex vtraque parte iustum mihi persuasum extitit saltem practicè, stante bona fide, quam in vtroque Principe introductam credidi ex voto Theologorum, & Consiliariorum, quibus in similibus Principes, & maximè illi, de quibus tractabatur, vti solent, ex quo fit, quod nedum bellum ex vtraque parte iustum præsumi possit, ad notata per *Adam. Tanner. in disput. de bello. assert. 32.*

6 sed quod & eidem bello cooperari valeat, per ea, quæ dicit *Layman vbi suprà.*

ARGVMENTVM.

VSuram non adesse in foro contentioso est præsumendum, secus autem in foro conscientiæ.

SVMMARIVM.

1 *VSurarium non esse contractum in dubio est præsumendum, quicquid dicant aliqui, qui benè dicunt, vt num. seq.*

2 *Vsurarium esse contractum in foro conscientiæ est præsumendum, & ita intelligendi sunt Doctores, qui pro vsura in contractibus præsumendum esse dicunt.*

3 *Vsurarium non esse præsumendum contractum in foro contentioso, & vsurarium in foro conscientiæ, quare.*

4 *Bonus in dubio vnusquisque præsumi debet.*

SINGVLARE CXCII.

1 COntractum in dubio non esse vsurarium, iudicando in foro contentioso, practicaui, quicquid dicant in contrarium aliqui, & præcipuè *Gemin. cons. 16. num. 3. & 4. & cons. 112. in fine;* plures enim pro parte, quam practicaui, refert *Gabr. Concl. 2. de criminal. num. 3. & num.*

2 *4.* vbi concordando opiniones dicit, quod opinio *Gemin.* procedit in foro animæ, vt apertè colligitur ex verbis *Glos. in cap. Nauiganti. de Vsur. in verbo Verisimiliter dubitatur.*

3 Ratio autem diuersitatis meo iudicio est manifesta, quia dato pro constanti, quod in foro conscientiæ tutior pars in hoc casu sit eligenda, qui intra se dubitat benefacit

4 si pro vsura concludit; at Iudex qui secundum axioma vulgatum vnumquemque hominem in dubio bonum esse præsumere debet, secundum regulam, de qua *Mascard. de probat. Concl. 222. num. 1.* Contra vsuram resoluere tenetur, ne condemnando, qui vsuram non adesse in iudicio sustinet, ipsum malum esse in dubio declaret.

ARGVMENTVM.

IN emphyteusi etiam Ecclesiastica recepta pro se, & filijs masculis, & fœminis,

minis, fœminæ non ſuccedunt niſi poſt maſculos, ſi extat ſtatutum, quod fœminæ extantibus maſculis non ſuccedant.

SVMMARIVM.

1 *Emphyteuſi recepta prò ſe, & filijs maſculis, & fœminis; fœmina ſolùm poſt maſculos ſunt admittendæ, ſi extat conſuetudo, vel ſtatutum, quod extantibus maſculis filiæ fœmina non ſuccedant.*

2 *Clauſula diſponentium, vel contrahentium à conſuetudinibus, vel ſtatutis interpretationem recipiunt.*

3 *Laici de bonis Eccleſiæ diſponere non poſſunt.*

4 *Diſponi non poteſt de bonis non ſubditis.*

5 *Emphyteuſi Eccleſiaſtica recepta prò ſe, & filijs maſculis, & fœminis; fœminæ ſolùm poſt maſculos ſunt admittendæ, ſi extat ſtatutum, quod fœminæ extantibus maſculis non admittautur, & quare vſque in finem.*

6 *Contrahens præſumitur ſe velle conformare cum ſtatuto.*

7 *Dominium vtile emphyteuſis Eccleſiaſticæ eſt emphyteutæ laici, & non Eccleſiæ.*

SINGVLARE CXCIII.

1 Habito prò conſtanti, quod recepta emphyteuſi per patrem prò ſe, & filijs maſculis, & fœminis, fœminæ ſolùm poſt maſculos ſint admittendæ, ſi extat conſuetudo, vel ſtatutum, quod extantibus maſculis filiæ fœminæ non ſuccedant,
2 cum ſit vulgare, quod clauſulæ diſponentium, vel contrahentium à conſuetudinibus, vel ſtatutis interpretationem recipiant, ad ea, quæ paſſim tradunt Doctores, vt in puncto talis caſus dicit *Valaſc. de iur. emphyt. quæſt.* 41. *num.* 4. præcipuè ex *Bart. in l. Iuriſiuran.* §. *Si liberi nu.* 5. *ff. de oper. lib.* quem inter alios citat, & ſequitur *Rota coram Cavaler. deciſ.* 555. *num.* 1.

Dubitabam, an tale ſtatutum locum haberet etiam in emphyteuſi Eccleſiaſtica, quæ non videtur poſſe comprehendi in
3 ſtatutis laicorum, qui de bonis Eccleſiæ diſponere non poſſunt, *cap. Eccleſia Sanctæ*
4 *Mariæ de conſt. cum ſimil.* ex regula etiam generali, qua fertur non poſſe diſponi de bonis non ſubditis, *l. Cum vnus* §. *penul. de bon. auth. indic. poſſid.*

5 Tenui tamen, quod ſic, tum quia id non eſt effectus ſtatuti, ſed voluntatis recipientis, qui præſumitur ſe velle conformare
6 cum ſtatuto, ad latè tradita per *Mantic. de tac. & amb. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 8. *per totum*; tum quia & ſtatutum id facere poteſt, cum
7 diſponat non de directo, ſed de dominio vtili, quod in emphyteuſi conceſſa laico, eſt laici, & non Eccleſiæ, vt latè, & in terminis deducit, & firmat *Surd. deciſ.* 160. *à nu.* 13. *vſque ad finem.*

ARGVMENTVM.

Monitoria concedi debent verbis generalibus, ita vt non ſonent in infamiam, ſi fieri poteſt, alias, neceſſaria prò complemento iuſtitiæ exprimi debent in ipſis monitorijs.

SVMMARIVM.

1 *Monitoria, quæ ad finem reuelationum conceduntur, non debent eſſe infamatoria; ſed declara vt num. ſeqq.*

2 *Monitoria concedi debent etiamſi ex ipſis infamia reſultare poſſit, dummodo verba ſint generalia, & in infamiam de directo non influant; ſed vide & num. ſeqq.*

3 *Monitoria concedi debent etiam verbis ſpecialibus ad detegendam fraudem, & ſimulationem, ſi aliter fieri non poteſt, & quare.*

4 *Principaliter intentum, & non quod ſequitur, attendi debet.*

SINGVLARE CXCIV.

1 Cum paſſim dicant Doctores, quod monitoria, quæ ad finem reuelationum conceduntur, non debeant eſſe infamatoria, vt poſt multos, quos refert, dicit etiam *Barboſ. de pot. Epiſc. parte* 3. *alleg.* 96. *num.* 33. *verſ. ſeptimo*, inſtabat quidam non permitti publicari quoddam tale monitorium, ex quo infamia reſultare poterat.

2 Verùm cum ſimpliciter attenta propoſitione prædicta nullum ferè monitorium publicari poſſet, cum vt plurimum talia monitoria tendant ad detectionem bonorum, quæ iniuſtè, & ſic cum delicto occupantur; tenui non eſſe conſiderandum, an ex ipſis infamia reſultare poſſet, dummodo verba monitorij eſſent generalia, & de di-

directo in ipsam infamiam non influerent, & prout aduertit *Genuen. in pract. Archiep. Neapol. cap. 1. num. 6.* Dum ait, quod non debet dici, quod reueletur bona fuisse furto subtracta, vel quis bona iniustè detineat, sed tantum cum modestia, quod reueletur apud quem reperiantur talia bona,
3 vel à quo fuerint habita, &c. Et in ijs, in quibus dicta modestia seruari non valet, apertè etiam dici potest, quod fraus, vel simulatio in contractibus interuenta detegatur, vt expressè notat *Lazar. in Canon. quæst. sect. 1. quæst. 16. num.* 5. Et meritò
4 cum finis monitorij non sit infamia, sed iustitia, & sic non quod sequitur, sed quod principaliter intenditur attendi debeat *l. Si quis, nec causam ff. si cert. pet, Alex, cons, 1, lib. 3. num. 26. & 27.*

ARGVMENTVM.

DEnunciationes matrimonij facilius remitti debent ob periculum incontinentiæ, etiamsi ex aliquo abusu oriti soleat dictum periculum.

SVMMARIVM.

1 *DEnunciationes ob periculum incontinentiæ remitti debent.*
2 *Denunciationes matrimonij remittere est in arbitrio Ordinarij, qui ex quacumque probabili causa id facere potest.*
3 *Ecclesia cum infirmis infirmari videtur.*

SINGVLARE CXCV.

INtroducto abusu, quod contractis sponsalibus, de facili sponsi ob nimiam conuersationem ante celebrationem matrimonij coniungebantur; dubitabam ego, an ex hoc facilior esse deberem in remittendis
1 denunciationibus, quas ob periculum incontinentiæ remitti debere tradunt Doctores, quos recenset *Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 9. num.* 8.

Et videbatur quod non, ne abusus abusum induceret; contrarium tamen practicaui quoties de incontinentia dubitabam:
2 tum ex arbitrio, quod *Conc. Trident. sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.* tribuit circa hoc Ordinario, & quod arbitrium ad quamcumque probabilem causam extenditur, ad ea quæ dicit *Guttierez Can. quæst. lib. 1. cap. 19. num. 6.* tum quia Ecclesia ita
3 compatitur infirmitatibus nostris, quod cum infirmis infirmari videtur, vt de se dicit *Apostolus Epist. 1. ad Corinth. cap. 9.* dum Ecclesiam ipsam nomine Christi ipse plantabat.

ARGVMENTVM.

IN materia sepulturæ iuxta consuetudinem in dubio est iudicandum, & maximè iuxta consuetudinem Ecclesiæ maioris.

SVMMARIVM.

1 *COnsuetudo in dubijs est attendenda.*
2 *Sepulturæ in materia consuetudo attendi debet.*
3 *Ecclesia inferior arctari debet ad seruandum id, quod seruat Ecclesia maior.*
4 *Superior in agendis est imitandus.*

SINGVLARE CXCVI.

DVbium satis intricatum in materia sepulturæ cuiusdam cadaueris iuxta consuetudinem Ecclesiæ maioris dirimendum
1 duxi, cum in dubijs ad consuetudinem sit recurrendum *l. si de interpretatione ff. de leg.*
2 *senat. cons.* & maximè in materia sepulturarum, *Grat. discept. for. cap. 94. num. 78. & à contrario sensu Rota coram Seraph. decis.*
3 *1135. num. 3.* Inferior enim Ecclesia arctari debeat ad seruandum id, quod seruat
4 Ecclesia maior, cum à Superiore in agendis ita sit trahendum exemplum, vt fiat, quod Superior facit, ad ea quæ tradit *Butr. in cap. ad hæc num. 34. in vers. Nec valet tit. de Postul.*

ARGVMENTVM.

QVarta funeralis debetur Parocho domicilij, & Parocho in cuius Parochia quis moritur, habito respectu ad eorum labores in administratione Sacramentorum, & ad emolumenta, quæ percipiuntur ob dictam administrationẽ.

SVMMARIVM.

1 *QVarta funeralis debetur Parochiæ, quando Cadauer in alia Ecclesia sepelitur.*
2 *Quarta funeralis an debeatur Parochia*

rochia domicilij, vel Parochia, in qua quis moritur; est quaestio notabilis, & subtilis; sed videtur deberi Parochia, in qua quis moritur, & quare.
3 *Quarta funeralis debetur Parochia domicilij, & Parochia, in qua quis moritur, habito respectu ad labores in administratione Sacramentorum, & ad emolumenta, qua ob id percipi solent, cum quarta detur ob dictos labores.*
4 *Decimas Sacramentales sufficientes habenti non debetur quarta funeralis sui parochiani extra Parochiam defuncti.*
5 *Mercede sua dignus est operarius.*

SINGVLARE CXCVII.

1 QVartam funeralem Parochiae deberi quando cadauer in alia Ecclesia sepelitur disponit textus in *cap. In nostra de sepul.* & innouat *Conc. Trident. sess. 25. cap. 13. de reform.*

2 Quaestio tamen est, an Parochiae domicilij, vel Parochiae simplicis habitationis debeatur, & *Abbas qui in dicto cap. In nostra* refutando contrariam opinionem tenet, quod debeatur Parochiae domicilij, dicit hanc quaestionem notabilem, & subtilem.

Ego autem, qui persuadebar in contrarium, maximè ex verbis dicti *cap. In nostra* dicentis: *soluta quarta parochiali Ecclesia, de cuius parochia mortuorum corpora assumuntur*, & quae verba videntur inferre sta-
3 tum mortis, & non domicilij, talem quaestionem dirimere practicaui, iuxta etiam constitutiones Synodales, quas in aliquo loco vidi, ex ratione resultante ex laboribus Parochorum, & ex emolumentis, quae
4 ipsi percipere solent. Nam si Parochus domicilij habet sufficientes decimas sacramentales vel aliquid subrogatum à Parochianis loco ipsarum non est curandum de ipso in tali casu, cum certo certius sit, quod quarta funeralis detur ob laborem in administratione sacramētorum, ad deducta per *Ricc. in praxi par. 4. resol. 300.* & ob id iam ipse Parochus domicilij mercedem suam habeat, quod non esset in alio Parocho contra textum in *cap. Quicumque* il secon-
5 do 12. *quaest.* 2. qui dicit quod mercede sua dignus est operarius.

ARGVMENTVM.

FVrans in Ecclesia secundum constitutionem Greg. XIV. gaudet immunitate Ecclesiastica.

SVMMARIVM.

1 *BVlla Greg. XIV. de immunitate non videtur correxisse casus in iure expressos; sed contra num. seq.*
2 *Immunitate de iure non gaudet, qui in Ecclesia delinquit.*
3 *Immunitate de iure non gaudet, qui furatur in Ecclesia, & sic à fortiori qui in ipsa furatur res Ecclesiasticas.*
4 *Immunitate gaudet fur furans res Ecclesiasticas in Ecclesia.*

SINGVLARE CXCVIII.

1 QVamuis *Bulla fel. rec. Greg. XIV.* circa immunitatem non videatur correxisse casus à iure communi expressos, per ea, quae dixi supra in *sing.* 108. *num.* 19.

Tamen in facti contingentia contrarium expertus fui in quodam capto in flagranti furti per ipsum commissi rei Eccle-
2 siasticae in Ecclesia. Quod enim iste de iure immunitate non gaudeat, est textus clarus ex regula generali in *cap. fin. de immun. Eccles.* quo cauetur quod non gaudeant immunitate, qui in Ecclesia delin-
3 quunt, & in specie de fure furante in Ecclesia, nedum de furante in ea res ipsas Ecclesiasticas, communiter notant *Doctores omnes*, vt refert *Clar. in pract. crim. §. fin.*
4 *quaest. 30. num. 13. vers. Item quaero.* Non obstante enim quod talis casus videatur ex fortioribus in iure communi expressis, & quod in specie tractaretur de persona, quae alias prò alio simili furto in triremibus longam poenam luerat, voluit Sanctissimus quod gauderet, & solum permisit, quod aliqua poena extraordinaria carceris, vel exilij puniri posset, quae ad correctionem & ab Episcopo, non obstante immunitate, forsan irrogari valeret ad ea, quae tradit *Gambacurt. de immunit. lib. 4. cap. 31.*

Et sic ego exequendo iudicaui.

ARGVMENTVM.

BVlla Sixti V. circa priuationem Beneficiorum contra non deferentes

habitum, & tonsuram, non est correcta per subsequentem Bullam respectu Beneficiatorum habentium redditus à ducatis sexaginta auri infrà.

SVMMARIVM.

1 *Habitum, & tonsuram tenentur deferre Beneficiati sub pœna amissionis Beneficiorum ipso iure.*

2 *Habitum, & tonsuram deferre non videntur teneri Beneficiati redditnum ducatorum auri 60. & infra; sed contra num. seq.*

3 *Bulla Sixti V. circa habitum, & tonsuram Beneficiatorum non fuit correcta per subsequentem Bullam eiusdem, quoad Beneficiatos à ducatis 60. auri infra, & quare.*

4 *Legis correctio est euitanda, quando vterque intellectus benignè potest ad concordiam reduci aliqua distinctione, suppletione, vel limitatione.*

SINGVLARE CXCIX.

1 CVm Beneficiatus ex *Bulla Sixti V. Cũ Sacrosanctã 5. Ianuarij* 1589. teneatur incedere in habitu, & tonsura sub pœna amissionis Beneficij ipso iure incurrenda; dubitabatur, an per subsequentem *Bullam incipientem Pastoralis* esset correcta, quoad Beneficiatos redditusum ducatorum 60.
2 auri infra, Et videbatur quod sic per ea, quæ dicta fuerunt in *decis. Neapol, Capiclatro præcipuè sub num.* 28. & 29.

Verùm cum in dicta decisione solùm ex generalitate verborum prætensæ correctionis, & ex ratione, quæ non exprimitur, dicatur quod id fuit habitum: prò vero;
3 tenui cum alijs, qui non esse correctam asserebant, Primò, quia quando Sixtus in prima Bulla loqui voluit de Beneficiatis, illos expressit. Secundò, quia idem fecit in secunda Bulla prætensa correctoria. Tertiò, quia non militat eadem ratio in Beneficijs, ac in alijs redditibus Ecclesiasticis: cum Beneficiati plus sint Deo addicti, quam alij, & sic non ita de facili ab habitu Clericali sint dispensandi. Quartò denique, quia generalitas verborũ in *Bulla Pastoralis* benè potest saluari absq; eo, quod comprehendat Beneficia, cum bona, fructus, redditus, & prædia, ac bona Ecclesiastica possint obtineri saltem ex indultu Põtificis, & ex aliqua iusta causa, absque eo, quod Beneficium im-
4 portent. Quod autem correctio legis sit euitanda, quando vterque intellectus benignè potest ad concordiam reduci aliqua distinctione, suppletione, vel limitatione, deducit latè *Caualcan. decis.* 9. *n.* 7. *parte* 3.

ARGVMENTVM.

AD obtinẽdum monitoria ad finem reuelationum, sufficit, quod interesse sit prætensum, & verisimiliter certũ, & quatenus opus sit iuramento eiusdem petentis interesse prędictũ probari potest.

SVMMARIVM.

1 *Monitoria ad finem reuelationum non conceduntur nisi habentibus interesse; sed vide num. seq.*

2 *Monitoria ad finem reuelationum conceduntur etiam ob interesse prætensum, & non clarum, & quare.*

3 *Monitorium ad finem reuelationum petens potest astringi iurare, quod credit se habere interesse, & bonã ius fouere, & quarè etiam n. seq.*

4 *Monitorium petens, secundum practicam plurium locorum, iurare debet, quod alia via intentum habere non potest.*

SINGVLARE CC.

1 QVamuis monitoria ad finem reuelationum sint concedenda tantum habentibus interesse, vt tradit *Genuen. in pract. Archiep. Neap. cap.* 1. *num.* 8. & *Lazar. in Can. quæst. de monit, cum alijs,*
2 *quos citat in sect.* 1. *quæst.* 9. *num.* 3. tamen sufficit, quod tale interesse sit prætensum, quamuis non clarum, vt subdit *idem Lazar. quæst. seq.* 18. *n.* 4. & quidem rectè, cum alias dum de interesse cognosceretur posset esse, quod testes informati morerentur, vel bona, de quibus tractatur dilapidarentur.
3 Verùm, quia vnusquisque tale interesse posset allegare, & non habere quando mihi verisimile interesse visum non fuit, iuramento astringere practicasti monitorium petentem, vt diceret, an re vera crederet se interesse habere si enim practicatur (vt re-
4 fert *Lazar. vbi suprà num.* 2.) quod iuretur aliam viam non suppetere quare & de interesse iurari non debet? Cum vtrumque tendat ad tollendum abusum censurarum.

SIN-

SINGVLARIVM CRIMINALIVM ANTONII DE POSSENTIBVS FABRIANENSIS

CENTVRIA TERTIA.

ARGVMENTVM.

FAlconem domesticum occidens furtum committit, & pœna furti est puniendus.

SVMMARIVM.

1 POena quadrupli in furta parti applicanda non est in vsu, & pars solùm ad rem actionem habet.

2 Falconem cum iectis, & sonaleis occidens furtum committit.

3 Auis facta mansueta, & quæ habet consuetudinem eundi, & redeundi, etiamsi domini oculos effugiat, & per dies vaget, semper in dominio eiusdem remanet.

4 Auis prædicta animum redeundi retinere præsumitur, si viso domino, vel eius familiaribus redire solet.

5 Auis quando viso domino, vel eius familiaribus in syluis longinquis abuolat, animum redeundi amplius non habere est credendum.

6 Animalia feræ naturæ, libertate recuperata, capientis efficiuntur; sed limita, vt num. seq. in falconibus.

7 Falcones libertate recuperata capientis non efficiuntur, & quare.

8 Aestimatio rei furto subtractæ iuramento damnum passi probatur.

9 Affectio est pratio æstimabilis.

10 Aestimatio eiusdem rei non iuramento, sed probationibus luce meridiana clarioribus probari debet, si agitur, vt ex ipsa æstimatione maior pœna insurgat.

SINGVLARE CCI.

QVendam, qui falconem cum iectis, &
sonaleis occidisse archibusio fassus fuerat, tribus ictibus funis publicè affi-
1 ci mandaui, & ex furto si non ad quadruplum, quod non est in vsu, saltem ad valorem falconis Domino eiusdem falconis condemnassem, per ea, quæ tradit *Farin. de furt. quæst. 167. parte 1. num. 17. & 18.*
Si idem Dominus hoc non condonasset;
2 furtum enim tali casu ipse occidens commiserat, & tanquam fur puniendus erat, *l. Pomponius §. 1. ff. fam. ercis. l. Si Pauonem ff. de furt. Bart. in tract. de falcone, in princ. vers. Præterea, & Farin. vbi suprà, quæst. 174. parte 1. num. 89.*
3 Cum enim auis prædicta esset facta mansueta, & haberet consuetudinem eundi, & redeundi, etiamsi oculos Domini effugisset, & per dies vagasset, tamen semper in dominio eiusdem remanebat, cum
4 animum redeundi retineret, & quem semper retinuisse præsumebatur, ex eo quod viso ipso Domino, vel suis familiaribus redire solebat, ad textum *in §. Pauonum, & ibi Doctores*, inter quos præcipuè *Faber, & Aret. sub num. 4. Instit. de rerum diuis.*
5 Tunc enim tantum animum redeundi deposuisse præsumi potuisset, quando viso Domino, vel familiaribus, ab illis abuolasset in syluis longinquis, deferendo sic consuetudinem redeundi, quæ est ratio iurium prædictorum.
Nec releuabat, quod auis naturalem li-
6 bertatem recuperasset, quia etsi animalia feræ naturæ, libertate recuperata capien-

tis efficiantur, *l. Quod enim §. Quicquid ff. de atq. rerum dom.* Tamen hoc locum non
7 habere in falconibus est dicendum, per ea, quæ tradit *Joan. Fab. §. In his, Inst. de rerum diuis. relatus à Cassan. de consuet. Burg. Rubr. 13. §. Quod, vers. sed quid de falconibus*; in istis enim consideratur, quod libertate ipsa dolirit vel.

Tortus itaque, vt supra mandaueram, fuit relaxatus absque alia pœna de consensu partis, quæ animaduertens, quod Reus vti pauperrimus illam soluere non valuisset, institerat quidem etiam prò quadruplo, seù saltem prò valore falconis, iuxta
8 tradita per *Farin. vbi suprà*, sed tantum, vt ex liquidatione medio iuramento proprio facienda, ad tradita per *Mascard. de Prob. Concl. 659.* resultaret magni valoris fuisse tum extitisse, cum re verà ipse falconem occisum magnifaceret, & sic fuit ad tricem
9 condemnandus veniret. Quod enim pretium ipsius falconis ratione affectionis augeri possit, habetur ex *Lessio de iust. & iure, lib. 2. cap. 12. dub. 3. num. 17. ex Nauar. cap. 23. num. 83. in manual.*

Verùm acquieuit, & dedit manus comperto, quod ego non ita, prout ipse, rem magnifaciebam, & quod insistebam in dis-
10 tinctione eiusdem *Mast. allegata Concl. 659. num. 6.* Dicentis, & firmantis, quod valor rei nón probatur iuramento, quando agitur, vt æstimatione rei insurgat maior pœna, & quidem rectè cum in criminalibus requirantur probationes luce meridiana clariores, *Farinac. de Indic. & tort. quæst. 37. num. 3.*

ARGVMENTVM.

Testes infames nec etiam circa actum in prostibulo factum contra infames ad testificandum admittuntur, immò sunt omninò repellẽdi, quando pluribus exceptionibus laborant.

SVMMARIVM.

1 *Infamis nec etiam contra infamem in testem admittitur.*
2 *Infamis contra infamem admittitur, si deponit de actu in prostibulo facto.*
3 *Meretrix est infamis infamia iuris.*
4 *Infamis absque tortura in testem non admittitur.*
5 *Testes pluribus exceptionibus laborantes nec etiam cum tortura sunt admittendi, & omninò sunt repellendi.*
6 *Consuetudo, quod testes pluribus exceptionibus laborantes cum tortura admittantur, non est vera.*

SINGVLARE CCII.

Per quendam Birruarium carceratum sub prætextu, quod archibusium contra quandam meretricem exonerasset, absque tamen offensione, reprobatis testibus contra ipsum deponentibus, tanquam infami-
1 bus, quia erant meretrices, cum nec contra infamem infamis ad testificandum admittatur, ad communem, & veriorem opinionem Doctorum per *Farin. (contraria reiecta) relatam in quæst. 56. de testibus, art. 1. num. 44. 45. & 46.* Difficultas fuit, an prædictæ meretrices essent admittendæ, eo quia deponebant de actu in prostibulo fa-
2 cto, & quo casu solent admitti, ad ea, quæ scripsit *Salicet. in l. Ea quidem, num. 13. Cod. de accusat.* & de lenone *Foller. in pract. crim. in glos. Item quod fuit leno, num. 45.* Ac alij relati per *Farin. vbi suprà num. 52. & art. 10. num. 369.* & quidem non videbatur quarè admittendæ non essent.
3 Verùm, quia tanquam infames infamia iuris, ad textum in *l. Palam §. Non solum ibi lege notatur ff. de ritu nupt.* Ac ad alia relata per eundem *Farin. dicto art. 10. num.*
4 358. erant absque dubio admittendæ cum tortura, vt clarè per *Bossium in tit. de tortura testium num. 3. vers. Sic etiam Doctores, Clar. pract. crim. §. fin. quæst. 24. vers. Item infamis*, & tamen etiam tortæ non probassent, quia & alias patiebantur exceptiones, ac præcipuè extremæ paupertatis, & vilitatis, ad latè tradita per *Farin. quæst. 61.*
5 *num. 381. & 382.* vbi habetur, quod quando inhabilitas testis resultat ex pluribus defectibus, tunc non est admittendus nedum ad probationem, sed neque ad indicium etiam cum tortura, & quod prorsus, & omninò est repellendus, subdens *ipse Farin.* quod hoc contradictorem non ha-
6 bet, & negans, ac damnans contrariam con-

consuetudinem attestatam per *Baiard. in addit. ad Clar. in fol. quaest. 24. num. 128.* Iudicaui circa illarum dicta insistendum non esse, & Birruarium liberandum, pròut, aliquibus etiam ad sui defensionem deductis, liberatus fuit, non obstante quod praetenderetur etiam, quod veritas aliter haberi non posset, quia vltra quod factum sequutum de die, & in via, quamuis in prostibulo, id excludebat, communiter tenetur quod testes ex pluribus defectibus inhabiles, nec etiam vbi veritas per alios haberi non potest admittantur, & admissi probent, vt per *Farin. dicta quaest. 62. nu. 80.* pluribus enim exceptionibus pressi difficillimè resipiscunt, & saltem quod regulariter hoc faciant non est credendum.

ARGVMENTVM.

VIr graduatus, vel nobilis si in poenam mortis est condemnandus, non furcis suspendendus, sed capite plectendus venit, quando delictum infame non commisit.

SVMMARIVM.

1 *Nobilis, vel in aliquo gradu constitutus decapitandus est, quando per legem eidem poena mortis imponitur.*

2 *Decapitatio est minor poena, quam furcae subiectio.*

3 *Iudex potest facere gratiam non vitae, sed poenae, pròut aequitas arbitrij dictat.*

4 *Nobiles grauius, quam ignobiles puniri debent, & quare.*

5 *Delictum grauius, & turpius iudicatur ex qualitate, & dignitate delinquentis.*

6 *Superbia, & vindicta sunt vitia nobilibus peculiaria, & innata.*

7 *Nobiles crimina sordida committentes sicut caeteri puniuntur.*

8 *Nobili militi non est ignoscendum, cui vti latroni est obuiandum.*

SINGVLARE CCIII.

CVm inter alios condemnare deberem in poenam mortis quendam virum nobilem, immò nobilissimum (aliis in poe-
1 nam furcarum condemnatis) ipsum capite plectendum dixi; in aliquo enim gradu constitutus (& pròut erat ille) vel nobilis debet decapitari, quando per legem poena mortis imponitur, *Bal. in l. Data opera, col.*
2 *1. Cod. Qui accus. non poss.* Vbi dicit, quod haec est mitior poena, quam furcae subie-
3 ctio, & quod Iudex, qui non potest facere gratiam vitae, possit illam facere poenae, pròut aequitas arbitrij dictat, habita ratione ad qualitates delinquentis, & praecipuè ad merita vitae prioris *l. Quid ergo §. Poena grauior ff. De his, qui not. infam.* Et ad haec plurima cumulat *Clar. in pract. crim. quaest. 60. num. 20.* & latius *Tiraq. de nobil. cap. 20. num. 108. & sequentibus.*

Fateor tamen, quod non me mouerunt
4 causae praedictae, quia fortius mihi videtur, quod grauius debeat puniri nobiles, quam
5 ignobiles, cum delictum iudicetur grauius, & turpius ex qualitate, & dignitate delinquentis, ad *l. Omne delictum, §. 1. de re milit.* & ad alia, quae notat *Carol. de Graf. de eff. Cleric. in praelud. num. 20.* Nobiles enim ex innata nobilitate, & virtute melius vitijs obsistere possunt, cum vt dicit *S. Greg. Papa in hom. 9. in Euangelia*, si augentur dona, rationes etiam crescunt donorum, & quantò quis plus accipit, tantò inde grauius iudicatur; vnde legitur *Sapientiae 6.* quod Potentes potenter tormenta patientur.

Me itaque potius mouit qualitas deli-
6 cti, quod consistebat in vindicta, quae ex superbia proueniebat. Cum enim haec vitia nobilibus quodammodo sint peculiaria, & innata, vt latè tradit *Tiraquel. vbi suprà, cap. 33. praecipuè in principio, & sub num. 23.* Videntur etiam quodammodo
7 excusabilia. Si autem crimen fuisset sordidum, forte me conformassem cum practica, de qua testatur *Tiraquel. dicto cap. 20.*
8 *num. 112.* Cum, vt dicit *Paris de Puteo de syn. fol. 369. post num. 7.* Non sit ignoscendum militi nobili, cui obuiare oportet vti latroni, referens, quod hac de causa suspendere fecerat quendam armigerum ex nobili prosapia, qui furto Crucem, & vasa sacra subtraxerat.

AR-

ARGVMENTVM.

PIpiones sclopo occidentes non possunt condemnari ex depositionibus Birruariorum asserentium ipsos in flagranti cæpisse.

SVMMARIVM.

1 BIrruarij in leuibus sunt testes habiles ad condemnandum captos in flagranti crimine; sed limita vt numeris seqq.

2 Birruarij nec in leuibus sunt testes habiles ad condemnandum captos in flagranti crimine, si ad id specialiter non sint deputati.

3 Testes in omni causa requiruntur omni exceptione maiores.

4 Birruarij, nec quando veritas aliter haberi non potest, sunt testes integri ad condemnandum captos in leuibus, si ad id non sint deputati.

5 Birruarij in testes admissi non sunt integri in grauibus, prout in leuibus.

SINGVLARE CCIV.

1 QVamuis in leuibus Birruarij admittantur in testes ad condemnandum repertos in flagranti crimine, per ea, quæ tradit *Farinac. de oppos. contra pers.* 2 *test. quæst.* 56. *nu.* 379. tamen hoc non procedit, si ipsi Birruarij specialiter non sint deputati ad perquirendos, & capiendos in flagranti similes delinquentes in leuibus, vt exemplificando notat *specul. in tit. de accus.* §. 1. *num.* 33. *lib.* 3. & clarè tradit *Mascar. de probat. vol.* 1. *Concl.* 189. *num.* 13. Si enim sufficeret, quod delinquentes reperirentur in flagranti, frustrà Doctores requirerent, quod vlterius Birruarij ad id, vt supra, specialiter deputati essent.

His itaque suppositis, testes inhabiles iudicaui quosdam Birruarios asserentes inuenisse, & cepisse nonnullos sclopo pipiones occidentes, vigore cuiusdam banni disponentis per hæc formalia verba, videlicet; *Che nessuno ardisca di vccider piccioni.* Ad hoc enim, vt ipsum bannum Birruarios ad id deputaret, debuisset dicere: *Se alcuno sarà trouato da Sbirri ad vccider piccioni*; & casu quod id dixisset, tamen non credo, quod Birruarios ipsos testes habiles ad condemnandum reddidisset, cum iste casus non sit ex illis, in quibus regulariter veritas aliter haberi non potest, vt puta delationis armorum, furti vuarum, maximè de nocte, & similium, qui regulariter ab alijs obseruari non valent, & prout obseruari potest occisio proposita, quæ publicè, & cum strepitu fieri solet; deputatio enim prædicta debet fieri cum causa, cum sit contra regulam communiter receptam,
3 qua fertur in omni causa, & in omni negotio testes requiri, nedum habiles, sed etiam omni exceptione maiores, vt per *Farin. vbi suprà quæst.* 62. *num.* 20. Si enim benè consideretur Birruarijs non creditur plenè ex eo tantum, quod deponant de leuibus,
4 cum, vt dictum fuit supra, hoc non sufficiat, sed etiam ex quo sunt deputati, & deputatio non videtur posse sustineri, nisi ex quo veritas aliter haberi non possit, vt etiam colligitur ex exemplis per Doctores enumeratis, & præcipuè per *specul. vbi suprà*, qui mentionem facit de deputatis ad capiendos fures nocturnos, vel alios vltra horam prohibitam noctis silentio euntes, nec non de positis ad custodiam alicuius passus contra fraudantes gabellam.

Nec valet dicere, quod quando veritas aliter haberi non potest, Birruarij probant etiam in grauibus, quia tali casu Birruarij
5 non sunt integri, & plenæ fidei, prout in leuibus, vt distinguendo prò veritate firmat *Farin. dicta quæst.* 56. *eodem num.* 379.

Et sic cum ex nonullis prò parte dictorum carceratorum ad defensam deductis sublatum etiam fuisset quodcumque inditium, quod ex dictis prædictorum Birruariorum resultare potuisset, ijdem per me absoluti, & liberati fuerunt.

ARGVMENTVM.

MEndacium solum ex variatione prætensi Rei resultans non facit indicium ad torturam.

SVMMARIVM.

1 MEndacium solum non facit indicium ad torturam.

2 Mendacium solum non facit indicium ad tor-

torturam, etiamsi sit circa ipsummet delictum.

3 *Reo licet contraria deponere, & dicere mendacium cum iuramento, absque eo, quod teneatur de periurio.*

4 *Mendacium, quando est circa factum principale, facit indicium ad torturam.*

5 *Periurium iudiciale delinquentis solum Deum habet vltorem.*

6 *Mendacium in foro fori dicere potest Reus, & etiam debet, ne se ipsum prodat.*

7 *Mendacium in foro fori vel nihil praeiudicat, vel saltem non facit indicium ad torturam.*

SINGVLARE CCV.

REiecta opinione, qua fertur solum mendacium ex praetensi Rei variatione circa substantialia delicti facere indicium ad
1 torturam, contrariam sententiam in casu tali amplexus fui tanquam communem, vt per *Bertaz. cons.* 145. *num.* 5. *& cons.* 150.
2 *num.* 4. quamuis mendacium esset circa ipsummet delictum, ad *Pedemont. decis.* 79. *num.* 17. & praecipuè hoc feci per ea, quae tradit *Natta cons.* 499. *num.* 7. *tom.* 3. & in-
3 ter quae asserit licere Reo contraria dicere, & deponere propter sui salutem, & respondere inquisitioni cõtra veritatem cum iuramento, absque eo, quod teneatur de periurio.

Nec habui in consideratione, quod *Granut.* qui *in suis communibus Conclusionibus sub Theorem.* 3. *nu.* 6. *&* 7. hanc materiam tractat, distinguendo concludat, quod
4 quando mendacium est super facto principali, faciat indicium ad torturam, & quod haec opinio sit crebrior; Quia si est verum, prout est verissimum, vt ipse *Granut.* prae-
5 mittit, quod periurium in delinquente so-
6 lum Deum habet vltorem, erit etiam verum, quod eidem in foro fori licebit mendacium dicere, immò secundum *Nattam, vbi suprà*, debebit; cum, vt dicit ipse, vbi agitur de crimine ad poenam, nemo debeat seipsum prodere.

7 Mendacium itaque ex variatione praedicta resultans, quod ex praedictis nullatenus praeiudicare deberet, saltem ad torturam non esse sufficiens iudicaui, & prout sufficiens non esse tenet *Clar.* re benè discussa in *pract. crim.* §. *fin. quaest.* 21. *nu.* 27. *vers. Mendacium, seu Variatio.*

ARGVMENTVM.

CLericus publicus aleator etiam non monitus saltem mitiori poena, quam sit ordinaria puniri potest.

SVMMARIVM.

1 *CLericus aleator puniri non potest, si non sit monitus; sed limitatur, vt num. sequentibus.*

2 *Aleator Clericus puniri potest etiam non monitus, si sit publicus.*

3 *Clericus aleator publicus puniri potest etiam non monitus, saltem mitiori poena.*

4 *Clericus non solùm ad aleas ludere non potest, sed nec huiusmodi ludis interesse.*

5 *Aleatorem Clericum puniendum esse poena arbitraria etiam non monitum, quare.*

6 *Correctoria strictè sunt interpretanda, & quantum possibile est restringenda.*

7 *Clerici aleatoris poena quomodo arbitranda.*

SINGVLARE CCVI.

1 SAcerdotem aleatorem dicentem non posse processari quia non poterat puniri, eo quia monitus non fuerat, ad textum, & ea, quae notant *Doctores in cap. Epi-*
2 *scopus, dist.* 35. non audiui. Quia quamuis textus praedictus ita generaliter statuere videatur, tamen communiter receptum esse, quod limitetur in publico aleatore, prout erat iste, de quo tractabatur, notat *Farin. de var. & diuers. crimin. quaest.* 169.
3 *parte* 2. *num.* 96. Et quia in omnem casum ego illum punire non intendebam poena ordinaria, sed mitiori, quod absolutè fieri potest, ad ea, quae dicit *Menoch. de arbitr.*
4 *cas.* 399. *num.* 3. *vers. Si verò.* Cum enim certò certius sit, quod Clericus delinquat non solum ad aleas ludendo, sed & huiusmodi ludis interessendo, quia facit contra expressè disposita in *cap. Clerici*, il secondo, *de vita, & honest. Cleric. & simil.* vti-
5 que puniri debet poena arbitraria etiam non monitus, cum de monitione non tractetur nisi occasione poenarum dependentium à dicto *cap. Episcopus*, vt habetur ex

Fa-

Farin. vbi suprà, & ideo vltra casum eiusdem *cap.* ad correctionem aliorum iurium
6 non sit extendenda, ex quo correctoria strictè sunt interpretanda, & quantum possibile est restringenda, ad *Rotam in recens. parte* 1. *decis.* 674. *num.* 2.

7 Considerata itaque qualitate ipsius Clerici, consuetudinis ludendi, perniciei exempli, alijsque, de quibus ad pœnam in similibus arbitrandam meminit *Diaz in pract. crimin. canon.* verbo Aleatores, *cap.* 73. *num.* 2. ad vlteriora processi vt ipsum prò futuro moneri facerem, quod abstineret sub pœnis ordinarijs, alijsque etiam grauioribus, ad formam *Conc. Trident. sess.* 22. *de reform. cap.* 1. & prò præterito leui pœna pecuniaria punirem.

ARGVMENTVM.

Bona fama probata in genere præualet malæ famę probatæ in specie.

SVMMARIVM.

1 *Mala fama probata in specie praualet bona probata in genere: declaratur num.* 4.
2 *Probatio specialis est magis certa, & sic generalem minus certam vincere debet.*
3 *Genus speciem non probat.*
4 *Bona fama probata in genere praualet mala probata in specie.*
5 *Genus continet species.*
6 *Fama, qua militat prò Reo, in dubio, praualeret fama, qua militat prò fisco.*

SINGVLARE CCVII.

1 Malam famam probatam in specie prævalere debere bonæ probatæ in genere deducebat fiscus, per tradita à Doctoribus, & signanter per *Osasch. decis.* 79. *num.* 54. & per *Rom. cons.* 167. *in fine*, ac *Alex. cons.* 77. *lib.* 1. vbi Addentes prò
2 ratione dicunt, quod probatio specialis est magis certa, & sic minus certam vincere
3 debet: Item, quod genus speciem non probat, hisque adhæret *Boss. tract. crimin. tit. de Inquis. num.* 35.

4 Verùm opponente Reo contrariam opinionem, tanquam communem, vt per *Bertaz. cons.* 60. *nu.* 16. & 17. Hanc iudicando in quodam casu tenui, quia prædicti Doctores, excepto *Bossio*, qui se remittit ad illos, non videntur loqui in terminis malæ famæ probatæ in specie, sed potius in terminis indiciorum resultantium circa delictum, & quamuis loquerentur de ipsa mala fama probata in specie, tamen eorum
5 dicta non viderentur posse subsistere, ex quo semper verum est dicere, quod in genere continentur species, & non potest saluari, quod quis sit bonus in genere, & fuerit malus in aliquo actu speciali, qui non potest producere nisi malam præsum-
6 ptionem, & in omnem casum certo certius est, quod in dubio fama, quæ militat prò Reo, debet præualere famæ, quæ militat prò fisco, *Boss. vbi suprà, tit. de fauo. defens. num.* 13.

ARGVMENTVM.

Res furata, quæ penes aliquem reperta regulariter contra ipsum, vti suspectum furem facit indicium ad torturam, si non probat à quo illam habuit; idem facit contra hominem bonæ vitæ, & famæ, vt suprà non probantem, non tamen tanquam contra suspectum furem, sed tanquam contra veritatis occultatorem.

SVMMARIVM.

1 *Furata res penes hominem bona vita, & fama reperta non facit contra ipsum indicium ad torturam, etiamsi is non probet vnde illam habuit; sed limita vt num. seqq.*
2 *Res furata penes hominem bona vita, & fama reperta facit indicium ad torturam respectu officij Iudicis.*
3 *Res furata penes hominem bona vita, & fama reperta facit indicium ad torturam respectu iuris Canonici, & quarè.*
4 *Furatam rem qui ab aliquo sibi traditam asserit, id plenè probare tenetur, auctorem ipsum conuincendo.*

SINGVLARE CCVIII.

Traditus quidam carceribus, ex quo res furtiuæ in eius domo repertæ fuerant, du-

dubitabatur, an ex hoc vti fur, vel furti particeps esset torquendus, attento quod auctorem non dabat, a quo prædictas res habuisset.

1 Et quod non, ipsum defendentes affirmabant, stante eius bona vita, & fama, quę in hoc casu tollit omnem suspicionem, & facit quod quis nec auctorem nominare teneatur, ad tradita communiter per Doctores, & præcipuè per *Clar. quæst.* 21. *in fine*.

2 Verùm tenui, quod ex officio, etsi non ad querelam partis, posset torqueri, per ea, quæ tradit *Mascard. de prob. Concl.* 833. *num.* 10. & quæ habentur in *cons.* 93. *vol.* 2. *Deciani*, & maximè cum casus esset in
3 terris Ecclesiæ, vbi est seruandum ius Canonicum, quo cauetur illum penes quem res furtiua reperitur, auctorem indicare teneri, & ad hoc compelli posse ob bonum publicum, cui refert fures detegi, & puniri, vt per *Mascar. vbi suprà num.* 10. & quidem hoc *Mascardi* mirabile dictum euidentissima ratione comprobatur, si consideretur, quod illa bona vita, & fama potest quidem tollere suspicionem furti, cum crimen, & crimen tale, valde alienum sit à persona bonæ qualitatis, sed non potest facere quod non insurgat præsumptio, quod nolit furem detegere, cum hoc vel non videatur crimen esse, vel in omnem casum obseruetur, quod homines quò honestiores, & nobiliores, eò magis abhorreant alicui etiam delinquenti eorum dictis nocere.

Nec releuare visum fuit, quod quendam nominaret quodam agnomine, quo reperiri non poterat, quia nedum teneri indi-
4 care, sed plenè probare, & auctorem conuincere, firmat *Mascar. loco cit. num.* 12. & *seqq.*

Qui itaque vti suspectus fur cruciari non posse videbatur, fuit me mandante vti veritatis occultator cruciatus, etiam quia vltra reperitionem prædictam rerum furatarum aliqua alia adminicula contra ipsum vrgebant.

Verùm ob morbum herniæ vsitata funis tortura omissa, in tormento taxillorum iam dicta sustinuit, & liber dimissus fuit.

ARGVMENTVM.

AGgressus Aggressorem fugientem percutiens mitiori pœna quam ordinaria puniri debet.

SVMMARIVM.

1 *AGgressus Aggressorem fugientem percutiens impunè percutit.*

2 *Iracundiæ calore Aggressus Aggressorem fugientem percutiens à pœna excusatur.*

3 *Aggressus Aggressorem fugientem percutiens mitiori, quam ordinaria pœna punitur; maximè si armis eiusdem aggressoris hoc faciat, & quare.*

4 *Animus amplius non offendendi ex fuga, & ex dimissione armorum ostenditur.*

5 *Vindicta, vel defensio ex delicti circumstantijs dignoscitur.*

SINGVLARE CCIX.

QVidam carceratus fassus se vulnerasse suum aggressorem, dum post vulnus eidem carcerato illatum fugiebat, & prout ita euenisse etiam ex alijs in processu resultabat, petebat ex ijsdem absol-
1 ui. Et videbatur annuendum, cum in similibus nullam pœnam intrare docuerit *Marsil. cons.* 137. *num.* 30. & *alij relati per Giurb. cons.* 17. *num.* 17. & *inter quos Ber-*
2 *taz. cons.* 1. *num.* 30. & excusationi locum esse ob iracundiæ calorem affirmauerint *Boss. tit. de homicid. num.* 61. *Surd. cons.* 40. *num.* 26. *Farin. quæst.* 125. *num.* 342. & *alij plures*; violenter enim id fieri videtur, cum animi impetu prorumpatur, vt obseruat *Menoch. de arbitr. cas.* 261. *num.* 8.

3 Verùm replicante fisco, quod saltem mitiori pœna erat puniendus, ad passim tradita per Doctores, & signãter per *Clar. in* § *Homicidium*, *vers. Scias tamen*, *Honded. cons.* 104. *num.* 29. *in* 1. & per *Giurb. vbi suprà*, & vbi de veriori sententia testa-
4 tur; ad fauorem fisci inclinaui, maximè quia constabat vulnerasse eodem baculo, quo ipse vulneratus fuerat, & quem baculum Aggressor iam in terram reliquerat, & sic amplius animum offendendi non habere demonstrauerat, prout distinguendo

hanc materiam declarat ad mentem Doctorum ipse *Bertaz. dicto cons. 1. num. 27.* videndo vti copiosissimo, & in similibus
5 casibus pulcherrimo. An enim percussio fuerit facta ad vindictam, vel ad defensam, ex prædictis Iudex dignoscere debet, vt dicit *Bartol. in l. 1. Cod. Vn. vi. num. 10. & Bertaz. vbi suprà, & nu. seq.* vbi citat *Claudi. de Seisel. in repert. l. Vt vim ff. de iust. & iure*, qui de communi affirmat.

Quia tamen prò vulnere ipso leuis pœna veniebat, cum & simplex, & parui momenti esset, & sic in omnem casum leuissima tantum pœna ob iracundiæ calorem intrasset, stante etiam ipsius carcerati extrema paupertate; volui potius cum fideiussione de se representando ipsum dimittere, & pròut fuit dimissus.

ARGVMENTVM.

POena capitali indicta in resistentem, insultantem, percutientem, vel occidentem ministros iustitię in actu executionis mitius exequi debet contra simpliciter resistentem, & insultantem.

SVMMARIVM.

1 *EXecutori circa connexa executioni sibi demandata creditur.*
2 *Pœna capitalis in terris Ecclesiæ est imposita resistentibus, insultantibus, & offendentibus iustitiæ ministros in actu executionis.*
3 *Resistere non licet iustitiæ ministris in actu executionis, si non more priuatorum, sed in forma iudicij procedunt.*
4 *Resistere non licet iustitiæ ministris de facto procedentibus, si præiudicium irreparabile non inferunt.*
5 *Ius sibi dicere nemini licet.*
6 *Occasionem resistendi iustitiæ ministris non dari publicè interest.*
7 *Pœna delicto est commensuranda, illudque egredi non debet.*
8 *Iustitia commutatiua est saluanda.*

SINGVLARE CCX.

IVdicem secularem agens in terris Ecclesiæ votum dedi procedendum esse in contumacia ad pœnam capitalem, & confiscationis bonorum contra quendam processatum prò resistentia, & insultu cum armis erga Birruarios nonnullas executiones ciuiles facientes. De delicto enim circa resistentiam, & insultum nedum apparebat
1 per relationem Sindici, cui in talibus tanquam de connexis executioni sibi demandatæ, secundum aliquos, creditur, *Cabal. resol. crim. cas. 127. num. 2.* Verùm satis superque constabat ex depositionibus trium testium, & de pœna non erat dubitandum,
2 cum talis talia perpetrantibus in bannimentis generalibus, & in sacris constitutionibus irrogetur.

Neque mihi visum fuit in contrarium facere, quod de commissione executionis non constaret nisi ex depositione eiusdemmet Sindici, quia esto etiam, quod absque
3 commissione Birruarij procederent, tamen non erat locus resistentiæ, & multò minùs insultui. Primo, quia Birruarij non more priuatorum, sed in forma iudicij, cum assistentia scilicet Sindici procedebant, *Boer.*
4 *decis. 170. num. 2.* Secundo quia esto, quod de facto procederent, tamen præiudicium irreparabile non inferebant, *Clar. quæst. 29. num. 2. vers. Sed hic incidenter quæro, Farin. quæst. 23. num. 91.* & alij relati per *Cabal. resol. crim. cas. 132. num. 11. & seqq.* Et tertio tandem, quia datis etiam prò ve-
5 ris, quæ in contrarium prætendi possent, vtique neminis sibi ius dicere licet, *l. Vnica,*
6 *Cod. Ne quis in sua caus.* Et publicè interest, ne reis occasio resistendi executoribus detur, *Cabal. vbi suprà.*

His autem non obstantibus mandatum fuit prædictum condemnari in pœnam triremium tota eius vita durante, ac in pœnam confiscationis omnium bonorum, & ita per me fuit executum maiori satisfactione, quam si, vt votum dederam, ordinatum fuisset. Considerabam enim post votum datum, quod quamuis pœna capitalis tali delicto esset assignata, non tamen rigorosè erat exequenda, sed in aliqua parte ad rigorem apposita censenda, quia si est verum,
7 pròut est verissimum, quod pœna delicto commensuranda, illudque de æquitate
8 Canonica egredi non debeat, *Honded. cons. 72. num. 14.* Iustitia commutatiua non videretur saluari, si prò insultu eadem

dem pœna capitalis irrogaretur, quæ prò vulneribus, & morte irrogatur.

ARGVMENTVM.

FOrensis deferens arma prohibita in itinere puniri non debet.

SVMMARIVM.

1 *ARmorum prohibitione ligatur & forensis.*
2 *Forensis propter delationem armorum mitius puniri debet.*
3 *Armorum prohibitione forensis in itinere non ligatur.*
4 *Forensis propter delationem armorum in itinere puniri potest, si in loco prohibitionis iam moram traxit, & præsumi potest, quod scientiam prohibitionis habuerit.*
5 *Armorum prohibitionis scientia præsumi potest, quia vbique videntur arma prohibita; Contrarium tamen verius, quia dicta prohibitio generalis non verificatur.*
6 *Arma prohibita ad vsum itineris deferens pœna statuti non debet puniri, & de consuetudine non punitur.*
7 *Causa legis cessante & ipsa lex cessat.*
8 *Delictum, vt excludatur, interpretari debet.*

SINGVLARE CCXI.

CApto per Birruarios quodam forensi deferente in itinere arma contra formam Bannimentorum, prætendebat fiscus ipsum forensem condemnandum esse in pœnam contentam in eisdem bannimen-
1 tis, cum & forensis de armorum delatione
2 teneatur, *Plaz. in Epitom. delict. cap.* 8. & saltem mitius puniri debeat, vt dicit *Petr. Rauen. in tract. de consuet. num.* 202. relat. per *Baiard. ad Clar. quæst.* 82. *num.* 76.
3 Verùm tenui illum esse absoluendum, & liberandum, per ea, quæ circa hanc materiam latè tradit *Cabal. resol. crim. cas.* 129.
4 Quicquid enim dici posset de forensi, qui caperetur in loco, in quo moram traxisset, vtique militare non potest in forensi, qui recto tramite, pròut faciebat iste, transibat de vno loco ad alium, & sic non præbebat præsumptionem scientiæ prohibitionis armorum, non obstante, quod prò
5 parte fisci diceretur, quod dicta scientia erat præsumenda, cum communiter per totam Italiam armorum delatio sit prohibita, vt refert & idem *Cabal. vbi supra num.* 22. quia vt ipse eodem num. subdit, dicta communis prohibitio non est vera, & quia in specie in loco originis ipsius forensis carcerati, cuique licebat extra loca muris circundata arma liberè, & absque licentia deferre.
6 Vlterius considerabam, quod deferens arma prohibita ad vsum itineris pœna statuti non debet puniri, vt dicit *Clar. quæst.* 82. *stat.* 6. *num.* 6. & de consuetudine non punitur, vt attestatur *Ang. in l.* 1. *num.* 3. *ff. ad l. Iuliam, de vi. publ.* Et quidem rectè, cum cesset præsumptio mali finis, propter
7 quem prohibitio fuit inducta; Causa enim cessante & lex cessare debet, *l. Adigere* §. *Quamuis de iure patron.* Quod autem ad vsum itineris illa deferret, videbatur con-
8 stare; tum quia recto tramite ibat; tum quia in dubio semper interpretatio fieri debet ad exclusionem delicti, ad tradita per *Nattam cons.* 42. *num.* 3. *tom.* 1. & ideo non obstante, quod delationem armorum, ad vsum tamen itineris, fassus fuisset, ipsum absolui, & liberaui.

ARGVMENTVM.

OFfensio, quæ personam tangere debet, non comprehendit minas, iniurias, & insultus, qui tamen insultus resultant etiam si ad actum proximum offensionis reduci non posse videantur.

SVMMARIVM.

1 *ALexandrina Bulla contra offendentes causa litium, est tantum prò Romana Curia.*
2 *Bulla Alexandrina contra offendentes causa litium est extensa per totum statum Ecclesiasticum, sed quoad testes per hanc extensionem offensio personas ipsorum tangere debet.*
3 *Iniuria verbalis dicitur offensio personæ, sed non in personam.*
4 *Personam non offendere promittens, conuicijs, & iniurijs verbalibus illam offendere non promittit.*

 5 *Insul-*

5 *Insultus cum armis non dicitur ille actus, in quo percussio sequi non potest.*

6 *Insultus cum armis dicitur etiam si actualiter percussio sequi non potest.*

7 *Armatus dicitur etiam ille, qui arma deposuit, sed de facili illa reassumere potest.*

SINGVLARE CCXII.

CVm essent in statu absolutionis nonnulli inquisiti sub prætextu, quod accessissent armati ad domum cuiusdam testis contra ipsos in causa criminali examinati, eundemque minis, & iniurijs exprobrassent, quærebat Notarius causæ, quomodo propinam iuxta prætensi delicti titulum debitam regulare deberet, & considerato prius an essent absoluendi à pœnis contentis in *Bulla XI. Alexandri VI. vulgo dicta l'Alessandrina*; resolui, quod non, quia etsi dicta Bulla pœnas statuat contra affi-
1 cientes minis testes, tamen est tantum prò Romana Curia.

2 Nec mihi visum fuit releuare quod in bannimentis generalibus eadem Bulla ad totum statum Ecclesiasticum extendatur etiam quoad offensiones factas testibus, quia in eisdem bannimentis legitur hæc restrictio, videlicet: *Pur che l'offesa tocchi la persona*; quæ restrictio nihil operaretur, si non excluderet conuicium, siue iniuriam
3 verbalem, quæ dicitur quidem offensio personæ, sed non offensio in personam, *Bal. in rubr. sol. matr. col. 2. ver. Sed quæstionis, Baiard. ad Clar. §. Iniuria num. 32.*
4 qui citat *Caph. in cons. 190. vol. 2.* dicentem promissionem de non offendendo in personam non comprehendere conuicium, siue iniuriam verbalem.

Considerato autem postea, an esset absoluendi à pœna insultus facti cum armis, videbatur prima facie dicendum, quod non; tum quia nullatenus inditiati erant, quod cum armis aliquid in illo actu fecissent; tum quia in omnem casum insultati fuissent extra domum insultatum existentem in domo, & sic in statu, quo illum
5 percutere non poterant, quo casu non intrat insultus cum armis, ad *Bal. in cap. 1. §. similiter quib. mod. feud. amit.* & refert *Foller. in pract. crim. in verbo recipiantur defens. num. 35.*

6 In contrarium tamen dixi, per ea, quæ latè tradit *Cabal. resol. crim, cas. 90.* vbi rationibus, & auctoritatibus hoc firmat, &
7 subdit procedere etiam si qui accedunt armati, arma deponunt, saltem quando illa de facili reassumere possunt. Non enim verum erat, quod fuissent in statu, quod offendere non possent, quia erant inditiati, quod fuerant etiam tormentis bellicis armati, & quod facie ad faciem cum prædicto teste, licet à longè, alloquuti fuerant, & sic à verbis iniuriosis, & insultu absque vlla consideratione *Bullæ* ipsos absolui, & iuxta hanc absolutionem tantum, propina regulata fuit.

ARGVMENTVM.

HOmicidium ex calore iracundiæ committens excusatur à pœnæ rigore ipsius homicidij.

SVMMARIVM.

1 *Homicidium ex proposito, & insidijs commissum quomodo dicatur.*

2 *Iracundiæ calor homicidam excusat ab animo deliberato homicidium committendi, etiamsi post iurgium illud patretur.*

3 *Offendens bellici tormenti ictu in terris Ecclesiæ pœna capitali punitur.*

4 *Iracundiæ calor ex qualitate, & temperamento corporis excandescentis metitur.*

5 *Constitutiones pœnales mitius exequuntur, si eisdem in rixa, & non animo deliberato fuerit contrauentum.*

SINGVLARE CCXIII.

COntra quendam homicidam fui in voto prò pœna capitali, & bonorum confiscatione, quia de homicidio benè contra ipsum testes concludebant, qualificatumque astruebant, dum ex proposito, & à
1 parte retro, & sic ex insidijs commissum deponebant, ad latè tradita per *Clar. in §. Homicidium, num. 6. & 7.* Quamuis enim per duas horas ante iurgium inter occisorem, & occisum extitisset, tamen de sufficienti causa, qua calor iracundiæ in occisore du-
2 rare potuisset, & vnde ab animo deliberato excusari posset, ad *Clar. vbi suprà*, non ap-

apparebat, pròut apparere debere notatur in *addit. ad conf. 67. Farin. sub litera* A.
3 *verf. Non tamen*, & de tali pœna dubitari non posse videbatur, ex quo ipsa nedum prò homicidio, sed etiam prò simplici vulnere bellico tormento illato (& quo tale homicidium patratum fuerat) in bannimentis, seù constitutionibus comminabatur.

4 Non obstantibus tamen prædictis, & forsan quia causa iracundiæ non ex qualitate ipsius, sed ex natura, & temperamento corporis excandescentis metiri debet,
5 & quia bannimenta, seù constitutiones prædictæ imponentia pœnam mortis, etiam prò vulnere bellicò instrumento illato, intelligenda sit dummodo animo deliberato, & non in rixa, & sic absque dolo id sequatur, ad tradita per *Farin. conf.* 2. *num.* 11. *& per dictas addit. ad conf.* 67. *sub litera* A. *verf. Et in specie*; fuit per me, sic Principe annuente, condemnatus in contumacia tantum in pœnam triremium perpetuam, & confiscationis omnium bonorum.

ARGVMENTVM.

ARma non apta nocere portans puniri non debet.

SVMMARIVM.

1 *ARmorum prohibitio est intelligenda de armis ad offendendum aptis.*
2 *Fraudi, & contemptui contra prohibitiones imminentibus est occurrendum.*
3 *Adesse non dicitur, quod abesse contingere potest.*

SINGVLARE CCXIV.

CAptus quidam in flagranti cum archibusio vacuo, & absque vlla pulueris, & plumbi quantitate, videbatur non posse puniri, cum sic archibusium aptum ad of-
1 fendendum non esset, & prohibitio semper sit intelligenda de apto ad offendendum, per ea, quæ tradit *Bologn. conf.* 28. *per totum, & Bonacos. com. opin. tom.* 2. *in verbo Statutum puniens potestatem*, relati per *Baiard. ad Clar. quæst.* 82. *num.* 79. & per ea, quæ tradit *Farin. de var. & diuers. crim. quæst.* 108. *num.* 86.

Verùm, quia fuerat captus in societate alterius, qui cum licentia archibusium cum puluere, & pilis ferebat, & sic de facili materiam ad nocendum aptam ab ipso socio consequi poterat, inclinabam ad illum condemnandum in pœnam aliquam extraordinariam, vt occurrerem scandalo,
2 quod in similibus casibus dari, & fraudi, quæ de facili ipsi prohibitioni fieri posset, ad ea, quæ tradit *Farin. vbi suprà num.* 84. & 85. etiam ex *Deciano in tract. crim. lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 56. & ad ea, quæ dicit *Baiard. loco citato*.

Quia tamen consecutio materiæ ad nocendum aptæ à voluntate alterius pendebat, & scandalum erat dubium, ex quo non appareat in delationibus armorum
3 quis licentiam habeat, vel non habeat, & sic non possit dici adesse, quod potest contingere abesse, *cap. Inter corporalia, de translat. Episcop.* placuit potius causam indecisam relinquere, & ipsum carceratum sub fideiussione de se representando relaxare, pròut sic fuit relaxatus.

ARGVMENTVM.

IGnorantia iusta, & probabilis excusat à pœnis bannimentalibus, etiamsi per ipsa bannimenta ignorantiam allegare fuerit prohibitum.

SVMMARIVM.

1 *IGnorantia præsumitur nisi probetur scientia.*
2 *Scientia banni præsumitur.*
3 *Scientia banni præsumitur etiam in forense, si bannum ipsum versetur circa ea, quæ generaliter prohiberi solent.*
4 *Ignorantiæ probationem non admittit præsumptio iuris, & de iure.*
5 *Ignorantiam allegari non posse, prohiberi valet.*
6 *Scientia banni vt præsumatur, tempus habile requiritur.*
7 *Ignorantia allegatio si sit prohibita, ignorantia crassa, & iniusta non autem iusta, & probabilis allegari non potest.*

8 Lex,

8 *Lex, quæ statim promulgata vult obseruari, ligat quoad nullitatem actus, non autem quoad pœnam.*

9 *Pœna præsupponit culpam, quæ in ignorante non datur.*

10 *Bannimenta, seù cridæ in Ciuitate publicatæ non valent ad pœnam contra habitantes in Comitatu.*

11 *Facta multa tenent, quæ alias fieri prohibentur.*

12 *Factum plus valere debet, quam quod simulatè fuit conceptum.*

13 *Arbitrarium Iudicis est intra quod tempus præsumatur quis latam legem sciuisse.*

14 *Ignorantiam probabilem, vel non probabilem esse, Iudex arbitrari debet.*

SINGVLARE CCXV.

CArcerato quodam tanquam in flagranti
reperto in contrauentione cuiusdam
Banni, prætendebat fiscus ipsum condem-
nari debere, non obstante quod probatum
non esset carceratum scientiam habuisse
1 eiusdem Banni. Quamuis enim regulari-
ter ignorantia præsumatur, nisi probetur
scientia, *l. Verius ff. de prob. cum alijs tradi-
tis per Gabr. lib. 6. de reg. iur. Concl. 5. in
2 principio*, tamen limitatur in Banno, cuius
scientia præsumitur, vt subdit idem *Gabr.
vbi suprà, num. 14. & 16.* Et absque dubio
in casu, de quo tractabatur, videbatur præ-
3 sumenda, cum Bannum versaretur circa id,
quod generaliter prohiberi solebat per
omnia loca, & sic eius scientia nedum in
subdito, prout erat Carceratus, sed etiam
in forense præsumenda erat, ad ea, quæ
pariter tradit idem *Gabr. vbi suprà, num. 16.*

Nec videbatur obstare, quod Carcera-
tus fuisset admissus ad probandam igno-
rantiam, & illam probasset, quia replica-
bat fiscus, quod ipse iam contradixerat,
& obtinuerat decretum, quod dicta pro-
batio non haberetur in consideratione, si
de iure fieri non potuisset, & sic dubitatum
fuit, an probatio dictæ ignorantiæ potuis-
set admitti. Et quod non ex duobus præ-
tendebat fiscus. Primo, quia præsumptio
scientiæ dicti Banni videbatur iuris, & de
4 iure, & sic ignorantię probationem in con-
trarium non admittebat, ad ea, quæ tradit
*Mascar. de prob. vol. 2. Concl. 879. num.
16.* Præsumenda enim erat hæc scientia de
iure, ad supradicta, & erat præsumptio iu-
ris, quia erat de genere prohibitorum vbi-
que ex generali consuetudine, quæ iuri
cõmuni æquiparatur, ad tradita per *Gabr.
dicto num. 15.* Secundo, quia expresse in
eodem Banno legebatur, quod facta pu-
blicatione haberetur ac si personaliter cui-
que præsentatum fuisset, & sic quod igno-
5 rantia allegari non posset, quod tenet, ad
ea, quæ tradit *Menoch. de arbitr. cas. 186.
num. 10.*

Verum contrarium tenui, non quia
6 prædicta mihi non satisfacerent, sed quia
tam paruum tempus intercesserat inter pu-
blicationem Banni factam in Ciuitate, &
prætensam contrauentionem, & quia tot
aliæ circumstantiæ concurrebant, quod ve-
risimiliter poterat credi, quod Banni noti-
tia ad Carceratum in comitatu habitantem
non peruenisset, *Cacher. decis. 71. num. 40.*
7 Dato enim, quod allegatio ignorantiæ
prohiberi valeat, tamen semper est intelli-
gendum de ignorantia crassa, & iniusta,
non autem de iusta, & probabili, quæ à
Banno auferri non posse videtur, ad ea, quæ
8 subdit idem *Menoch. nu. seq. 11.* Lex enim,
quæ statim ac est promulgata vult obser-
uari, ligat quoad annullationem actus, non
9 autem quoad pœnam, quæ præsupponit
culpam, quæ in ignorante non datur, vt ha-
betur per eundem *Menoch. Cas. anteced. 185.
num. 3. & 4.*

10 Sic itaque iunctis ijs, quæ dicit *Baiard.
ad Clar. quæst. 60. num. 48.* circa cridas pu-
blicatas in Ciuitate, quod scilicet non va-
leant ad pœnam contra habitantes in Co-
mitatu; necnon considerato, quod prædi-
11 cta ignorantia iam probata vrgebat, ex
quo multa facta tenere debent, quæ alias
fieri prohibentur, *l. Patre furioso ff. De his,
12 qui sunt sui, vel ali. iur.* & tandem quod
plus videbatur valere debere quod factum
ex dicta probatione, quam quod conce-
ptum ex dicta reseruatione fuerat, argu-
mento eorum, quæ habentur in tit. *Cod.
Plus valere quod agitur, quam quod simulatè
concipitur;* arbitratus fui in fauorem Car-
13 cerati, maximè cum in arbitrio Iudicis sit
intra quod tempus præsumatur quis legem
latam sciuisse; ad ea, quæ tradit idem *Me-
noch.*

14 *noth. dicto casu* 186. *in princ.* Et ignorantiam probabilem esse, vel non, Iudex arbitrari debeat, vt dicit *Cabal. resol. Crimin. cas.* 56. *num.* 60. & sic ipse Carceratus absolutus, & liberatus extitit.

ARGVMENTVM.

PEcunias recipiens vt ad alium transferat, si non transfert furtum committit.

SVMMARIVM.

1 *FVrtum committit, qui pecunias ad alium transferendas recipit, & non transfert; & num.* 4.
2 *Numeratio pecuniæ dominium illarum in recipientem transfert.*
3 *Furtum in re propria committi non potest, cum sit contrectatio rei alienæ.*
4 *Pecunias ad alium portandas recipiens, illasque non consignans, furtum committit.*

SINGVLARE CCXVI.

1 QVærelam furti admisi contra quendam, qui receperat nonnullas pecunias, vt ad alium transferret, & postea non transtulerat, immò in proprios vsus illas verterat, ad hoc enim sunt textus expressi in *l. Si is, cui Cod. de furt. & in l. Si mandauero*, la seconda §. *Si tibi centum ff. mand.*

2 Nec in contrarium facere existimaui, quod constabat dictas pecunias fuisse receptas numeratas, & sic in dominium recipientis translatas, ac proinde furto non
3 subiectas, ex quo furtum in re propria committi non potest, cum sit rei alienæ contrectatio, ad tradita per *Bart. citatum per Iasonem, in l. Quas verò ff. Si cert. petatur col.* 3. Quia nimis subtilis, & metaphysica mihi visa fuit doctrina *Bartoli*, dum consideraui, quod etsi vera sit, & quod proinde illarum pecuniarum, vt suprà consignatarum contrectatio dari non valeret, & furtum induci nequiret, tamen saluari non poterat, quod fraus non adesset in illarum æquiualenti, quod omninò recipiens tempore debito exbursare tenetur: vnde etsi in casu relato per *Iasonem*, in quo fuit propter id suspensus quidam iuuenis, dicta doctrina *Bartoli* allegata fuisset, credidi quod non releuasset, stante maximè textu in *dicta l. Si mandauero*, vbi casus figuratur in numero centum, & sic numera-
4 tio supponi videtur, & nihilominus furtum esse statuitur, & pròut ita esse latè firmat *Farin. cons. Crim.* 178. respondens ad ea, quæ in contrarium deduxit *Guazziman.*

ARGVMENTVM.

MOnetam tingens ita vt ex argentea appareat aurea, & illam expendens, si non docet, à quo illam habuit, pœna arbitraria etiam triremium est puniendus.

SVMMARIVM.

1 *MOnetam auro tinctam, vel alias falsam expendens est inditiatus ad torturam, quod illam falsificauerit, si non docet à quo illam habuit.*
2 *Statutum, seù localis constitutio interpretari debet, vt quominus fieri possit ius commune lædatur.*
3 *Pœnalia sunt restringenda.*
4 *Monetam tingens, si liber homo est, damnatur ad bestias; si verò seruus vltimo supplicio afficitur.*
5 *Pœna arbitraria successit loco pœnæ damnationis ad bestias.*
6 *Pœna deportationis esset subroganda pœnæ damnationis ad bestias; sed non est in vsu.*
7 *Pœna damnationis ad bestias subrogari debet pœna triremium in perpetuum, vel ad tempus; item pœna exilij, vel similis secundum qualitatem facti, & personæ.*

SINGVLARE CCXVII.

COndemnandus erat in contumacia quidam, qui cum monetam argenteam auro tinctam expendisset, citatus non com-
1 parebat ad docendum, à quo illam habuisset, & sic remanebat inditiatus ad torturam, tanquam quod illam tinxisset, ad ea, quæ tradit *Cabal. resol. crim. cas.* 199. *numero* 9. & 10.

Dubitaui propterea de pœna, & prima facie stante constitutione, quæ in loco de-

licti

licti vigebat, ad vltimum supplicium condemnandus videbatur. Verùm cum constitutio non de tinctura, sed de fabricatione tractaret, tenui quod non esset exten-
2 denda, cum in similibus interpretandum sit, vt quominus fieri possit ius commune lædatur, *Rota in recens. parte 2. tom. 1. decis.*
3 461. *num.* 4. Et maximè in pœnalibus, in quibus restrictio fieri debet, *Bartol. in l. 2. in fine ff. Qui petant tutores.*
4 Quia autem de iure communi monetam tingens condemnandus est pœna damnationis ad bestias, si liber homo est, & si seruus, pœna vltimi supplicij, vt est textus clarus in *l. Quicumque ff. ad l. Cornel. de fals.* cum versaret in casu hominis liberi, tenui esse locum pœnæ arbitrariæ, cum re vera
5 pœna arbitraria successerit loco pœnæ damnationis ad bestias, vt in terminis, & ex pluribus tenet *Cabal. resol. crim. cas.* 191. *num.* 3. *& sequentibus*, reiecta opinione illorum, qui eidem subrogatam credunt pœnam capitalem, cum re vera, vt obseruat ipse, ista pœna damnationis ad bestias non sit capitalis, cum subijci bestijs sit quidem ad deuorandum, sed damnari ad bestias sit ludi causa.

Attenta itaque qualitate facti, & vilitate personæ, arbitratus sui pœnam triremium per quinquennium, maximè, quia
6 pœna deportationis, quam condecentem in tali casu indicat *Cabal. vbi suprà, num.* 5. non est in vsu, sed vt tradit *Clar. in pract.*
7 *crim. quæst.* 67. *num.* 8. eidem subrogata remanet pœna arbitraria triremium scilicet in perpetuum vel ad tempus, vel exilij, vel huiusmodi secundum qualitatem delictorum; & sic sententiam tuli.

ARGVMENTVM.

FVrem fugientem occidens, si ipse fur telo non resistat, vt furata non restituat, pœna extraordinaria est puniendus.

SVMMARIVM.

1 *FVr fugiens, & telo non resistens, vt furto ablata non restituat, impunè occidi non potest.*
2 *Iracundiæ inconsultus calor, qui doli vitio caret, à pœna ordinaria excusat.*
3 *Credulitas in delictis excusat.*
4 *Pœna extraordinaria in homicidio præmeditato, ex aliqua tamen causa commisso, non est pecuniaria, sed triremium.*

SINGVLARE CCXVII.

VT muneri meo satisfacerem votum dedi, quod quidam, qui alium cum rebus sibi furatis aufugientem ictu bellici tormenti interfecerat, esset quidem in contumacia condemnandus, sed in extraordinariam, non in ordinariam homicidij
1 pœnam, quia occisus vt furto subtracta non restitueret, telo non resistebat, & pròut requirebatur, vt impunè posset occidi, vt de communi docet *Clar. §. Homicidium*
2 *num.* 38. & quia ex altera parte Occisor ex inconsulto iracundiæ calore, qui doli vitio caret, & quo calore ad id moueri potuit, dum videbat sibi bona auferri, à pœna ordinaria videbatur excusandus, *Farin. cons.* 2. *num.* 10. & maximè cum potuerit
3 credere, quòd id sibi liceret, & credulitas in delictis excuset, ad latè tradita per *Aym. cons.* 88. *num.* 6. *relatum per Farin. cons.* 65. *num.* 25.

Quia autem ista non videbatur rixa, sed aliquo modo casus præmeditatus, cum Occisus iam discessisset, & longè abesset à domo furti, in qua Dominus postea superuenit, & de furto informatus fugientem insecutus fuit; dixi non in pœnam extraordi-
4 nariam pecuniariam, sed triremium condemnandum, ad ea, quæ tradit *Farin. de pœnis temperan. quæst.* 96. *num.* 53. *&* 58. & maximè cum talis pœna per quinquennium esset in bannimentis comminata propter simplicem explosionem tormentorum bellicorum, & sic per quinquennium ad eandem pœnam condemnandum esse fuit resolutum, & per me executum.

ARGVMENTVM.

ASsassini, seù sicarij auxiliator extraordinariè torqueri non potest, nisi prius clarè constet de qualitate assassinij.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Assassinij auxiliator modis exquisitis torqueri potest.*

2 *Auxiliator eadem pœna, qua principalis tenetur.*

3 *Assassinij qualitas clara esse, & de illa dubitari non debet, vt Index iuris ordine non seruato in crimine assassinij procedere valeat.*

SINGVLARE CCXIX.

DVbitabatur, an quidam carceratus grauiter inditiatus de prætenso auxilio dato cuidam homicidæ, qui prætendebatur
assassinus, seu sicarius, posset torqueri mo-
1 dis exquisitis, & prout ita torqueri posse in
crimine assassinij tradit *Giacchar. ad Clar. in
pract. crim. §. fin. quæst.* 84. *sub nu.* 35. *vers.
Item debet Iudex litera* T. Data enim qualitate assassinij in principali delinquente,
non dubitabatur, quod eiusdem qualitati
2 esset obnoxius & ipse auxiliator, cum auxiliator eadem pœna teneatur, qua principalis tenetur, maximè si præcessit tractatus, & prout in tali casu præcessisse prætendebatur, *Clar. vbi suprà quæst.* 9. per totam, & præcipuè stantibus Bannimentis, quæ ita disponebant; sed dubium erat, an dicta qualitate adhuc plenè non probata in principali mandatario, & in mandante, sed solum grauissimis inditijs prætensa, posset, vt suprà, procedi contra prædictum auxiliatorem.

Fui in voto quod non, & quod necesse esset prius condemnare non solum ipsum mandatarium, sed etiam mandantem. Considerabam enim, quod clarè non potest dici mandatarius non constito de mandante, & quod solum per sententiam clarè hæ qualitates resultare poterant, & ita fuit
3 factum; Iudex enim in crimine assassinij
non procedit iuris ordine non seruato, nisi clarè constet de qualitate assassinij, & de qua dubitari non debet, ad tradit per *Mascar. de probat. Concl.* 137. *& per Farin. de special. in crimine assass. quæst.* 123. *num.* 35. *&* 54.

ARGVMENTVM.

CAptura prò debito merè ciuili in domo propria debitoris, contra eundem neque cum mandato suspicionis fugæ de iure committi potest; secus prò criminali.

SVMMARIVM.

1 *Domo ex sua nemo extrahi debet.*

2 *Domus sua cuique est tutum refugium.*

3 *Domum debitoris creditor ingrediens iniuriam illi facit.*

4 *Captura facta de debitore ciuili in eius domo propria est nulla; sed contra.*

5 *Suspectus de fuga in diebus festiuis capi potest.*

6 *Captura prò debito ciuili in die sacro non prohibetur in iure.*

7 *Festiuis diebus iudicialia tractari non debent.*

8 *Captura in domo prò debito ciuili, quod à criminalitate descendit, videtur subsistens maximè si cum mandato suspicionis fuga fiat.*

9 *Statuta frustratoria, & superflua non sunt ditenda.*

SINGVLARE CCXX.

CVm fuisset quidam captus in domo propria vigore mandati suspicionis fugæ, fuit dubitatum de validitate capturæ, cum
1 nemo de domo sua extrahi debeat, *l. Plerique, de in ius voc. l. Nemo de domo ff. de reg.
2 iur.* domus enim cuique est tutum refu-
3 gium, & fit iniuria debitori, si se inuito
creditor domum ingrediatur, *l. Qui domum, de Iniur. & fam. libel*, vnde *Cagn.* qui alios refert, dicit communem opinionem
4 esse, quod tali casu captura sit nulla, *in l.
Vinum Si cert. pet.* & latè tradit *Bero, cons.* 11. *in* 3. *vol.* Quamuis enim *Iason in dicta l. Vinum*, contrarium sentiat arguendo de tem-
5 pore ad locum, & dicendo, quod die sacro capitur suspectus debitor, *Glos. in l. fin. Cod. de fer. & ibi Doctores*, tamen argumen-
6 tum subsistere non posse videbatur. Primò, quia specialiter in iure non prohibetur,
7 quos quis in die sacro non capiatur, sed tantum, quod in diebus festis iudicialia non tractentur, & ideo correctio istius regulæ generalis inducta per Doctores quoad casum in iure non expressum, non videbatur inducenda quoad casum specialiter in iure prohibitum, prout est, quod quis in domo non capiatur. Secundò, quia est

longè diuersa ratio inter istos duos casus, cum die feriato quis possit tutè ad confines accedere, & sic manus curiæ euadere, quod non potest, qui domi se continet, & prout considerat similibus rationibus *Laderch. qui cons.* 148. latè hanc materiam tractat.

8 Verùm in casu, de quo agebatur, contrarium fuit resolutum: tum quia debitum, ob quod captura fuerat commissa, originem trahebat à criminalitate, eiusque naturam sapere videbatur: tum quia aderat & statutum, quod prohibebat capturam tam in diebus sacris, quam in domo, nisi aliter ex verisimilibus inditijs fugæ Iudici videretur. Deducebantur enim inditia prædicta valdè vrgentia, & non videbatur, quod tradit *Laderch. vbi suprà*, posse subsistere circa prædictam limitationem, nisi aliter iudici videretur, dicendo, quod ipsa limitatio referri deberet ad dies sacros tantum, quia alias superfluum fuisset dicere in statuto, quod capi non posset domi, cum, vt supradictum est, in iure sit clarum, quem

9 domi capi non posse, & statuta frustratoria, & superflua non sint dicenda, ad tradita per *Grat. discept. foren. cap.* 685. *num.* 10.

ARGVMENTVM.

MVlier sciens, & non reuelans tractatum homicidij committendi in eius virum ab illo, qui secum adulterium committit, excusatur, si ex detectione adulterij sibi periculum imminet.

SVMMARIVM.

1 *REuelare qui tenetur, si non reuelat, dolosus præsumitur.*

2 *Reuelare qui tenetur non præsumitur dolosus, & pœna doli non est obnoxius, si id non facit ob periculum, quod sibi ex reuelatione imminet.*

SINGVLARE CCXXI.

AGebat fiscus contra quandam mulierem, tanquam culpabilem de dolo, ex quo sciuerat tractatum mortis in eius vi-

1 rum illatæ, & non reuelauerat; qui enim reuelare tenetur, & non reuelat, dolosus præsumitur, ad relata per *Rolan. cons.* 88. *num.* 21. *vol.* 2.

Quia tamen animaduerti, quod si ipsa talem tractatum reuelasset, necessariò adulterium, quod cum illo, qui occiderat, committebat, detegisset, vel saltem vehementissimam suspicionem de illo dedisset, ex quo tractatus occidendi erat, vt ipsa mulier soluta euaderet, & nuberet Adultero, contra quem iam maritus de adulterio sus-

2 picabatur; excusandam dixi à pœna doli, cum quando in reuelatione est periculum reuelanti (& pròut erat grauissimum in casu, de quo tractabatur, ob vindictam, quam forsan maritus contra vxorem fecisset) non præsumatur dolus, nec pœna doli imponenda veniat, ad tradita per *Seysel. in l. Qui accusare, in princ. Cod. de eden. & in l. Vt vim, col. antepenul. in vers. Istis enim relatum à Rolan. vbi suprà.*

Excusabatur itaque. Verùm, quia postea fuit compertum, & ipsam neci viri operam dedisse, præsentemque fuisse, fui cum alijs in voto, quod vltimo supplicio esset punienda, & sic seruatis seruandis capite plexa fuit; dum Princeps impulsum amoris, quamuis libidinosi, animo reuoluens, misertus eiusdem mulieris florescentis ætatis, iam iam humanæ fragilitati indulgendo, ad gratiam vitæ, etsi non alterius pœnæ, inclinabat.

ARGVMENTVM.

OFficialis dum processatur de crimine, quo probato, officio veniret priuandus, si grauiter est indiciatus, ab officio suspendendus venit.

SVMMARIVM.

1 *OFficialis ab officio suspendendus est dum processatur prò crimine, quod officij priuationem importat, dummodo tamen de ipso crimine iam sit grauiter indiciatus, & quare.*

2 *Officialis suspendendus est ab officio in casu præmisso, etiamsi sit in statu suarum defensionum, & quare.*

3 *Officialis suspendendus non est ab officio in casu præmisso, si leuia contra ipsum vrgeant inditia, & quare.*

4 *Suspensio, seu remotio ab officio dedecus est.*

SIN-

SINGVLARE CCXXII.

PEndente iudicio criminali contra quendam Officialem prætextu quarundam extorsionum in officio commissarum, & quibus probatis, officio erat priuandus; quærebatur, an interim esset suspendendus, stante quod erat circa easdem grauiter indiciatus, & fuit resolutum quod sic, ad tradita per *Cappel. Tholos. quæst.* 371. *nu.* 1. latèque per *Vincent. de Franch. decis.* 8. *per totam*, per *Sanfelic. decis. Neapol.* 61. per *Capiblanc. de iure, & offic. Baron. pragm.* 5. *num.* 77. & per *Mastrill. de Magistr. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 45. *& seqq.* Et quidem meritò, cum alias, vt dicit ipse *de Franch. ex Paride, de Syndic. vers. Accusatus*, Officialis existens in officio testes terrere posset.

2 Vlterius quamuis causa iam esset instructa, & nihil remaneret, quam vt Reus se defenderet, tamen fui in voto, quod adhuc suspendendus esset ab officio, per ea, quæ tradit *Gabriel Berart. in suo specul. visit. cap.* 7. *de suspens. & carcerat. Official. pendente*
3 *inquis. num.* 2. *&* 6. vbi dicit, quod Officialis non est suspendendus, nisi plenè per testes probaretur plura per Officialem grauiora delicta commissa fuisse, & à quibus vix se defendere posset, & sic supponit, quod iam causa sit instructa, & quod nihil aliud supersit, quam vt Reus se defendat.

Nec mihi visum fuit obstare, quod ipse *de Franch. dicta decis.* 8. *num.* 7. ab hoc dissentiat, quia ratio terrendi testes non minus militat dum fabricatur processus defensiuus, quam dum fabricatur informatiuus, cum territio (vt ipsemet *de Franch.* præmittit *sub num.* 3.) versari possit nedum in faciendo, quod testes veritatem non dicant, sed etiam, vt mendacium proferant, quod propriè defensionem respicit, & sic fuit executum, stante grauitate indiciorum, cum alias ita non videretur faciendum, quia propter leuitatem inditiorum timor territionis non adesset, vel saltem talis,
4 quod inducere posset remotionem ab officio, quæ dedecus est, *Glos. fin. in l. Testamento Centurio ff. de manu. testa.*

ARGVMENTVM.

REpertus cum re furtiua in alio loco, quam in eo, in quo furatus est, ibidem puniri potest, cum exilio tamen relaxari solet.

SVMMARIVM.

1 *FVr repertus cum re furtiua in alio loco, quam in eo, vbi furatus est ibidem puniri potest, & quare; sed contra num. seq.*
2 *Fur repertus cum re furtiua in alio loco, quam in eo, vbi furatus est, ibidem puniri non debet, sed cum exilio est relaxandus.*

SINGVLARE CCXXIII.

CArceratis quibusdam cum rebus furtiuis alibi furatis, dubitabatur, an possent ibidem puniri, & videbatur dicendum,
1 quod sic, per ea, quæ tradit *Foller. pract. crim. verb. Et si confitebuntur num.* 221. *pag.* 312. ad resolutiones reiteratas *cons. Neapol. & de quibus in decis.* 104. *Capiccij*, vbi canonizatur prò vera doctrina *Bartoli*, saltem in practica. Ipse enim in *l. Si dominum ff. de furt.* dixit, quod captus, seù repertus cum re furtiua in alio loco, quam in eo, in quo furatus est, potest ratione nouę contrectationis ibidem puniri. Et quidem ego eram in tali voto, cùm eo ipso, quod fur rem furtiuam defert, non possit negari, quod actualiter non sit fur.

2 Verùm in contrarium plura cumulantibus *Farinac. de inquis. quæst.* 7. *num.* 7. & *August. ad Angel. de maleficijs in verbo Vestem Cælestem, num.* 16. qui allegat exemplum vnius, qui cum furatus fuisset Mantuæ, & captus cum re furtiua Ferrariæ, fuit dimissus; ipsi Carcerati, stante etiam renuncia partis iam satisfactæ, fuerunt cum exilio relaxati, & pròut in similibus relaxandos esse suadet *Farin. vbi suprà*, ad tradita per *Clar. in sua pract. crim. quæst.* 38. *vers. Tu scis in fine.*

ARGVMENTVM.

DElictum ex diuturnitate temporis mitius punitur, & tantò magis si Reus est senex.

SVMMARIVM.

1 *DElictum spatio viginti annorum præscribitur.*

2 *Delictum ex diuturnitate temporis mitius punitur,*

3 *Diuturnitas ad minuendam pœnam dicitur spatio octo, vel decem annorum,*

4 *Delictum quarè ex diuturnitate temporis mitius puniri debet,*

5 *Senex ætatis miseratione mitius puniri debet.*

SINGVLARE CCXXIV.

CVm puniendus esset quidam ob delictum iam ad annos decem retrò commissum, fui in voto mitius cum eo agendum, pœnaque tantum extraordinaria ple-
1 ctendum esse. Quamuis enim delictum non
videatur præscribi nisi spatio viginti annorum, vt tradit *Farin. de inquisitione quæst, 10. num. 84. & Antonin. Thesaur. decis. Pedemont. 76. per totam*, non est tamen, quod
ex diuturnitate temporis mitius puniri
2 non debeat, vt ex ijsdem habetur, & diu-
turnitas in hoc casu benè ex octo, vel de-
3 cem annis resultat vt de communi subdit
idem *Farin. num. sequenti*; vltra quod & op-
tima ratione suaderi videtur, si considere-
4 tur, quod Reus in tam longo tempore iam
est aliquo modo punitus, pœna scilicet exilij, si absfuit, vel pœna timoris, & periculi si præsens fuit.

Sic itaque practicatum extitit, tantò ma-
5 gis, quod Reus ipse erat senex, & proinde
in eo ætatis miseratione pœna minuenda videbatur, *l. Auxilium §. In delictis ff. de minor.* Quamuis enim hæc lex loquatur de minoribus, tamen optimè procedere videtur, & in senibus, si est verum, quod bis pueri senes.

ARGVMENTVM.

FIlia contra matrem in testem admittitur in causa adulterij, in qua veritas aliter haberi non potest.

SVMMARIVM.

1 *TEstes ascendentes, & descendentes, nec etiam volentes contrà seipsos ad testificandum admittuntur.*

2 *Testes consanguinei, & affines ad testificandum non possunt cogi, sed tantum volentes admittuntur.*

3 *Ascendentes, & descendentes ad testificandum contrà se ipsos admittuntur in casu, in quo veritas aliter haberi non potest.*

4 *Veritatem aliter haberi non posse sufficit à communiter accidentibus, nec requiritur, quod sit omninò impossibile, vt testes non admittendi admittantur,*

5 *Ascendentes, & descendentes admittuntur ad testificandum contra se ipsos, quando tractatur de correctione, & prohibitione peccati,*

6 *Consentiens in aliquam depositionem testis non admittendi ipsam depositionem validat.*

7 *Volenti, & consentienti non fit iniuria.*

SINGVLARE CCXXV.

EXaminata filia contra matrem in causa adulterij, querebatur an aliquam fidem
1 faceret, cum sit textus apertus in *l. Parentes Cod. de testibus*, quod ascẽdentes, & descendentes, nec etiam volentes, contra se ip-
2 sos admittantur ad testificandum; & cum
regula, qua fertur affines, & consanguineos ad testificandum non posse cogi, sed tantum volentes posse admitti, non verificetur in parentibus, & filijs propter dictum textum, vt tradit *Farin. de test. quæst. 54. num. 175.*
3 Tenui tamen quod sic, quia casus erat,
in quo veritas delicti aliter haberi non poterat, ad tradita per *Farin. vbi suprà, num,*
4 171. & sufficiebat, quod à communiter
accidentibus alij testes haberi non possent, nec requirebatur quod esset impossibile alios testes haberi, ad tradita per *Gabr. Conclusione 8. de test. num. 6.* Adulterium enim supponebatur sequutum de nocte in domo matris, vbi ipsa filia commorabatur.
5 Vlterius cum casus coram me in Curia
Ecclesiastica versaretur circa correctionẽ, & prohibitionem peccati, & Maritus instaret, vt saltem vxor corrigeretur, videbatur ritè filia admissa, ad deducta per *Mascard. Concl. 1148. num. 16.* Et maximè cum mater iam habuisset testes examinatos per curiam pro ritè, & rectè examinatis, & de nullitate depositionis filiæ non di-
6 xisset; elici enim ex hoc videbatur eius con-
sensus, qui depositionem ipsam validare

po-

potest, vt tradit *Farinac. dicta quæst.* 54. *de*
7 *test. num.* 176. & meritò, cum volenti, & consentienti iniuria non fiat.

Prò modo itaque inditiorum, tam ex depositione prædicta, quam ex alijs resultantium, in pœnam extraordinariam annalis carceris damnata fuit, eandemque pœnam & assertus adulter luit.

ARGVMENTVM.

VErbum, *vindicare*, intelligi debet de iure, & non de facto, ad exclusionem delicti.

SVMMARIVM.

1 V*Erbum (vindicare) vt delictum excludatur, de iure intelligi debet.*
2 *Verba intelligenda sunt secundum iustitiam, vt delicta excludantur.*
3 *Vindicta, secundum communem vsum loquendi, intelligitur de ea, quæ fit auctoritate propria.*
4 *Probationes in criminalibus debent esse luce meridiana clariores.*
5 *Verba circa vindictam prolata per solitum ex se, vindictas facere intelliguntur de facto, & non de iure.*

SINGVLARE CCXXVI.

FIscum fundantem se in quibusdam verbis per prætensum Reum prolatis, tanquam ex illis animus se vindicandi resultaret, iu-
1 dicaui non esse audiendum, cum idemmet verbum (*vindicare*) de facto, & de iure intelligi possit, & vt delictum excludatur de iure sit intelligendum, vt & se assertus Reus intellexisse asserebat, *Guliel. de Cunio, per Glos. ibi in l.* 1. *Cod. de his, quibus vt indig.* quem sequuntur communiter *Doctores, in l. Vxor. Cod. Qui accus. non poss.* vt tradit *Farinac. de ind. & tort. quæst.* 50. *num.* 18.
2 Quod enim secundum iustitiam, & mediante iustitia veniant intelligenda verba prolata, vt delictum excludatur, tradit præcipuè *Natta cons.* 42. *num.* 3. *tom.* 1.
3 Nec facere tenui, quod hanc communem opinionem impugnet *Paris de Puteo in tract. de Syndic. in verbo Tortura cap.* 6. *num.* 1. & 2. contrariamque veriorem asserat, præcipuè cum vindicta secundum communem vsum loquendi intelligatur de ea, quæ fit auctoritate propria, & non
4 de ea, quæ fit a Iudice; quia si est verum pròut est verissimum, quod in criminalibus probationes debent esse luce meridiana clariores, *Farin. de Indit. & tort. quæst.* 37. *num.* 3. dubium prò claro adduci non posse
5 satis apertum videbatur, & maximè quod persona, de qua tractabatur, non habebatur prò solita facere vindictas ex se, quod est medium quo vtitur *Farin. vbi suprà, nu.* 22. ad conciliandas has opiniones.

ARGVMENTVM.

POsitionibus respondendo peierans solum Deum habet vltorem.

SVMMARIVM.

1 I*Vramentum præstitum circa positiones solum Deum habet vltorem.*
2 *Periurus in respondendo positionibus nec extra ordinem puniri debet, & quare.*
3 *Probationes non sunt sumendæ de domo Rei.*
4 *Iurans coactè in iudicio dicere veritatem, non peccat si eam non dicit, si legitimè non interrogatur.*

SINGVLARE CCXXVII.

QVærelare volentem quendam ex eo, quod positiones quasdam negando pe-
1 ierauerat, non admissi, cum & circa positiones iuramentum præstitum solum Deum habeat vltorem, ad tradita per *Menoch. de arbitr. iud. lib.* 2. *Cen.* 4. *cas.*
2 319. *num.* 29. *& seq.* Et quamuis *Baiar. ad Clar.* §. *Periurium vers. Item quando*, dicat, quod periurus respondendo positionibus, extra ordinem puniatur, tamen plures au-
3 ctoritates adducit *Menoch.* & facit vulgata regula, quod probationes non sunt sumendæ de domo Rei. Si enim contra hanc regulam nimis durè introductum est, quod Reus positionibus Actoris, etiam nullis præcedentibus inditijs, respondere teneatur medio iuramento, & sic sub reatu animæ, durissimè extendendum non est, quod hoc facere debeat, & sub reatu corporis,
4 immò secundum ea, quæ tradunt Theologi

gi de Reo, qui non tenetur respondere veridicè Iudici iuridicè non interroganti, videtur dicendum, quod quando nulla præcedunt inditia, non teneretur positionibus respondere, & coactus videretur, quod posset tuta conscientia etiam cum iuramento illas negare, vtendo aliqua æquiuocatione, & forsan vt hoc subterfugium euitarent aliqua statuta declararunt, quod Reus positionibus respondere non teneatur, nisi per Actorem positionibus prius prò veris iuratis, præmittendo sic inditium iuramenti ipsius Actoris.

ARGVMENTVM.

PORtans arma, si cum illis non delinquit, delatione armorum per inquisitionem puniri non potest, & maximè si ex accidenti illa ferat.

SVMMARIVM.

1 *Arma prohibita ferens punitur etiamsi cum illis non apprehendatur; sed contra num. 3.*
2 *Arma prohibita ferens punitur etiamsi cum illis non capiatur, si cum eisdem delinquit.*
3 *Arma ferens non punitur de æquitate, si cum illis non capiatur.*
4 *Cessante causa cessare debet & effectus,*
5 *Finis specificat actum.*
6 *Bonum, & malum in intentione, & intentione deliberata consistunt,*

SINGVLARE CCXXVIII.

PRætendebat Fiscus, quod quidam insultasset quendam cum armis prohibitis, & cum esset maior pœna delationis armorum, quam pœna insultus, instabat in dictam pœnam delationis armorum condemnari, quamuis cum armis non fuisset ap-
1 prehensus. Primò quia secundum aliquos de iure punitur, qui arma prohibita defert, etiam quod cum illis non apprehendatur, vt tradit *Menoch. de arbitr. lib. 2. cas.* 394. *num.* 42. Et habetur in *decis.* 55. *Peguer. in*
2 *fine.* Secundò, quia portans arma prohibita punitur ratione delicti cum ipsis commissi, etiam quod cum illis non capiatur, vt tradit *Sanfelicius in decis. suprem. Tribun. Neapol. tom.* 1. *decis.* 43. *nu.* 4. reddens rationem, & dicens, quod dictum Testis est indiuiduum, ad *Bal. in l. Nulla num. 6. ff. de legibus*, & sic inferens pariter in terminis insultus, quod testis non potuit deponere de insultu, quin deposuerit & de armis, concludit quod & de illis Reus sit puniendus,
3 In contrarium autèm considerabatur prò Reo, quod de æquitate non est puniendus prò delatione armorum, qui cum ipsis non capitur, & ita seruari testatur in magna Curia Vicariæ ipse *Sanfelic. vbi suprà*, & latè tradit *Farin. de var. & diuers. crim. quæst.* 108. *num.* 132. Secundò animaduertebatur etiam, quod insultus non
4 probabatur, & sic videbatur quod cessante causa, qua punitur etiam, qui cum armis non capitur, cessare deberet & effectus, qui est ipsa punitio, *Tiraquel. tract. Cessante causa; parte* 1. *num.* 11. *& seqq.* Tertiò tandem adducebatur, quod esto etiam, quod ipse Reus arma prædicta detulisset, & quod absolutè negabat, tamen hoc fecisset ex accidenti, cum ex informationibus in processu resultaret, quod arma prædicta accepisset ex quadam Apotheca ex improuiso, vt opem ferret cuidam socio, qui iam cum alijs rixabatur, & sic non posset considerari contrauentio Bannimento-
5 rum arma deferre prohibentium, cum fi-
6 nis specificet actum, & bonum, vel malum in intentione, & intentione deliberata resideant, vt notat *S. Thom. par. 2. q. 18. art.* 2. 4. *&* 8.

Vnde ex his ipsum non molestari mandaui Fiscoque perpetuum silentium imposui.

ARGVMENTVM.

PVblica vox, & fama non releuat, si causa, à qua ortum habuit, est leuis, vel dubitari potest, quod ortum habuerit à maleuolo, vel offenso.

SVMMARIVM.

1 *Publica vox, & fama vt subsistat, probari debet cum suis requisitis, & de quibus remissiuè.*

2 Pu-

2 *Publica vocis, & fama causa probari, & non leuis esse debet, vt ipsa publica vox, & fama indicium facere valeat.*

3 *Publica vox, & fama à maleuolo, & suspecto ortum ducens non probat.*

4 *Publica vox, & fama vt non dicatur subsistens, sufficit probare in contrarium, quod maleuolus, seù offensus, vel offensi affinis in pluribus, & diuersis partibus Ciuitatis dixerit delictum fuisse commissum ab illo contra quem ipsa publica vox, & fama inducitur.*

SINGVLARE CCXXIX.

QVidam inquisitus, & carceratus, vt se defenderet à quadam publica voce, & fama, quam de quodam delicto contra ipsum probatam fuisse prætendebat fiscus; opponebat, quod esto quod dicta fama contra se probata esset cum omni-
1 bus suis requisitis, & de quibus per *Foller. pract. crim. in rubr. Deutur capitula, quod suffocauit vxorem nu. 17. & seqq.* & per *Farin. quæst. 47. num. 208. & sequenti*, tamen non erat attendenda, quia causa, indicium, seù præsumptio, ex qua testes rationem reddentes ortum habuisse dictam famam
2 asserebant, non probabatur, sicuti probari debebat, vt dicit *Foller. vbi suprà*, & quatenus probaretur erat ita leuis, quod & famam nullius momenti esse ostendebat.

An enim fama etiam sufficienter probata faciat indicium, & quale, pendet à consideratione indiciorum, seù præsumptionum, ex quibus fama ortum duxit, vt dicit *Bart. in l. de minore §. Plurium quoque ff. de quæstio.* & refert *idem Foller. vbi suprà n. 28.*

Addebat vlterius, quod ipse probaueerat, quod ille, qui quærelam porrexerat, & offensum se dixerat, in pluribus, & diuersis locis, ac pluribus, & diuersis personis dixerat, quod ipse inquisitus delictum (de quo postea fuit inquisitus) commiserat, & sic prætendebat, quod fama prædicta ab ipsomet quærelante origi-
3 nem traxisset, & proinde tanquam à maleuolo, & suspecto procedens non esset attendenda, per ea, quæ tradunt *Bart. & Marsil. num. 44. in dicto §. Plurium*; non enim requiritur probare præcisè, quod fama ortum habuerit à maleuolo, seù offen-
4 so, sed sufficit probare, quod maleuolus, seù offensus, vel offensi affinis in pluribus, & diuersis partibus Ciuitatis dixerit delictum fuisse commissum ab illo, qui postea inquiritur, vt dicit *Foller. vbi suprà nu. 35.* & quod meo iudicio est magnæ considerationis dictum, cum alias de hoc inditio publicæ vocis, & famæ tanquam dubio nullatenus esset fidendum, ex quo est certum, quod vt inditia saltem sufficiant ad torturam debent esse indubitata, & certa, vt tradit *Farin. de indit. & tort. quæst. 37. num. 6. & sequentibus.*

Prædictis itaque omnibus benè consideratis, ego inquisito detuli, & contra ipsum ex dicta publica voce, & fama non esse insistendum iudicaui, eundemque excarcerari mandaui.

ARGVMENTVM.

EXtrahentes extrahi prohibita ab aliquo loco, vt ad alium locum eiusdem status accedant, puniri non debent, si consuetudo ita faciendi vigeat.

SVMMARIVM.

1 *EXtrahens per transitum pœnas extractionis non incurrunt.*

2 *Extrahentes etiam per transitum in statu Mediolani de consuetudine puniuntur.*

3 *Extractio per transitum quomodo intelligenda.*

4 *Extrahens ab vno loco, vt transeundo per statum alienum portet bona ad alium locum status extractionis, puniendus videtur, etiamsi cogatur in dicto statu alieno eadem bona relinquere, & quare.*

SINGVLARE CCXXX.

CApti quibusdam in flagranti extractionis quorundam Bouum extra statum Ecclesiasticum contra formam sacrarū constitutionum, & præcipuè *Bullæ XXXXVIII. Clem. Octaui, LIII. Greg. Decimi tertij, & XXVIII. Vrbani Octaui*; illisque fassis, quod extrahebant tantum per transitum, cum essent personæ status Ecclesiastici, & re vera illa esset via, quæ per statum alienum ducebat recto tramite, & breuius ad ipsorum domum, necnon cum probassent, quod com-

communiter ita fiebat ab omnibus, qui ani-
malia, & similia conducebant à loco, à quo
ipsi recedebant, & ad quem accedebant,
stante eorum bona fide eosdem absolui,
Bouesque eisdem restitui mandaui, iniun-
cto tamen, quod fideiuberent, de condu-
cendo boues ad locum destinatum in statu
Ecclesiastico pròut fecerunt, & iniuncto
etiam eisdem præcepto ne cum dictis Bo-
bus exirent confinia status Ecclesiastici, ne
prò licito approbarem, quod tam pericu-
losum esse videbatur.
1 Quamuis enim non incurrant pœnas
extractionis, qui per transitum extrahunt,
vt omnes tenere refert *Clarus pract. crim.*
quæst. 82. *num.* 35. *seù num.* 3. *sub Statuto* 7.
2 *eiusdem quæstionis*; tamen de consuetudine
in statu Mediolani seruari subdit contra-
rium. Et quidem rectè, cum alias de facili
fraudes committi possint, vt consideranti
3 patet; & quod plus est forsan non loquitur
ipse Clar. de transitu, quem extrahentes in-
tendunt facere per statum alterius Princi-
pis, vt postea in eodem statu, à quo fit ex-
tractio, se recipiant; sed de transitu quem
extrahentes de statu alieno intendunt face-
re, vt pariter ad statum alienum accedant,
quod de consuetudine non permitti ab-
sque licentia animaduerti etiam in aliqua
parte status Ecclesiastici, vbi fit particula-
ris diligentia circa introducenda per transi-
tum, ne introducens pauca extrahat multa.
Cum autem mirarer, quod re vera in
casu proposito omnes ita facerent, & quod
adhuc circa hoc prouisum non fuisset,
quasi quod fraudibus via lata tolleraretur,
mihi venit in mentem, quod adhuc hæ frau-
des reprimi possent, si ex inquisitione pro-
cederetur contra illos, qui conuicti de
transportatione, non probassent illam fe-
4 cisse de loco ad locum eiusdem status Ec-
clesiastici; & sic existimaui, quod conde-
mnari possent, etiam quod probassent,
quod transeundo per statum alterius Prin-
cipis, ab eodem Principe coacti fuissent in
dicto statu animalia, & similia relinquere,
cum extrahens sibi imputare deberet, ex
quo cum aliam viam per statum Ecclesia-
sticum facere posset, illam non fecisset.

ARGVMENTVM.

CAptus in flagranti delationis armo-
rum ex depositione satellitum
nonnisi ad torturam indiciatus, & admi-
niculis concurrentibus nonnisi ad ean-
dem grauiter indiciatus est censendus, &
sic saltem ordinariè non est puniendus.

SVMMARIVM.

1 *CAptus in flagranti crimine, ex deposi-*
tionibus capientium ad torturam indi-
ciatur.
2 *Captus in flagranti crimine ex depositionibus*
capientium, alijsque adminiculis videtur con-
uictus, & condemnandus.
3 *Nobiles torqueri de iure non possunt.*
4 *Pœna extraordinaria grauiter indiciatus pu-*
niri potest.
5 *Extraordinaria pœna ex præsumptionibus*
quis condemnari potest.

SINGVLARE CCXXXI.

NObilem Iuuenem, captum in flagranti
crimine dilationis tormenti bellici bre-
uioris mensuræ duorum palmorum, quam-
uis casus esset de re graui, immò grauissima,
1 cum pœna mortis prò tali delatione esset
comminata; indiciatum esse dixi ad tortu-
ram ex simplici depositione Birruariorum,
qui illum ceperant, vt ex communi senten-
tia, & practica docet *Clar. §. fin. quæst.* 8.
num. 2. & in terminis parui tormenti belli-
ci tradit *Vinc. de Franc. decis. Neapol.* 379.
2 & grauiter saltem indiciatum esse subiunxi,
ex quo ex sententia *Caballi resol. crim. cas.*
126. *num.* 1, 1. videbatur conuictus, & con-
demnandus, cum de flagranti contra ipsum
deponerent quatuor Birruarij, & eorum
depositio adminicularetur ex ijs, quæ idem-
met captus quasi fatendo, dixerat in prin-
cipio sui examinis, vt habetur ex sententia
eiusdem Caballi vbi suprà, in fine.
Verùm consideratis prò eius parte ad
defensam deductis, ex quibus præcipuè re-
sultabat, quod ob ægritudinem torqueri
3 non valebat: item, quod ob generis nobi-
litatem de iure torquendus non erat, vt est
textus in l. Nullus, Cod. ad leg. Iul. Maiest.
Con-

Conclusi, vel in aliquam pœnam extraordinariam, nobilibus consonam, condemnandum esse, cum grauiter indiciatus ita
4 puniri possit, ex quo & ex præsumptioni-
5 bus quis condemnari valet, sed mitiori, non autem ordinaria, & vera pœna delicti, vt tradit *Foller. in pract. crim. Rubr. Pœnis debitis feriantur num.* 59. Vel ad compositionem pecuniariam esse admittẽdum, & pròut, Principe sic annuente, fuit admissus, indulgenterque ob longam carcerationem, & ob suam in suo gradu paupertatem tractatus.

ARGVMENTVM.

PAce plenè non probata, de pace rupta punitio resultare non potest.

SVMMARIVM.

1 *COrpus delicti plenè probari debet.*
2 *Qualitas probari non potest non probata substantia, in qua ipsa qualitas fundatur.*
3 *Testis de auditu non probat, vbi verus sensus hominis requiritur.*
4 *Testis de auditu solam præsumptionem facit.*
5 *Testis vnicus etiam omni exceptione maior vnà cum præsumptionibus in criminalibus plenè non probat.*
6 *Fundamentum intentionis plenè probari debet, etiam parte non opponente.*

SINGVLARE CCXXXII.

CVm puniendus esset quidam de quodam delicto, instabatur per fiscum puniri & de pacis fractura, quæ ex ipso delicto resul-
1 tare prætendebatur; sed non audiendum dixi, quia pax, quæ loco corporis delicti stare debebat, plenè non probabatur, vt probari debebat, ad ea, quæ inter alios latè tradit *Farinac. de inquis. quæst.* 2. *num.* 6.
2 Ista enim qualitas pacis ruptæ nihil releuare poterat, si eius substantia, in qua fundanda erat, & quæ esse debebat ipsa pax, non probabatur, vt præmittit *idem Farin. num.* 1. *in fine.*

Quamuis enim vnus testis de illa depo-
3 neret ex facto proprio, tamen alij dicebant de auditu tantum, & sic vel non probabant, cum vbi verus actus hominis est probandus, probatio per auditum non sufficiat, vt tradit *Mascard. de probat. Concl.* 151. *num.* 2. Vel si probabant, ad summum
4 præsumptionem tantum faciebant, vt dicit *idem Farin. de indic. & tort. quæst.* 43. *num.*
5 164. Et sic non releuabant, cum in criminalibus testis vnicus etiam omni exceptione maior vna cum præsumptionibus plenè non probet, ad eundem *Farin. de oppos. contra pers. test. quæst.* 63. *num.* 35. & 36. Et tamen indubitatum videbatur, quod de dicta pace plenè constare deberet, cum esset fundamentum intentionis Fisci, & fun-
6 damentum intentionis plenè probari debeat etiam in ciuilibus, & etiam parte non opponente, ad passim tradita per Doctores, & maximè per *Grat. discept. forens. cap.* 135. *num.* 40. & 41.

ARGVMENTVM.

FVga sola non est indicium sufficiens ad torturam, & sic secundum aliquos nec ad inquisitionem transmittendam.

SVMMARIVM.

1 *FVga delinquentis facit indicium ad torturam secundum communem opinionem Doctorum; sed magis communis est, quod aliquid aliud ad id requiratur, vt num.* 3.
2 *Inquisitio potest transmitti ex leuioribus indicijs, quam possit tortura irrogari; secundum tamen aliquos eadem indicia ad vtrumque requiruntur.*
3 *Fuga sola delinquentis, secundum magis communem opinionem Doctorum, non facit indicium ad torturam.*
4 *Deliberatè non occidens tantum extraordinariè punitur.*

SINGVLARE CCXXXIII.

COntra quendam, qui complex in quodam homicidio prætendebatur ex fuga statim post commissum delictum arre-
1 pta, in contumacia procedendum dixi. Dato enim cum communi opinione Doctorum, & de qua per *Clar. in pract. crim.* §. *fin. quæst.* 21. *vers. fuga delinquentis.* Quod talis fuga faceret indicium ad torturam, vtique sufficiebat ad inquisitionem trasmittendam,

tendam, ad ea, quæ tradit *idem Clar. quæst. 20. vers. ad formandum, & Farin. de inquis.*
2 *quæst. 1. num. 45. & seq.* Cum ad inquisitionem transmittendam videantur sufficere leuiora indicia, quam ad torquendum, secundum *Farinac. vbi suprà, num.* 47. vbi dicit, quo in hoc nemo discrepat, quamuis *Clar. dicta quæst.* 20. *nu.* 3. dicat, quod secundum aliquos requirantur indicia ad torturam, vt inquisitio transmitti valeat.

3 Vlterius dato etiam cum magis communi opinione Doctorum, & de qua per *Curt. iun. in l. Admonendi, num. 49. ff. de iureiur.* quam sequitur *Farin. de indic. & tort. quæst.* 48. *num.* 7. Quod cum fuga requireretur aliquod adminiculum, vt induceretur indicium ad torturam, & sic indubitatè ad inquisitionem transmittendam, vtique & hoc non deesse videbatur, ex quo fuga, de qua tractabatur, fuerat à loco loci delicti, & vna cum ipso delinquente incontinenti post commissum delictum.

Verùm, quia videbatur posse reuocari in dubium, an respectu ipsius præcessisset
4 tractatus, siue deliberatio subiunxi solum extraordinariè puniendum, ad ea, quæ tradit *Clar. quæst.* 90. *per totam.*

Votum tamen meum non fuit approbatum, & nescio quarè, nisi forsan quia fuit tentum, quod eadem indicia requirantur ad inquisitionem transmittendam, quæ requiruntur ad torquendum, & quia fuit consideratum, quod adminiculum, quod adducebam, non erat quid distinctum ab ipsa fuga.

Resoluto itaque, quod tantum committeretur captura, ipsa commissa, cum exequi non potuerit, causam in suspenso reliqui.

ARGVMENTVM.

TOrtus non confessus condemnandus videtur in pœnam, qua condemnari poterat, si non fuisset tortus, vel saltem condemnari debet in aliquam pœnam extraordinariam, leuem tamen, si fuit sufficienter tortus.

SVMMARIVM.

1 *Tortus, & non confessus condemnandus videtur eadem pœna, qua condemnari poterat antequam torqueretur; sed contra num. sequenti.*

2 *Tortura, secundum magis communem, & magis obseruatam opinionem, purgantur nedum indicia indubitata, sed etiam plenæ probationes.*

3 *Tortus, & non confessus aliqua pœna extraordinaria plectendus venit; sed cum distinctione, vt numeris seqq.*

4 *Tortus in causa capitali, non tamen sufficienter, & nihil confessus adhuc condemnari potest in pœnam triremium.*

5 *Tortus etiam durissimè, & non confessus condemnari potest ad opus publicum.*

6 *Tortus sufficienter adhuc condemnari potest in aliquam pœnam extraordinariam leuem.*

7 *Tortus, & non confessus, si Iudex est informatus, quod sit malus, & timet quod deteriora sit commissurus, potest illum relegare, vel ad opus publicum condemnare.*

8 *Tormenta tempore non mensurantur, sed ex qualitate personæ, & criminis; aliquando vsque ad consumptionem corporis, citra tamen mortem inferri possunt.*

SINGVLARE CCXXXIV.

GRauiter indiciatus de quodam atroci delicto fuit seruatis seruandis tormento funis prius per dimidium horæ, & postea tormento vigiliæ per horas tredecim circiter tortus, & cum in negatiua perstitisset, fuit dubitatum an absoluendus, & liberandus, vel potius in aliquam pœnam condemnandus esset, & requisitus de voto, dixi,
1 quod ratione inspecta videbatur dicendum condemnandum fore in pœnam, qua condemnari poterat antequam torqueretur, ita vt si probationibus, vel vrgentissimis indicijs conuictus capitali pœna ante torturam fuisset obnoxius, eadem capitali pœna post torturam plectendus veniret; tormenta enim non inferuntur ad purganda indicia, sed ad veritatem habendam, alias sequeretur, quod id, quod est in fauorem Fisci introductum, retorqueretur in odium. Vltra quod absurdum esset dicere, quod depositio Rei negantis, & tam graue in causa

sa interesse habentis esset vera, & è contra, quod indicia, & testificata testium interesse non habentium essent falsa. Hanc ratiocinationem auctorizant *Gram. cons. 12. Foller. in sua pract. parte 4. tertia partis in verbo, Et si confitebantur num. 110. Baiar. ad Clar. quaest. 64. num. 16. & seq. ac alij relati per Farinac. de indic. & tort. quaest. 40. num. 5. & seq.*

2 Vt tamen tenuitati ingenij mei in ratiocinando non deferrem, dixi sequendam esse magis communem, & magis obseruatam opinionem, de qua testatur *Farin. vbi sup. nu. 6. 7. & 8.* scilicet, quod tortura purgantur nedum indicia indubitata, sed etiam

3 plenæ probationes; non tamen inde fieri subiunxi, quod tortus pœna extraordinaria plectendus non esset, ita enim limitat *idem Farinac. vbi suprà num. 11.* & sic reducto dubio circa qualitatem pœnæ extraordinariæ, fui in voto, quod si concluderetur

4 Tortum non fuisse sufficienter tortum, posse ipsum condemnari ad triremes, pròut alias in statu Ecclesiastico practicatum audiui cum quodam, qui pariter tormento vigiliæ non sufficienter tortus fuit ad triremes transmissus, intelligendo tamen de triremibus per quinquennium tantum, ne pœna extraordinaria post torturam esset eadem extraordinaria, quæ inferri poterat ante torturam; cum tortura aliquid prodesse debeat, ad *Farin. vbi suprà*: de practica enim huius pœnæ triremium in tali casu

5 testatur *Boss. de inquis. num. 30. & Paris de Puteo in tract. Syndic. in verbo Tortus cap. 10.* sentit, quod immò etiam durissimè tortus possit ad opus publicum condemnari.

6 Si autem concluderetur fuisse sufficienter tortum, dixi sentiendum cum *Farinac. vbi suprà*, scilicet condemnandum esse in

7 pœnam exilij, & si timeretur ipsum deteriora fore commissurum, posse relegari in aliquam arcem ad ibidem seruiendum cum solito stipendio arbitrio iudicare debentis. Vt enim dicit loco citato *Paris de Puteo*, si Iudex habet benè animum informatum, quod tortus sit malus, & quod si eum liberaret deteriora committeret, poterit ipsum relegare, vel ad opus publicum condemnare.

An verò fuisset sufficienter tortus, vel

8 non, tenui standum esse relationi eorum, qui interfuerunt, cum tormenta tempore non mensurentur; sed ex qualitate personæ, & criminis aliquando vsque ad consumptionem corporis, citra tamen mortem, inferri possint, ad *Brun. in tract. indicior. quaest. 5. princip. num. 186.* & ad tradita per *Negusan. in sylua Responsorum, & disput. quaest. 303. num. 56.*

Firmato itaque, quod sufficienter tortus fuerat, exulare iussus, relaxatus extitit.

ARGVMENTVM.

Fideiussor qui se obligauit præsentare Reum prò certa die etiam irrequisitus, interpellari non debet ad præsentandum, & ad plus requiritur solùm, quod ipso citato pœnam incursam fuisse declaretur.

SVMMARIVM.

1 *Fideiussor de præsentando Reum infra certum terminum, vel prò certa die, non tenetur ad pœnam, si ad id non fuit interpellatus; sed contra si se obligauit id facere etiam irrequisitus.*

2 *Pœna infertur absque declaratione Iudicis, si factum sit notorium, eiusque notorietas ex actis resultet; sed contra num. seq.*

3 *Declaratio Iudicis fortè requiritur etiam in notorio, quando tractatur de pœna.*

SINGVLARE CCXXXV.

Condemnato fideiussore eo quia Reum iuxta formam suæ obligationis prò die conuenta non præsentauerat, pœnam ipse declinare tentabat, dicendo, quod non

1 fuerat requisitus ad præsentandum, cum ad pœnam talis requisitio sit necessaria, etiamsi obligatio sit de præsentando intra certum terminum, vt plenè tradit *Mars. in l. Vnius §. Cognitum ff. de quaest.* quem sequitur *Foller. in frag. crimin. de fideius. num. 275.* & de communi etiamsi certa dies ad præsentandum statuta sit, tradit *Maur. de fideius. cap. 3. numero 89.*

In contrarium tamen faciebat, quod ipse se obligauerat præsentare prò certa die

etiam irrequisitus, & sic non solum requiri non debebat, sed absque eo, quod eidem
2 condonaretur pœna iam incursa requiri non poterat; immo cum notorietas facti resultaret ex actis absque vlla declaratione Iudicis pœna incursa erat censenda, per ea, quæ subdit *Maur. vbi suprà num.* 101.

Cum itaque (non obstante quod etiam cuicumque citationi renunciasset) ad abundantiorem cautelam fuisset citatus ad videndum declarari incurrisse in dictam pœ-
3 nam, per ea, quæ etiam in casu notorij tradit *Gabr. in suis Concl. de crimin. Concl.* 12. *num.* 3. *&* 4. Et ita iam per sententiam declaratum extitisset, ipsum non audiendum duxi, & ad vlteriora in executione procedi mandaui.

ARGVMENTVM.

Poena mortis ex arbitrio Iudicis imponenda, consulto, & annuente Principe imponi debet.

SVMMARIVM.

1 *Fvrtum committit, qui alienis rebus in alium vsum, quam in destinatum vtitur.*
2 *Furtum committit, qui pecunias prò effectu præciso traditas, sibi appropriat.*
3 *Furtis prò tribus pœna mortis imponi debet.*
4 *Furta per Depositarium, & similes personas commissa rigidè puniri non debere videntur.*
5 *Peculatus crimen circa res sacras, & publicas versatur.*
6 *Peculatus crimen pœna mortis punitur.*
7 *Peculatus crimen an committatur in furto rerum Ciuitatis Superiorem recognoscentis, est arbitrarium.*
8 *Arbitrium Iudicis ex qualitatibus, & circumstantijs delictum aggrauantibus, vsque ad mortis pœnam extendi potest.*
9 *Depositarius non excusatur dicendo, quod bona, quæ sibi appropriauit, volebat facere bona in computis, si id ei erat impossibile.*
10 *Pœna ex frequentia delictorum aggrauari potest.*
11 *Iudex, qui in imponendis pœnis habet arbitrium, arbitrium ipsum ad mortem extendere non debet nisi consulto, & annuente Principe, & quare.*

SINGVLARE CCXXXVI.

1 Pluribus, & magnis furtis commissis per quendam Administratorem, tum in vtendo rebus alienis in alium vsum, quam in destinatum contra *tex. clarum in §. furtum autem Inst. de oblig. quæ ex delict.*
2 *nasc.* Tum in appropriando sibi pecunias prò effectu præciso traditas contra *textum apertum in l. Si is Cod. de furt.*

Quærebatur, an contra ipsum pœnæ or-
3 dinariæ locus esset, ex quo etsi prò tribus furtis etiam leuibus pœna mortis veniat, secundum veram, communem, & obseruatam opinionem, de qua testatur *Cabal. re-*
4 *sol. crimin. cas.* 20. *num.* 2. Tamen furta commissa per Depositarium, & similes personas, rigidè puniri non debere videantur, ex magistraliter traditis per *Corneum cons.* 274. *num.* 6. *lib.* 3. Ac per alios, quos citat *Farin. quæst.* 169. *num.* 11. *de furt.*

Quia tamen in prædictis furtis mihi crimina peculatus inuoluta esse videbantur;
5 tum quia in parte versabantur circa res sacras, cultuique Diuino dicatas, *l.* 4. *ff. ad l. Iuliam peculatus*; tum quia in parte rem publicam lædebant, *Decian. in tract. crimin. lib.* 8. *cap.* 28. *num.* 11. quem sequitur *Cabal. resol. crim. cas.* 99. *nu.* 7. *& seqq.* fui in voto, quod Iudex causæ ex arbitrio pœ-
6 nam mortis irrogare deberet, cum prò crimine peculatus talis pœna veniat, ad trad. per *Cabal. vbi suprà, num.* 23. *&* 24. Et per *Sanfelic. decis.* 284. *num.* 33.
7 Nec mihi visum fuit obstare, quod Respublica, seu Ciuitas, quæ lædebatur, Superiorem recognosceret, & sic peculatus crimen excludi videretur, per eà, quæ tradunt *Decian. & Cabal. locis citatis*, quia per hoc negari non poterat, quod hoc controuersum non esset, maximè cum hunc articulum reponat *Menoch. inter suas arbitrarias quæstiones*, vt est videre *lib.* 2. *cas.* 386. *num.* 16. *& seq.* Et sic, quod pœna Iudici arbitraria non remaneret, quatenus etiam potuisset aliqualiter dubitari & de rebus sacris, cum furata vt plurimum sacra non essent, & quodammodo de Sacrilegio principaliter non tractaretur.

Dato itaque prò constanti, quod Iudicis
8 arbitrium intraret, vtique cum *Bertaz. cons. crim.*

crim. 35. *nu.* 19. *&* 20. *lib.* 1. (vbi testatur, quod in hoc nullus discrepat) ipsum arbitrium ad mortem extendendum dixi ex qualitatibus, & circumstantijs furta prædi-
9 cta aggrauantibus, maximæ scilicet summæ, & talis, quod ipse surripiens eadem furta cohonestare non poterat dicendo, quod in computis vellet ablata bona facere, cum ei id esset omnino impossibile, *Decian. dicto cap.* 28. *num.* 19. *Roder. de ann. reddit. quæst.* 11. *num.* 3. *lib.* 3. *Mastril. de-*
10 *cis.* 238. *num.* 11. Nec non pessimi exempli, & ob frequentiam in similibus delinquentium omninò coercendi, vt optimè ad aggrauandam pœnam considerat *Cabal. dicto cas.* 99. *præcipuè à num.* 49. *ad num.* 62.

11 Quia verò Iudex, quando circa pœnam habet arbitrium, etsi possit imponere pœnam mortis ex circumstantijs, & qualitatibus delictum aggrauantibus, tamen ad effugiendam illam inter Doctores maximā controuersiam, de qua meminit idem *Cabal. vbi suprà nu.* 10. debeat id facere consulto, & annuente Principe, qui omnem dubitationem tollere potest, ex quo ei certissimè omnes pœnæ sunt arbitrariæ vsque ad mortem, vt subdit *idem Cabal. nu.* 103. ita faciendum subiunxi, & pròut concurrentibus etiam conuotantibus factum fuit, ipsoque Principe annuente Reus capite plexus extitit.

ARGVMENTVM.

SPurij sunt habiles ad testificandum.

SVMMARIVM.

1 *SPurij testificari possunt, quia verum non est, quod sint infames.*
2 *Probationum materia vti bono publico fauorabilis non est angustanda.*
3 *Adulterorum filij sunt sine honore, & non sunt in fide stabiles, Hominibus honorabiles, & Deo amabiles.*
4 *Infamia notatus, si alias sit bona vitæ, & famæ, testificari potest.*
5 *Testis infamis probat, si aliter veritas haberi non potest.*

SINGVLARE CCXXXVII.

CVm controuerteretur, an cuidam Spurio, qui in criminalibus testificatus fuerat, esset credendum, tenui quod sic, per
1 ea, quæ tradit *Cur. sen. in l. Admonendi nu.* 5. *ff. de iureiur.* cum ad tradita per *Menoch. de arbitr. cas.* 464. *num.* 18. verum non sit Spurios esse infames, & sic à testificando esse repellendos. Et quidem cum propria culpa Spurij nullatenus infames dici valeant, sed ad summum hæc nota eisdem iniungatur ob bonum publicum, vt scilicet homines ab illicitis amplexibus etiam ob
2 hoc retrahantur; nescio videre, quare in materia bono publico fauorabili, pròut est materia probationum, quæ ob id non est angustanda, *l. Quoniam Cod. de Hæret. & Manich. in fine*, Spurij reputandi sint inhabiles, etiam data opinione illorum, qui volunt ipsos esse infames, cum ad finem iam expressum satis superque videatur, quod non sint capaces honorum, & alijs priuentur, quæ ipsorum particulare beneficium respiciunt.

3 Nec mihi visum fuit obstare, quod *Sapien.* 3. legatur, quod adulterorum filij sint sine honore, *& cap. Si gens Anglorum dist.* 56. quod non sunt in fide stabiles, Hominibus honorabiles, & Deo amabiles, quia non per hoc sequitur, quod ipsi sint infames, cum alias omnes filij peccatorum possent dici tales; potest enim stare, quod abominatio, & scandalum sit ratione peccati parentum videre Spurios in Mundo, & quod ipsi Spurij boni sint, vltra quod non constabat, quod Spurius, de quo tractabatur, ex adulterio natus esset, pròut supponebatur, & sic eum probare tenui, & secundum eius dictum cum alijs iunctum iu-
4 dicaui indubitanter, ex quo constabat ipsum esse bonæ vitæ, & famæ, & proinde si fuisset infamis admitti debebat, ad tradita per *Farinac. de test. quæst.* 56. *num.* 410. & versabar in casu, in quo veritas aliter ha-
5 beri non poterat, & sic probabat, ad ea, quæ *idem Farin. subdit seq. num.* 413.

AR-

ARGVMENTVM.

Natura facti suadente, quod aliter veritas haberi non possit, testes etiam non idonei ad probandum admittuntur.

SVMMARIVM.

1 *Testes non idonei, qui praetenduntur admitti, ex quo veritas aliter haberi non possit, admitti non debent, si non probetur, quod re vera veritas alias haberi non valeat; sed vide num. seqq.*

2 *Veritatem aliter haberi non posse ex natura facti probatur, cum sufficiat, quod verisimiliter aliter haberi non valeat.*

3 *Inhabiles testes admittuntur, quando veritas aliter haberi non potest, & sunt omni exceptione maiores.*

4 *Veritatem aliter haberi non posse ab arbitrio Iudicis pendet.*

5 *Veritatem aliter haberi non posse non solet articulari; sed à iure praesumitur.*

6 *Veritatem aliter haberi non posse est probandum, quando ex natura facti, & ex verisimilitudine non suadetur.*

SINGVLARE CCXXXVIII.

Grauiter indiciatus ad torturam super quodam graui delicto de nocte in domo propria commisso, indicia ipsa, quae praecipuè resultabant ex attestationibus nonnullorum, qui nonnisi in casu, in quo veritas aliter haberi non posset, admitten-
1 di erant, elidere procurabat dicendo, quod non erat probatum, quod veritas aliter haberi non potuisset, & quod proinde nullum fundamentum super eorum dicta faciendum erat, ad ea, quae inter alios tradit *Alex. cons. 64. num. 6. vol. 1.*

Verùm contrarium tenui, per ea, quae praemittit *idem Alex. num. antecedenti*, vbi firmat, & *Addentes* corroborant, quod
2 sufficit, quod casus sit talis, vt verisimiliter
3 ex natura facti veritas aliter haberi non possit; tali enim casu testes etiam inhabiles admittuntur, ad notata per *Decian. in cons. 133. num. 6.* & sunt omni exceptione maiores, vt est *Glos. in cap. Tertio loco, de Probat.*

Cum enim delictum perpetratum fuisset de media nocte in domo, in qua alij praeter ipsum Reum, & testes, qui deposuerant, habitare non solebant, verisimiliter alios testes non solum actu non interuenisse, sed nec etiam potentia interuenire potuisse ar-
4 bitratus sui, cum natura talis facti ab arbitrio Iudicis pendeat, vt notat *Farin. de te-*
5 *stib. quaest. 62. num. 59. & duobus seqq.* vbi dicit, quod nunquam vidit seruari, quod articuletur, & probetur, quod veritas aliter haberi non possit, & quod à iure non
6 praesumatur, & quidem talis probatio ex praedictis solum videtur necessaria in casu, in quo natura facti non suadet, quod alij testes haberi non possint.

Tortus itaque Reus praedictus ex alijs etiam indicijs, fassus fuit, & successiuè eius confessione extra tormenta ratificata, ac vndequaque verificata, seruatis seruandis, furcis fuit suspensus.

ARGVMENTVM.

Confessio qualificata in totum acceptari debet, si praesumptio prò qualitate adiecta militet.

SVMMARIVM.

1 *Confessio qualificata diuidi, & confitens ex ipsa confessione puniri potest; sed contrà num. seq. & 7. & cum distinctione nu. 3.*

2 *Confessio qualificata diuidi non potest, sed secundum qualitatem adiectam iudicari debet; & quae sit magis communis, & practicata opinio.*

3 *Qualitas confessioni adiecta reijci non potest, si praesumptionem prò se habeat.*

4 *Aggressor praesumitur ille, qui est vulneratus.*

5 *Aggressor praesumitur, qui iam fuit iniuriatus, quasi quod ad vindictam faciendam moueatur.*

6 *Aggressor praesumitur, qui est associatus, & sic fortior.*

7 *Confessio qualificata, quod non possit diuidi, aequior est opinio.*

8 *Confitens aliquid illicitum ad defensam fecisse, delictum negare videtur, immo actum inculpabilem fecisse asserit, cum vi repellere liceat.*

SIN-

SINGVLARE CCXXXIX.

CVm quidam fassus fuisset ad sui necessa-
riam defensionem vulnerasse proprium
inimicum, cumque nihil contra ipsum ma-
gis, quam propria confessio vrgeret; con-
tigit dubitari, an talis confessio diuidi vale-
ret, vt qualitate defensionis reiecta, Reus
1 de vulnere prædicto puniri posset. Et vi-
debatur, quod sic per doctrinam *Bart. in l. Aurelius* §. *Idem quæsijt ff. de lib. leg.* com-
muniter approbatam per Doctores, vt di-
cit *Ias. in l. Vt vim nu.* 13. *ff. de iust. & iure*.
2 Quamuis enim magis communem opi-
nionem contrà *Bartol.* extare tradat *Mar-
sil. cons.* 136. *num.* 31. *&* 44. tamen ipsum
valdè errare notat *Clar. in pract. crimin.* §.
fin. quæst. 55. *num.* 14. *vers. Posset quoque Reus in fine*, vbi à *Bartolo* non recedendum
tradit, stante etiam consuetudine, qua eius
doctrina circa hoc corroboratur, & in
omnem casum post ipsum *Marsilium* de
magis communi prò opinione *Bartoli* atte-
statur *Gabr. in suis comm. Concl. lib.* 7. *de criminal. Concl.* 19. *num.* 2. *amplia.* 1.
3 Verùm, quia prò qualitate defensionis
adiecta militabat præsumptio, non posse
scindi tenui, ad ea, quæ tradit *Gabr. vbi su-
4 prà num.* 14. *limit.* 7. Vulneratus enim erat
præsumendus aggressor, ad trad. per *Me-
5 noch. de arbitr. cas.* 363. *num.* 14. *&* 15. &
maximè, quia iam fuerat per dictum Reum
alias iniuriatus, & sic præsumendum erat,
quod inimicum aggressus fuisset, vt vindi-
ctam faceret, ad ea, quæ præmittit *Menoch.
6 vbi suprà num.* 3. & tantò magis, quod erat
associatus, & sic fortior, vt subdit *idem Me-
7 noch. nu.* 6. Vltra quod opinio contra *Bar-
tolum* æquior etiam secundum *Mars. vbi suprà*, talis etiam mihi videtur, cum qui ad
8 defensam fecisse asserit, delictum ipsum
videatur negare, vt animaduertit *Ang. in l.* 1. §. *Si quis simpliciter ff. de verb. oblig.* im-
mò non delictum, sed actum inculpabilem
fecisse asserat, si est verùm, prout est veris-
simum tritum axioma, quod vim vi repel-
lere licet.

Ex his itaque cum fideiussione de se re-
præsentando ipsum relaxando decreui, &
ita relaxatus fuit.

ARGVMENTVM.

OCcisi ex corpore quando ad præ-
sentiam occisoris sanguis pro-
fluit, non naturaliter, sed ex miraculo id
procedit.

SVMMARIVM.

1 *Occisi sanguis ad præsentiam occisoris profluens, non naturaliter, sed ex miraculo profluit.*
2 *Sanguis occisi, etiamsi ex naribus ad præsentiam occisoris profluat, indicium facit, & maius quamsi ex vulneribus proflueret, & quare.*
3 *Sanguis occisi, si ad præsentiam occisoris profluat, non facit sufficiens indicium ad torturam.*

SINGVLARE CCXXXX.

QVamuis considerato, quod sicut natu-
raliter magnes ferrum, & succinum
paleas trahunt, sic occisor sua præ-
sentia sanguinem occisi ex vulneribus at-
trahere possit, vel sanguis ipse contra oc-
cisorem erumpere valeat; tamen, cum
in indagatione huius veritatis tenuitas in-
genij mei succumberet ex eo, quod ita
dicendo non à natura, cui ex Dei po-
tentia similia inesse possunt, & prout in
magnete, & in succino insunt, hoc proce-
1 deret, sed potius ex facto accidentali ipsius
hominis euenire deberet, tenui, per ea,
quæ tradit *Farin. quæst.* 52. *de indic. & tort. num.* 154. *& seq.* id non ad aliud, quam ad
miraculum esse referendum, vt expressè
dicit *Ang. in tit. de homicid.* Quamuis enim
ex *Petro de Apono in Problem. Arist. parte* 7. *problem.* 6. possit dici, quod interfector in-
terficiendo imprimat spiritus succensos
inimicitiæ in interfectum, & sic sanguinis
fluxum constringat, tamen non videtur
quarè potius ad ipsius præsentiam, quam
ipso absente sanguis dissolui debeat, cum
potius ex ratione prædicta magis constrin-
gi deberet.
2 Supposito itaque, quod ex miraculo id
eueniat; Cum casus contigisset, quod præ-
sente Patre filius iam mortuus extractus ex
ventre Matris per ipsum Patrem occisæ
san-

sanguinem ex naribus emisisset, non audiendum duxi, qui ex aduerso dicebat tale indicium non esse attendendum, cum sanguis non à vulneribus, de quibus Doctores loquuntur, sed ex naribus profluxisse probabatur. Vltra enim id, quod in terminis pariter cuiusdã pueri, qui sanguinem è naribus emiserat, refert *Farinac. vbi suprà*, si ad miraculum id referri debet, non videbam quare potius id esset accurandum, si ex vulneribus, quam si ex naribus profluxisset; immò fortius videbatur insistendum, si ex naribus, ex quo maius miraculum resultabat, dum difficilius è naribus, quam è vulneribus sanguinem fluere posse suadebatur.

3 Hoc itaque alijsque indicijs attentis, cum ex se solo ad torquendum non sufficiat, vt subdit *Farin. vbi suprà num. 156.* quicquid dicat *Boer. decis. 166.* vbi plura ad propositum cumulat, tortura adhibita, tanti parricidij patratorem se fassus fuit Pater prædictus, & inde per me ad mortem damnatus tali pœna delictum expiauit.

ARGVMENTVM.

Arbores fructiferas in bonis emphyteuticis succidens, vel succidere mandans, pœnam caducitatis si sit emphyteuta, alias pœnam arbitrariam incurrit.

SVMMARIVM.

1 *Mandatarius in delicto non potest dici immunis, quamuis mandans grauius videatur delinquere, vt declaratur seq. num. 8.*

2 *Emphyteuta arbores fructiferas incidens pœnam caducitatis incurrit.*

3 *Caducitas est pœna.*

4 *Pœna supponit delictum.*

5 *Priuatio supponit habitum.*

6 *Arbores fructiferas incidens, si non sit Emphyteuta, pœna Iudicis arbitraria puniri debet.*

7 *Pœna Iudicis arbitraria imposita censetur, vbicumque lex, vel statutum illam non assignat.*

8 *Mandatarius minus delinquere videtur, quam mandans, quia hic non solùm delinquit ipse, sed & alium ad delinquendum impellit.*

SINGVLARE CCXXXXI.

Emptor quorundam bonorum de directo
dominio cuiusdam Ecclesiæ succidere
fecit nonnullas arbores fructiferas, antequam de dictis bonis à dicta inuestitus fuisset; & cum criminaliter molestaretur ille, qui (sciens solum esse Ecclesiasticum, mandantemque de illo non fuisse inuestitum) illas succiderat, fuit dubitatum an alicui pœnæ esset obnoxius; quicquid ipse diceret in contrarium, tenui quod pœna arbi-
1 traria puniendus esset. Cum enim certo certius sit, quod agentes, & consentientes pari pœna puniantur, iur. vulg. Mandatariusque in delicto non possit dici immunis, quamuis mandans grauius videatur delinquere, quam mandatarius, per ea, quę notat *Menoch. de arbitr. cas. 353. nu. 4.* Non poterat dici, quod si mandans delinquerat etiam Mandatarius non deliquisset. Sicut enim Mandatario non licet occidere hominem, ita non licet succidere arborem, cum vtroque casu actus sit illicitus & vita perimatur, rationalis scilicet eminenter continens alias in illo, vegetatiua in ista.

Quod autem ipse mandans deliquisset erat indubitatum, quia si caducitatem in-
2 currit Emphiteuta, qui arbores fructiferas incidit, vt volunt indifferenter omnes Doctores antiqui, & moderni nemine discrepante, ad ea, quæ notat *Clar. in* §. *Emphyteusis, quæst. 26. num. 2.* & quæ caducitas
3 est pœna, vt tradit *Rota coram Ludouis. decis.*
4 *225. num. 13.* & pœna supponit delictum, ex traditis inter alios per *Farinac. de delict. & pœn. quæst. 18. num. 6.* Esset ridiculum dicere, quod nulla pœna teneretur, si id faceret antequam inuestitus esset, quo casu cum pœnam caducitatis incurrere non va-
5 leat, ex quo priuatio supponit habitum, *l. Manumiss. ff. de iust. & iur. l. Decem, ff.*
6 *de verb. oblig.* pœnam saltem arbitrariam
7 effugere non potest, cum vbicumque lex, vel statutum pœnam non assignant, Iudicis arbitrio imponatur, *ad l. 1. §. Expilatores, ff. de effi. & expila.* Et ad alia, quæ circa hoc cumulat *Foller. in pract. crim. parte 4. prin. Rubr. Pœnis deb. feriantur num. 60.*

8 Ha-

8 Habito igitur respectu ad minoritatem
delicti ipsius Mandatatij, qui vt considerat
Menoch. vbi suprà, videtur minus delinque-
re, quam Mandans, cum hic delinquat ipse,
& alium ad delinquendum impellat, ipsum
ad pœnam dupli condemnaui, cum & ta-
lem in Synodo Diœcesana loci, vbi ius red-
debam (vltra refectionem damni, quam in
pœna ipsa comprehendi volui, vt Manda-
tario pœnam minuerem) generaliter com-
minatam fuisse animaduertissem.

ARGVMENTVM.

QVærela, seù secreta denunciatio recipienda est cum conditione propalandi denunciantem in casu calumniæ, si ipse denuncians indubitata asserit, & ad aliquem actum denunciato præiudicialem procedi instat.

SVMMARIVM.

1 *Secreta quarela, seù denunciatio admitti non debet; sed contra.*
2 *Inquirere Iudex semper debet, saltem de iure canonico, vel de consuetudine.*
3 *Captura committi potest etiam antequam constet de corpore delicti, & antequam præcedant indicia, si agatur de re graui, & de fuga timeatur.*
4 *Secretus denunciator est admittendus cum conditione, quod propalabitur, si proponat indubitata, & instet, quod ad aliquem actum præiudicialem contra denunciatum procedatur.*
5 *Secreta denuncia est admittenda propter erubescentiam denunciantis, sed non vt occasio calumniandi resultet.*
6 *Occasio delinquendi enixè est vitanda.*

SINGVLARE CCXLII.

1 QVærelam, seù denunciam secreti ex-
ploratoris in facti contingentia plu-
ries admisi, quicquid in contra-
rium dicat *Boss. tit. de accusat. num. 3.* & hoc
stante etiam practica, quæ vigebat in locis,
in quibus ius reddebam, & ex qua nec in
conuenientia per *Boss.* allegata resulta-
bant, innocentium scilicet vexationes, &
expensæ, in quibus calumnia comperta
calumniator damnari non poterat; dictis
enim secretis denunciationibus non vte-
bar, & pròut vti non poteram nisi ad assu-
mendas informationes, quæ citrà vexatio-
nem, & expensas denunciatorum assumi
2 poterant, & debebant, cum saltem de iure
canonico ex officio Iudex ad publicam vti-
litatem inquirere teneatur, & de consue-
tudine semper inquiratur, per ea, quæ no-
tat *Clar. in pract. crim. §. fin. quæst. 5. num. 1. & 2. & quæst. 3. anteced. num. 5. vers. Sed certè.*

In facti tamen contingentia, cum ex tali
denuncia nedum ad assumendas informa-
tiones, sed & ad capturam procedere ex-
pediens esset, ipseque denuncians procedi
instaret, ex quo de crimine atroci ageba-
tur, & prò quo denunciatus iam in pœnam
3 capitalem condemnatus asserebatur, & vt
etiam de eius fuga timeretur, quo casu &
antequam constet de corpore delicti, & an-
tequam præcedant indicia, potest commit-
ti captura, ad ea, quæ notat *Ambros. in proceß. inform. lib. 1. cap. 1. num. 10. & seqq.*
4 & cum vice versa suspicarer ego, quod ta-
lis denuncia esset calumniosa, stante inimi-
citia, quam denuncians cum denunciato
habebat, eidem dicere feci, quod animad-
uerteret, quia ego procedere quidem vo-
lebam etiam ad capturam, vt ipse instabat,
sed quod ipsum in casu calumniæ propala-
re volebam, cum omninò indubitata ipse
assereret, & quæ si postea vera non essent,
5 nullatenus excusari valeret: denuncia enim
secreta admitti quidem debet propter eru-
bescentiam denunciantis, & qua erube-
scentia ipse denuncians dicebat, quod re-
trahebatur, ne manifestè id faceret, *Ant. Sola in Comment. ad Const. Sabaud. in verbo, Vt nemo inuit. accusat. nu. 2. & 3. fol. 170.*
sed non vt inde occasio calumniandi, & de-
6 linquendi resultet, cum talis occasio enixè
sit vitanda, *l. Si legationis 25. iuncta Gloß. ff. de Iud.* Et sic calumnia postea comperta ip-
sum cum effectu propalaui, contraque ip-
sum denunciatus innocens postea repertus
iudicium de calumnia instituit, quod ego
recedens ab officio indecisum reliqui.

ARGVMENTVM.

Quærelans nec ad fideiubendum de reficiendis damnis, & expensis est cogendus.

SVMMARIVM.

1 *Talionis pœnæ inscriptio ex consuetudine recessit ab aula, & quare num. seq.*
2 *Fideiussio de reficiendis damnis, & expensis in criminalibus non practicatur, & quare.*
3 *Talionis pœnam incurrit accusator in casu calumniæ etiamsi ad illam non se inscripserit.*
4 *Fideiubere Actor nec in ciuilibus de reficiendis damnis, & expensis tenetur; & quare.*

SINGVLARE CCXLIII.

Non detuli cuidam, qui timens à quodam criminaliter molestari instabat in primis, & ante omnia quærelantem cogi ad fideiubendum in casu succumbentiæ de re-
1 ficiendis damnis, & expensis, ac ad alia pròut de iure; non solum enim inscriptio pœnæ talionis ex consuetudine recessit ab aula, ad ea, quæ cumulat *Clar. in pract.*
2 *crim. quæst. 81. num. 3.* Sed & ipsa fideiussio de reficiendis damnis, & expensis, ad ea, quæ tradit *Boss. tit. de Accusat. num. 4. maximè ex Glos. Inst. de Satisd. §. Sed hodie.* Et quidem rectè, cum eadem ratio, quæ militat in omissione inscriptionis ad pœnam talionis, ne scilicet accusatores ab accusando deterreantur, militet etiam in fideiussione de reficiendis damnis, & expensis. Quamuis enim non videatur ita vrgens, ex quo plus pœna grauis talionis timeatur, quam refectio damnorum, & expensarum, tamen maior suadetur, si consideretur, quod fideiussio difficillimè inuenitur respectu criminalium, in quibus nonnisi interesse habentes ingerere se soleant, dedecore alios retrahente.

Vlterius considerabam, quod dictam fideiussionem quærere est superfluum, cum si Accusator est Diues possit ex se absque fideiussione damna, & expensas reficere,
3 & ad quas tenetur etiamsi non fideiubeat, cum in casu calumniæ & ipsam pœnam talionis luere debeat, quamuis ad illam non se inscripserit, per ea, quæ notat *Clar. vbi suprà*; & si est pauper absque dubio est cre-
4 dendum; quod illam non inueniet, quo inspecto forsan & in ciuilibus Actor à fideiubendo prò prædictis excusatur, ad trad. per *Boss. vbi suprà*.

ARGVMENTVM.

Clerici, etiam prò grauissimis delictis regulariter pœna carceris puniri debent, & maximè Regulares, qui secretè, & non publicè puniendi sunt.

SVMMARIVM.

1 *Iudices Ecclesiastici ad summum pœnam carceris perpetui irrogare debent, quando de iure ciuili pœna mortis imponenda venit.*
2 *Carceris pœnam prò grauissimis delictis Ecclesia infligere solet.*
3 *Regularis secretè, & non publicè ratione scandali puniri debet.*
4 *Monachus ob pœnam non debet eijcie Monasterio, sed debet in eodem recludi in carcerem.*
5 *Regularis de consuetudine ad triremes damnari potest.*
6 *Sacerdotes neque de consuetudine ad pœnas triremium condemnari debent; secus autem Clerici.*

SINGVLARE CCXLIV.

Cum condemnare deberem quendam Regularem prò crimine, prò quo Laicus pœna triremium ad tempus plectendus fuisset; tenui de iure ipsum pœna carcerum
1 temporanea puniendum esse. Cum enim Iudices Ecclesiastici ad summum pœnam carceris perpetui irrogare debeant, quando de iure ciuili pœna mortis imponenda venit, ad ea, quæ notat *Diaz. in sua pract. crimin. canon. cap. 140. nu. 1.* vtique pariter ad summum pœnæ carceris temporarij locus videtur, quando de iure ciuili pœna
2 triremium irrogari debet: pœnam enim carceris prò grauissimis delictis Ecclesiam infligere tradit *Foller. in pract. crim. canon. parte 2. Iudici, cap. 33. Et si confessi num. 56.*
3 Vltra quod vti Regularis secretè, & non publicè puniri debebat ratione scandali, ad ea, quæ pariter notat *Foller. vbi suprà, cap. 36. de ordine procedendi contra Monachos,*

4 *chos*, *num.* 19. vbi pariter *num. seq.* 48. subdit, quod Monachus non debet ob pœnam eijci à Monasterio, sed in carcerem recludi in eodem Monasterio.

Verùm cum ipse non esset neque Sacerdos, neque Clericus, sed Conuersus, & mihi videretur, quod pœna carceris apprehenderetur prò tenui in delicto, quod iam nimis propalatum erat, & quod proinde & ex hoc scandalum resultabat, sequi volui opinionem eorum, qui me hortabantur ad infligendam pœnam tempora-
5 riam triremium, quam Regulari infligi posse de consuetudine concludit *Nauar. in cap.* 18. *quæst.* 2. *nu.* 52. *de Regul. ad trirem.*
6 *damnat.* & maximè cum tractaretur de Conuerso, & non de Sacerdote, cuius respectu solum talem pœnam ex consuetudine introductam improbat *Diaz*, ipsam contra Clericum admittendo, vt videre est *vbi suprà*, *cap.* 146. *num.* 3.

ARGVMENTVM.

ECclesiastici etsi decentiori, non tamen mitiori pœna, quam laici sunt puniendi.

SVMMARIVM.

1 *CLerici non debent ita acriter torqueri ac laici.*
2 *Tortura, & pœna est dispar ratio.*
3 *Clericus ex qualitate personæ, nisi aliter suadeatur, seuerius puniendus videtur quam laicus.*
4 *Sanabilis mitius puniri debet, quam insanabilis.*
5 *Iudices Ecclesiastici pœnam mortis quare irrogare non debeant.*
6 *Pœna mortis secundum Canones cessat respectu Iudicum Ecclesiasticorum, non autem respectu Clericorum, & aliorum delinquentium.*

SINGVLARE CCXLV.

ECclesiasticum citra pœnam capitalem puniendum, etsi decentiori, non mitiori tamen pœna, quam laicum, puniendum duxi. Quamuis enim videatur suaderi con-
1 trarium ex eo, quod Clerici non debent ita acriter torqueri, sicut laici, ad ea quæ ex communi mente Doctorum dicit *Abb. in Reg. Cum in contemplatione, de reg. iur.* quem refert, & sequitur *Diaz in pract. crim. canon. cap.* 128. *num.* 6. vbi rationem reddendo dicit, quod non est mirum, ex quo etiam postquam sunt conuicti de crimine Clerici dispari pœna plectuntur, & sic pœnam mortis euadunt.

2 Tamen nihil releuat, si consideretur, quod non est par ratio torturæ, & pœnæ, cum illa inferatur cum adhuc dubitetur, an torquendus sit delinquens, ista autem irrogetur habito prò constanti, quod puniendus deliquerit, & ideo cum in tortura mitius tractetur Clericus, eo quia ex qualitate suæ personæ semper plusquam laicus immunis à delicto in dubio est censendus, non ita secum agendum de pœna, quæ ipsum ac laicum æqualiter supponit culpabilem; immò retorquendo argumentum
3 posset dici, quod ex qualitate personæ seuerius puniendus videtur Clericus, quam laicus, per ea, quæ notaui in *singulari* 203. & per ea, quæ particulariter de Clericis tradit *Carol. de Graff. de eff. Cleric. in prælud. à num.* 14. *ad num.* 24. nisi aliter suaderetur, & pròut suadebatur in casu, de quo tracta-
4 bam propter faciliorem correctionem, quæ sperabatur; mitius enim puniri debet sanabilis, quam insanabilis, ad ea, quæ præcipuè ex *Platone* notat *Foller. in pract. crimin. cap.* 33. *Etsi confessi num.* 8.

Nec facit id, quod dicit *Diaz* rationem reddendo, scilicet, quod Clerici pœnam
5 mortis euadunt, quia hoc non est, quod illam non mereantur, sed est, quia Iudices Ecclesiastici neque laicis illam irrogare debent propter lenitatem, qua Christi mansuetudinem imitari debent, vt benè animaduertit *Foller. in pract. crim. Canon. dicto*
6 *cap.* 33. *Etsi confessi num.* 12. & sic non respectu Clericorum, & aliorum delinquentium, sed respectu Iudicum dicta mortis pœna cessat, & proinde etsi *Diaz* benè dixit, non benè dictum suum meo iudiciò adaptauit.

ARGVMENTVM.

INimicus solùm capitalis in testem non est admittendus.

SVMMARIVM.

1 *INimicus nedum certus, sed, nec etiam præsumptus, & reconciliatus in testem est admittendus; sed declara, vt infra.*

2 *Inimicus solùm capitalis in testem non est admittendus.*

3 *Inimicitia quanam testem à testificando repellere debeat Iudicis ab arbitrio pendet.*

4 *Inimitia solùm capitalis, & illa, quæ capitali æquiparatur, testem à testificando repellit.*

SINGVLARE CCXLVI.

CVm indistinctè *Menoch. de Arbitr. lib.* 1. *quæst.* 28. *per totam* tradat inimicum ne-
1 dum certum, sed etiam præsumptum, & reconciliatum in testem non esse admittendum; contigit pluries coram me dubitari, maximè in criminalibus, an ita de quo-
2 libet inimico esset practicandum. At ego solum inimico capitali id obseruaui, ad ea, quæ de communi tradit *Clar. in pract. crimin.* §. *fin. quæst.* 24. *num.* 5. & à quibus nec dissentit *ipse Menoch.* dum *vbi suprà lib.* 2.
3 *cas.* 110. Iudicis arbitrio relinqui tradit quę nam inimicitia testem repellat, & dando
4 modum circa dictum arbitrium, ad inimicitiam capitalem, & ad illam, quæ capitali æquiparatur se restringit. Et quidem philosophando etiam id suadetur, dum non est verisimile, credendumque non videatur, quod quis aliter, quam ex vehementissima passione, & qualis est inimicitia capitalis, possit induci ad falsum deponendum in præiudicium summi amoris, quem quilibet erga animam propriam, seque ipsum habet.

ARGVMENTVM.

TEsti deponenti se audiuisse committi delictum non est ita fidendum, quod absque alijs adminiculis procedatur ad torturam.

SVMMARIVM.

1 *AVditus testis circa delictum facit indicium ad torturam; sed declara vt nu. seq. & dubita vt num.* 3. *& contra num.* 4.

2 *Auditus testis circa delictum facit indicium ad torturam, si vox verisimiliter testi sit ita nota, quod decipi non possit.*

3 *Auditus testis circa delictum, est dubium, an faciat indicium ad torturam, cum sit multum fallax, & periculosus.*

4 *Auditus testis circa delictum, vt faciat indicium ad torturam, alijs coadiuuari debet.*

SINGVLARE CCXLVII.

CVm inquisitus, quod necasset vxorem, haberet contra se testem, qui asserebat audiuisse factum, illamque dolentem, &
1 acclamantem, dum necabatur à Marito; fuit coram me Iudice causæ dubitatum, an tale dictum faceret indicium ad torturam: & videbatur, quod sic, cum vt dicit *Cotta in memor. in verbo Testis deponentes,* Docto-
2 res hoc firment vbique, & tantò magis ita videbatur tenendum, quantò verisimiliter vox prædictæ mulieris ita nota deponenti esse debebat, & pròut sibi notam ipsemet testis asserebat, quod decipi non posse videbatur credendum, quod est id, quod limitando dictum *Cotta* dicit *Clar. in pract. crimin.* §. *fin. quæst.* 21. *num.* 3.
3 Verùm dubitans ego de dicto *Cotta*, consideransque quod *Bald. in l. si non speciali, num.* 1. *Cod de testam.* non loquitur de tali indicio nisi per verbum, fortè, & non dicit expressè, quod forte possit esse ad torturam, cum re vera, vt subdit *idem Clar.* etiam ex experientia sit multum fallax, &
4 periculosum, tanti non fecissem, si ex circumstantijs etiam loci, & temporis mihi persuasum non extitisset, quod factum, prout testis recensebat, se habuisset, & alia plura contra ipsum inquisitum non superuenissent.

Tortus itaque vti talis facinoris Reus, compertoque ex eius confessione, & ex alijs, quod re vera ex nece à se ipsi vxori illata, non autem ex accidenti, vt à principio prætendebat, vxor mortua erat, furcis suspensus immanitatis suæ, qua & ventrem prægnantem funestauit, pœnas debitas dedit.

ARGVMENTVM.

PLura indicia delicto proxima, & ad eundem finem tendentia faciunt

ciunt indicium ad torturam, & si non sint plenè probata.

SVMMARIVM.

1 *INdicia delicto proxima vnico teste probantur, & num. 4.*
2 *Indicia plura non plenè probata vt in criminalibus coniungi valeant, requiritur, quod sint delicto proxima, & ad eundem finem tendant, sicque inuicem coadiuuentur.*
3 *Indicia non plenè probata etsi in criminalibus cumulari non valeant ad condemnandum, cumulari tamen possunt ad torquendum.*
4 *Testis vnicus plenè probat indicia delicto proxima.*
5 *Præsumptiones plures remotæ plenè probata sufficiunt ad pœnam extraordinariam infligendam.*
6 *Singula si non iuuant, multa iuncta prosunt.*

SINGVLARE CCXLVIII.

EX pluribus indicijs non plenè in suo genere probatis ad torturam deueni, quia
1 erant indicia delicto proxima, quæ probantur vnico teste, ad tradita inter alios per *Mascard. de probat. Concl.* 1223. *num.*
2 41. & quia ad eundem finem tendebant, vnumque in aliud inferebat, & sic inuicem se coadiuuabant, quæ duo requiruntur, vt indicia imperfecta in criminalibus cumulari valeant, ad ea, quæ notat *Farinac. consi. crim.* 56. *num.* 7.

Nec mihi visum fuit obstare, quod contrariam sententiam communem dicat *Fa-*
3 *rinac. num. antecedenti*, quia ipsamet communem limitandam dicit *Gabr.* ad effectum torquendi, vt videre est in *suis commun.*
4 *concl. lib.* 1. *de probat. concl.* 1. *num.* 27. & necessariò meo iudicio ita limitanda venit etiam secundum communem mentem Doctorum, quando tractatur de indicijs proximis, cum talia indicia etiam imperfectè probata, per vnum scilicet testem, plenè probata dicantur, ad ea, quæ latè deducit *Mascard. concl.* 894. *num.* 5. vbi dicit, quod hanc opinionem tenent omnes, & plures etiam de communi attestantes re-
5 fert. Si enim plures præsumptiones remotæ plenè probatæ sufficiunt ad minus ad pœnam extraordinariam infligendam, vt conciliando tradit *Mascard. dicta concl.* 1223. *num.* 30. & 31. & *numeris* 41. & 42. in quibus detegitur, quod loquitur de remotis; non videtur quarè proxima indicia, quæ etiam imperfectè probata, iuxta præmissa, dicuntur plenè probata, ad torturam sufficere non valeant, & maximè si
6 sint plura per regulam vulgatam, si singula non iuuant, multa iuncta prosunt, *l. Cum scimus, Cod. de Agricol. & censit. lib.* 11. *cap. Cum causam de probat. cum similibus.*

ARGVMENTVM.

FVga tentata solum ex fractione carcerum non facit indicium ad torturam super delicto prò quo detinetur fugere tentans, sed operatur, quod si ex alijs torquẽdus est, acrius torqueri possit.

SVMMARIVM.

1 *FVgere tentans carceres frangendo indiciatur ad torturam de delicto, prò quo detinetur; sed contra, & quare etiam nu. seq.*
2 *Carceres frangentes vt fugiant à Senatu Mediolanensi aliquid graue contrà non reportant.*
3 *Tortura est grauior, quam sit vtriusque manus abscissio.*
4 *Carceres frangentes vt fugiant, si ex alijs torquendi sunt, acrius ex prædicta fuga attentata torqueri possunt, & quare.*

SINGVLARE CCXLIX.

1 QVamuis *Farinac. de Carcerib. & Carcerat. quæst.* 30. *numero* 85. dicat, quod tentans fugere carceres frangendo sibi faciat indicium ad torturam circa delictum, prò quo detinetur, tamen ego nunquam id practicare ausus fui, cum tale indicium ex se solo nimis fallax, & periculosum mihi videatur, considerando, quod fugere mala est quid innatum, & quod præsumptio, qua fugere tentans aggrauatur, vt scilicet pœnam commissi criminis euadat, potest benè tolli ex alia præsumptione, vt scilicet à vexationibus se
2 subtrahat. Vnde non immeritò Senatus Mediolanensis, vt dicit *Clar. in pract. crim.* §. *final. quæst.* 21. *num.* 16. *in fine*, contra tales fugere tentantes aliquid graue statuere

tuere non solet, & quod meo iudicio est dicere, quod non solet super crimine prætenso irrogare torturam, quæ est nedum
3 quid graue sed grauissimum, cum sit grauior, quam sit vtriusque manus abscisio, ad *cap. fin. in Authen. Vt nulli Iudicum* & ad notata per *Chartar. in pract. interrogand. Reor. lib. 4. cap. 1. num. 19.*

Opinionem itaque *Farinac.* à qua in dicta *quæst. 30. num. 26.* neque in iudicando, neque in consulendo recedendum dicit, sequutus fui solùm in quodam casu, in
4 quo qui fugere tentauerat, ex alijs indicijs torquendus erat, & sic, ad tradita per eundem *Farin. dicto num. 26.* acrius ipsum torqueri feci: in dubio enim dictarum præsumptionum in illam, quæ ex alijs indicijs suadebatur, inclinandum duxi, cum ex ipsis fortior altera, indubitata appareret.

ARGVMENTVM.

Clericus pro furto graui ad triremes damnari debet, si extat consuetudo ita faciendi.

SVMMARIVM.

1 Clerici pœnis corporalibus rarissimè sunt puniendi.
2 Furti pœna in Clericis est pœna degradationis, & detrusionis in arctum Monasterium.
3 Pœna degradationis, & detrusionis in arctum Monasterium Clericis prò furtis imponenda recessit ab aula, & quare.
4 Pœna triremium de consuetudine etiam Clericis imponitur.
5 Clericos pœna triremium puniri, de consuetudine introduci potuit.
6 Consuetudo seruari debet in imponendis pœnis delinquentibus.
7 Consuetudo imponendi pœnam triremium Clericis in minoribus constitutis non est improbata, sicut improbatur respectu Sacerdotum.

SINGVLARE CCL.

Clericum de furto graui culpabilem repertum in pœnam triremium condemnaui ex consuetudine, quæ vigebat in Tri-
1 bunali, in quo præeram. Quamuis enim Clerici rarissimè pœnis corporalibus sint puniendi, vt notat *Diaz in pract. crim. Ca-*
2 *non. cap. 146. num. 1.* Et in specie prò furto eis sit imponenda pœna degradationis, & detrusionis in arctum Monasterium, vt
3 expresè legitur in *cap. Tuæ de pœnis.* Tamen hanc pœnam ab aula recessisse, tum ob negligentiam Prælatorum in illa imponenda, tum ob difficultatem illam exequendi, testatur *Diaz vbi suprà cap. 139. num. 1.*
4 Et vsitari cæpisse pœnam triremium subdit sequenti *cap. 146. num. 3.* Et latius *Nauar. in cap. Nullam 18. quæst. 2. num. 52. de Re-*
5 *gular. ad triremes damnatione;* vbi & talem consuetudinem ritè introduci potuisse tradit.

Ab ipsa itaque pœna triremium non
6 recedendum duxi cum eodem *Diaz in cap. 148.* per totum, vbi firmat Iudicem in inferendis pœnis delinquentibus consuetu-
7 dines debere obseruare. Et tantò magis id feci quantò tractabatur de Clerico in minoribus constituto, respectu cuius talem consuetudinem pœnæ triremium, sicut respectu Sacerdotis non improbat nec ipse *Diaz in citato cap. 146. dicto num. 3.*

ARGVMENTVM.

Iudicis arbitrio remittitur, an sint admittenda ea, quæ articulantur, & probantur contrà iam deposita.

SVMMARIVM.

1 Articulari regulariter non valet contra propriam depositionem; sed declaratum num. sequenti.
2 Arbitrio Iudicis remittitur, an sint admittenda ea, quæ secundo loco deponuntur sub prætextu obliuionis; & maximè si sint inuerisimilia.
3 Depositiones, quæ fiunt absque eo, quod præuideri possint, an sint nocituræ, vel profuturæ, magis attenduntur, quam illæ, quæ ad aliquod ex prædictis tendere nóscuntur.

SINGVLARE CCLI.

1 Articulanti in criminalibus ad sui defensionem aliter, quam ipse in suis constitutis iterato affirmauerat, non detuli nisi

nisi saluo iure impertinentium, & non admittendorum, & postea eo pauco, quod probauerat, non attento ad torturam iuxta qualitatem indiciorum contra ipsum

2 processi ac si nihil probasset, quia id, quod postea sub prætextu obliuionis articulauerat, & in parte probauerat, erat ne dum omnino inuerisimile & sic suspectum de falso ad *Farin. de oppos. contra dicta test. quæst. 65. num.* 144. Sed tale, quod obliuisci potuisse non erat credendum, & maximè cum memoria satis super que interrogationibus sibi factis excitata fuisset. Dato enim prò constanti primo dicto, sequitur per necesse, quod sit falsum secundum, & in hoc Iudicis arbitrium versari debet, vt dicit *Clar. in pract. crim. quæst.* 21. *num.* 27. *vers. Mendacium in fine*.

3 Tantoque magis ita arbitrandum mihi suasum extitit, quando consideraui, quod ea, quæ prius iteratò deposuerat, & quæ ipsum grauiter indiciatum de delicto reddebant, talia erant, quod ipse non poterat cogitare, quod sibi obesse, vel prodesse possent, & pròut prodesse indubitanter tenebat ea, quæ postea probare procurauerat, & sic ratio mihi persuadebat, quod in istis, & non in illis mendacium, & fraus subesse posset.

ARGVMENTVM.

SVggestio nulla resultat, si solum indicia Reo objiciantur pròut in processu iacent.

SVMMARIVM.

1 *SVggestione confessio extorta attendi non debet.*

2 *Indicia talia, qualia sunt, Reis obijci licet, & non aliter.*

3 *Verbum (constat) plenariam cognitionem indicat, & manifestum importat.*

4 *Suggestio non cadit in ijs, quæ ex processu eliciuntur, & ad quæ etiam minima descendi potest, vt Reus conuincatur, vel crimen suum detectum agnoscat, vel si quid oblitus est recordetur.*

SINGVLARE CCLII.

VT pœnam confessati delicti Reus euitaret, dicebat suam confessionem sugge-

1 stione fuisse extortam, & propterea non attendendam, ad ea, quæ post alios tradit *Cyriac. controu. foren.* 150. *nu.* 102. *& seqq.* dicebat enim, quod sibi fuerat in interrogatorijs obiectum, quod Curiæ constabat ipsum commisisse delictum, de quo inquirebatur, quamuis re vera de ipso non constaret, sed tantum aliqua indicia apparerent. Et quidem vsu talis verbi, cōstare, ex

2 cessum fuisse videbatur clarum, cum indicia talia, qualia sunt, & non aliter aliquando objici liceat, ad ea, quæ etiam præmittit *Cyriac. vbi suprà nu.* 97. *& seqq.* Dicendum enim erat, quod Curia habebat aliqua indicia, quod Curia erat informata, & similia, non autem, quod eidem constabat,

3 cum tale verbum plenariam cognitionem indicet, & vt notat *Calep.* manifestum importet.

Verùm id non curandum duxi, & ad debitam pœnam processi: tum quia anteaquam fateretur, sibi distinctè lecta fuerant omnia ea, quæ Curia habebat, & sic facto declaratum extiterat, quod dictum verbum, constare, in dicta stricta significatio-

4 ne non accipiebatur, exclusa sic quacumque suggestione, quæ non cadit in ijs, quæ ex processu eliciuntur, & ad quæ etiam minima descendi potest, vt Reus conuincatur, vel crimen suum detectum agnoscat, vel si quid oblitus est recordetur, vt dicit *Pegna in annot. ad direct. Inquisit. parte* 3. *comment.* 18. *vers. Id vero*: tum etiam, quia ipsa sua confessio fuerat ita, & taliter à parte post verificata ex expressis per ipsum, quod nullus locus dubitandi relictus videbatur.

ARGVMENTVM.

VXor nec prò Mariti innocentia testificari valet, si ipse Maritus est grauiter indiciatus, & ad inuerisimilia deponenda ipsa vxor inducitur, condemnationeque Mariti etiam ipsius honor offenditur.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Vxor prò Marito testificari non potest, & quare; limita vt num. sequenti.*
2 *Vxor prò innocentia Mariti testificari potest; sed videtur contra, & limitatur, vt num. sequenti.*
3 *Vxor nec prò innocentia Mariti testificari potest, quando ipse Maritus est grauiter indiciatus, & maximè si sit inducta ad deponendum inuerisimilia.*
4 *Inuerisimilia deponens est de falso suspectus.*
5 *Testis inhabilis nec ad innocentiam probandam admittitur, si aliquid aliud eidem obstat, vel opponitur.*
6 *Defensionis causa testis inhabilis non admittitur, si ex condemnatione Rei, & ipsi testi iniuria fieret.*

SINGVLARE CCLIII.

1 VXorem prò viro testimonium dicere non posse tradit latè, & etiam de communi *Mascard. de probat. Concl. vlt. in princ.* Et post ipsum *Farin. de oppos. contra person. test. quaest. 54. nu.* 210. vbi numeris sequentibus rationes reddendo, præcipuè propter magnam affectionem illi non fidendum tradit.

Hanc igitur opinionem sequendo vxorem ad testificandum prò marito non admisi, etsi de probanda eiusdem mariti in-
2 nocentia tractaretur. Quamuis enim tali casu vxorem admittendam tradant & ipse *Mascard. vbi suprà, num.* 14. *& Farinac. num. seq.* 228. Tamen quicquid sit de hac limitatione, quæ non videtur posse subsistere, cum ratio prædictæ magnæ affectionis non cesset, immò fortius videatur militare, cum tractetur de subtrahendo maritum à pœna, quod est plus, quam vt eiusdem mariti offensor puniatur; credidi, quod in omnem casum esset solum admittenda, quando maritus leuiter esset de de-
3 licto indiciatus, secus autem, quando grauiter, & pròut erat in casu, de quo tractabatur, in quo erat ferè conuictus. Quod enim tali casu neque ad probandam innocentiam viri vxor sit admittenda, faciunt generaliter tradita per *Farin. vbi suprà, quaest. 62. limit. 5. de test. inhabil. admit. ad*
4 *defens. nu.* 91. *&* 92. Et maximè cum vxor ipsa esset inducta ad deponendum omninò inuerisimilia, & sic erat etiam de falso suspecta *Farin. de oppos. contra dicta test. quaest.* 65. *num.* 144. & propterea reijcienda veniebat, cum vltra qualitatem vxoris & hac
5 alia exceptione laboraret; testis enim inhabilis nec ad innocentiam probandam admittitur, si aliquid aliud ei obstat, vel opponitur, vt dicit *Mascar. vbi suprà Concl.*
6 904. *nu.* 14. & fortius tandem, quia si maritus condemnatus fuisset & ipsi dedecus resultasset, & sic quodammodo in propria causa testificata fuisset, contra ea, quæ notat *Dec. cons.* 133. *num.* 4. *& idem Mascard. dicta Concl.* 904. *num.* 12.

ARGVMENTVM.

EX præsumptionibus falsitatis ex vitio patenti, et visibili resultantibus ad pœnam extraordinariam, & non ad torturam procedi debet.

SVMMARIVM.

1 *FAlsitatis præsumptiones ex vitio visibili resultantes pœnam extraordinariam, & non torturam inducunt.*
2 *Falsitatis præsumptionibus ex vitio visibili resultantibus potest pœna extraordinaria, vel tortura irrogari arbitrio Iudicis.*
3 *Error non præsumitur nisi probetur.*
4 *Præsumptiones iuris sufficiunt in crimine falsi ad condemnandum, secus autem præsumptiones hominis, nisi sint violentissimæ, & indubitatæ.*
5 *Pœna ordinaria ex præsumptionibus nullatenus inferri valet.*

SINGVLARE CCLIV.

1 VRgentibus contra quendam inquisitum pluribus præsumptionibus falsitatis, etiam ex vitio visibili, & patenti resultantibus, omissa tortura, ad quam satis superque indiciatus erat, ipsum in pœnam extraordinariam condemnandum duxi, ex magis communi sententia Doctorum, de qua testatur *Farin. de falsit. & simul. quaest.* 152. *num.* 40.

2 Quamuis enim *nu. seq.* 43. subdat, quod tali casu tortura, vel condemnatio pendeat ab

ab arbitrio Iudicis, tale tamen arbitrium iuxta magis communem sententiam Doctorum regulandum credidi, & tantò magis, quanto euidens ratio id suadebat, si considerabatur, quod præsumptiones, quę ex vitio visibili resultabant, erant præsum-
3 ptiones iuris, cum excusari non valerent nisi cum errore, qui de iure non præsumitur, nisi probetur, *Menoch. de præsumpt. lib.*
4 *1. quæst. 61. num.* 13. & sic ipso non probato factum, quod manifestè falsitatem demonstrabat, necessariò puniendum videbatur, & pròut puniri debere præmittit *Farinac. vbi suprà num.* 24. 25. *&* 26. vbi contrarium firmat de præsumptionibus hominis, nisi sint violentissimæ, & indubitatæ. Et quidem meritò, cum in præsumptionibus hominis lex non statuat, quod contrarium non possit esse, vel saltem, quòd contrarium credi non possit, pròut statuit de errore, quem, vt dixi præsumendum non vult, & sit ipsum pœna extraordinaria exilij puniui, cum alias ordinaria fuisset trire-
5 mium, & quæ nullatenus ex præsumptionibus inferri valet, ad ea, quæ notat idem *Farin. dicta quæst. num.* 18. *&* 21.

ARGVMENTVM.

NOtario contra Testem, & Testi contra Notarium non creditur ad puniendum de falso, & idem videtur ad torquendum.

SVMMARIVM.

1 *NOtario contra Testem, & Testi contra Notarium non creditur ad puniendum de falso, si Iudex, vel alius examini non interfuit.*

2 *Notario contra Testem, & Testi contra Notarium creditur ad torquendum; sed videtur contrà, & quare.*

3 *Probatio sufficiens in ciuilibus sufficit ad torquendum in criminalibus; sed contra, & quare.*

4 *Notario contra Testem non creditur nec ad torquendum, si testis sit fide dignus.*

5 *Indicia ad torquendum debent esse luce clariora, & sola confessio deficere debet.*

SINGVLARE CCLV.

1 TEstis quærelatus de falso dicebat, quod Notarius diuersimodè scripserat ab ijs, quæ ipse deposuerat, & proinde instans non molestari, videbatur quoad pœnam omninò exaudiendus, cum ad puniendum de falso nec Notario credatur contra Testem, nec Testi contra Notarium, si Iudex, vel alius examini non interfuit, vt de communi tradit inter alios *Clar. in pract. crim.* §. *Falsum num.* 11.

2 Remanebat itaque dubium, an saltem Notarius tali casu faceret indicium contra testem ad torturam, cum *Mascard. de pro-*
3 *bat. Concl.* 1114. *num.* 12. firmet, quod sic, ex quo Notarius tali casu facit probationem in ciuilibus, & proinde est sufficiens ad torquendum in criminalibus, ad *Bart. in l. fin. in fine ff. de in litem iuran. & Boss. in pract. crim. tit. de fals. num.* 17.

Tenui ego quod non, quia non desunt qui asserunt contrarium etiam in ciuilibus, vt refert idem *Mascard. vbi suprà num.* 8. Et quidem non sine optima ratione, si consideretur, quod ratio, quæ militat in criminalibus, vigeat etiam in ciuilibus; immò à fortiori videatur dicendum, quod qui non probat in criminalibus, vbi grauitas materiæ testem magis monet ad veritatem deponendam, multò minus probare debeat in ciuilibus, vbi respectiuè leuitas materiæ ita non vrget.

4 Vlterius dato, quod in ciuilibus re vera Notarius tali casu probet, vt de communi dicit *Mascard. vbi suprà num.* 9. considerabam quod testis, de quo tractabatur, satis fide dignus ex ijs, quæ deducebat, suadebatur, & sic prò ipso faciebant ea, quæ subdit idem *Masc. num.* 13.

Vnde cum nihil aliud contra ipsum extaret, quam dictum Notarij dubitans, nolui procedere ad torturam, quæ inferri
5 solet, quando indicia sunt luce clariora, & sola confessio torquendi deesse videtur, ad tradita per *Ambros. in process. inform. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 16. sed ipsum cum fideiussione de se præsentando malui dimittere, pròut dimisi.

ARGVMENTVM.

FIdeiussor de præsentando Reum debet illum præsentare in carceribus, & maximè si ita expresè se obligauit, & præsentatio aliter facta à Iudice non acceptatur.

SVMMARIVM.

1 *FIdeiussio de præsentando resoluitur per vltroneam Rei presentationem.*
2 *Actus est semper intelligendus de actu legitimo.*
3 *Representatio Rei, vt sit legitima, intra carceres fieri debet, & quare; sed secus videtur, vt num. seq.*
4 *Fideiussor de præsentando Reum videtur liberatus, si illum præsentat Iudici, qui talem præsentationem acceptat.*
5 *Fideiussor de præsentando Reum, vt liberetur à fideiussione, debet ipsum præsentare in carceribus vt suprà num. 3. & absque dubio, si expresè ad id se obligauit.*

SINGVLARE CCLVI.

FIdeiussor de præsentando in carceribus se amplius non teneri dicebat, quia
1 principalis iam statuta die coram Iudice se præsentauerat, & sic per eiusdem Rei vltroneam representationem fideiussio resoluta fuerat, ad *Bart. in l. Si quis Reum nu. 2. ff. de custod. Reor. & alios quos citat Maur. de fideiuss. cap. 39. num. 2.*
2 Verùm cum quando tractatur de aliquo actu, semper intelligatur de legitimo, *l. 4. §. Condemnatum, ff. de re iudic.* Et ipse Reus non iuridicè, sed extraiudicialiter, & absque vlla circumstantia Iudici se præsen-
3 tasset, legitimè præsentatus non videbatur, cum legitima præsentatio sit illa, quæ intra carceres fit, ad ea, quæ dicit *Maur. vbi suprà cap. 3. num. 119.* Et quidem rectè cum præsentatio Reorum non ob aliud fiat, quam vt ipsi Rei in posse curiæ remaneant, alias sequeretur, quod facta tali simplici præsentatione, & per ipsam fideiussione sublata, ipsi Rei possent recedere, & sic iudicium eludere.
4 Quicquid igitur possit dici, quando Iudex talem simplicem præsentationem acceptat, ad ea, quæ tradit *Boss. tit. de carcer. fideiuss. commis. num. 36.* de simplici præsentatione, de qua tractabatur, quæ à Iudice non fuerat acceptata, non curaui, tan-
5 tò magis, quantò obligatio de representando erat expresè de præsentando in carceribus; & sic ad vlteriora contra fideiussorem procedi mandaui.

ARGVMENTVM.

MInæ faciunt indicium ad torturam, si de eorum mala causa constet.

SVMMARIVM.

1 *MInæ regulariter faciunt indicium ad torturam.*
2 *Minas facere, vel non facere indicium ad torturam pendet ab arbitrio Iudicis.*
3 *Minæ faciunt indicium ad torturam, si probatur odium minantis contra offensum.*
4 *Minæ vt faciant indicium ad torturam, requiritur, quod non appareat de aliqua alia inimicitia contra offensum.*
5 *Minas vnà cum causa minarum sufficientes habuit Senatus Mediolanensis ad torquendum, quia ex causa adminiculatas credidit.*
6 *Scire est rem per causam cognoscere.*

SINGVLARE CCLVII.

1 MInas facere indicium ad torturam ponit *Farin.* prò regula communiter approbata in *quæst. 50. de indic. & tort.* sed ex ijs, quæ postea ampliando, & limitando subdit, satis anceps fui in facti
2 contingentia, & tenendo cum *Mascardo*, & relatis per ipsum, quod hoc fit in arbitrio Iudicis, arbitrium ipsum vt tale facerent indicium regulaui ex odio, quo minitans
3 prosequebatur illum, qui fuerat offensus; odio enim tali probato, indubitanter tenui minas facere indicium ad torturam, cum *Baiard. ad Clar. quæst. 21. vers. Minæ* præ-
4 cedentes; stante quod de nulla alia inimicitia contra ipsum offensum constabat, quod requiritur ad ea, quæ dicit *Farinac. vbi suprà num. 12.*
5 Et quidem odio dato, & sic data causa nedum

nedum offensionis, sed & minarum, minas ipsas neque iocosas, neque iactatorias censendas credidi, & proinde sufficientes ad inferendam torturam, & proût tales sæpe iudicauit Senatus Mediolan. teste *Claro dicta quæst.* 21. *& vers. Minæ*. Non quidem vti supremus Princeps, sed quia minas eo casu adminiculatas habuit ex causa, vt obseruat *Farinac. vbi suprà nu.* 11. Quod enim maius adminiculum desiderari potest, quam causa, cum ipsa soleat facere
6 ita rem claram, & manifestam, vt meritò extet philosophicum axioma, quod scire sit rem per causam cognoscere.

ARGVMENTVM.

MAter in causa stupri facit indicium ad transmittendum inquisitionem maximè iunctis adminiculis, & absque dubio, si constat de fuga nominati in stupratorem.

SVMMARIVM.

1 *Stupri in causa etsi testes inhabiles non probent; tamen faciunt indicium.*
2 *Torturæ minus, quam semiplena probatio, sufficit.*
3 *Inquisitioni transmittendæ minus sufficit, quam id, quod ad torturam inferendam requiritur.*
4 *Mater prò filio admittitur in testem in casu difficilis probationis.*
5 *Mulier admittitur ad testificandum in casu, in quo veritas aliter haberi non potest. Item & absolute etiam de iure canonico.*
6 *Stupratæ dictum cum adminiculis facit indicium ad torturam.*
7 *Inquisitioni transmittendæ si non est locus ex indicijs, quæ resultant; est bona practica Reum citare, & sic eius fugam probare, cum talis fuga alijs iuncta procul dubio ad dictam inquisitionem sufficiat.*

SINGVLARE CCLVIII.

1 QVamuis in causa stupri testes inhabiles non probent, ipsos tamen facere indicium etiam de practica tradit *Clar. in pract. crim.* §. *Stuprum num.* 2. quem sequitur *Mascar. de probat. concl.* 1336. *num.* 4.

His itaque suppositis Matrem attestantem de stupro indicium facere ad transmittendam inquisitionem credidi, quia ita & taliter de ipso stupro deponebat, quod si alias non fuisset inhabilis ad testificandum, nedum ad inquisitionem transmittendam, sed & ad torquendum sufficiens fuisset,
2 cum semiplenè probasset; minus enim etiam, quam semiplena probatio sufficit ad torquendum, secundum *Glos. in l. Cum probatio ff. de probat. relat. per Clar. vbi suprà, quæst.* 20. *num.* 4. *vers. Ad torturam*, & absque dubio minus sufficit ad inqui-
3 sitionem transmittendam, cum ad id minus, quam ad torturam sit sufficiens, ad ea, quæ passim notant Doctores, & tradit *Ambros. in process. inform. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 6. *& seq.*
4 Nec mihi visum fuit obstare matrem prò filio non admitti, ad ea, quæ latè tradit *Mascar. vbi suprà concl.* 1148. *per totam*, quia ipsemet sub *num.* 28. limitat in casu difficilis probationis, proût erat iste, de quo tractabatur.
5 Minus, quod non esset admittenda, quia mulier, quę de iure canonico (quod seruandum erat in casu de quo tractabatur) in criminalibus non admittitur, ad pariter tradita per eundem *Mascar. concl.* 762. quia & hoc limitat ipse sub *num.* 15. *vers. Tertio velim limites in casu, in quo veritas aliter haberi non potest*, & proût erat ille, de quo agebatur; vltra quod etiam simpliciter de tali iure admittitur vt sequenti *sing.* 260.

Dicto itaque matris ipsius stupratę fretus, alijsque adminiculis ex processu resultantibus & pręcipuè depositione eiusdem
6 stupratę, quę cum adminiculis facit indicium ad torturam iuxta deducta per *Ciarlin. controu. foren. cap.* 174. *num.* 11. *parte* 2. condemnaui in contumacia stupratorem
7 nominatum, pręmissa etiam ad abundantiorem cautelam illa bona practica, de qua meminit *Clar. dicta quæst.* 20. *num.* 3. *vers. Ad formandum, in fine*, citandi scilicet Reum, vt ex probatione eius fugę indicia debilia, valida reddantur, & prout absque dubio, vt dicit ipse, tali casu redduntur.

ARGVMENTVM.

DElictum præsumitur ad effectum absolutionis.

SVMMARIVM.

1 *DElictum non præsumitur, & semper capienda est illa præsumptio, quæ delictum excludit; sed contra vt num. sequenti.*
2 *Delictum præsumitur quando tractatur de condemnando aliquem, & hoc fauore eius absolutionis.*
3 *Fauorabilior esse non debet causa Actoris, quam sit causa Rei.*

SINGVLARE CCLIX.

IMpedito quodam actu, cum postea dubitaretur, an validè fieret ad effectum puniendi illum, qui talem actum impedierat, si actus ipse legitimè institutus fuisset, & è contra, ad effectum eundem absoluendi, si indebitè fiebat; tenui quod indebitè fieret,
1 quia etsi delictum non præsumatur, & semper capienda sit illa præsumptio, quæ delictum excludit, ad *l. Meritò ff. Prò socio*, & ad alia, quæ latè tradit *Ant. Gabr. Concl. 2.*
2 *de crimin.* Tamen contrarium limitando dicit idem *Gabr. eadem Concl. sub num. 56.* quando tractatur de condemnando aliquem. Tunc enim, quia interest Rei prò absolutione, vt delictum præsumatur, delictum præsumitur, ad ea, quæ *num. seq.* pariter idem *Gabr.* subdit prçipuè ex *Rom. conf. 304. num. 2.* vbi idem pluribus confirmat *Mandos.* Et quidem sequeretur alias,
3 quod fauorabilior esset causa Actoris, prò qua præsumeretur, quam causa Rei, contra textum expressum in *l. fauorabiliores ff. de Reg. iur.*

ARGVMENTVM.

MVlier in criminalibus etiam de iure canonico in testem admitti potest.

SVMMARIVM.

1 *IVri canonico standum est in causis Ecclesiasticis, & Clericorum.*
2 *Mulier de iure Canonico in testem admittenda non est; sed contra.*
3 *Mulier de iure ciuili in criminalibus admittitur in testem.*
4 *Probationes omnes in arbitrio Iudicis posita sunt.*
5 *Marchiæ constitutio testes maiores 14. ann. siue masculos, siue fœminas in criminalibus admittit.*
6 *Mulieres non admitti in testes in criminalibus non seruatur.*
7 *Mulier, quando veritas aliter haberi non potest, etiam in criminalibus in testem admittitur.*

SINGVLARE CCLX.

1 CVm in causis Ecclesiasticis, & Clericorum iuri Canonico standum sit, ad tradita per *Bero. conf. 31. num. 22. vol. 1.* Et ad cumulata per *Bellet. disquis. cleric. parte 1. de exempt. Cleric. §. 2. nu. 3.* Dubitabam an in quadam causa criminali contra Clericum mulierem in testem admittere debe-
2 rem, cum de iure canonico admittenda non sit pròut etiam de communi tradit *Mascard. de probat. Concl. 762. per totam.*

Dubium erat, quia contrarium defendit *Dec. in l. Fæmina num. 34. ff. de reg. iur.* vt refert *Mascard. vbi suprà num. 12.* & eius sententia temeraria dici non potest, cum
3 habeat assistentiam iuris ciuilis, secundum quod mulier testis esse potest, vt pariter etiam de communi tradit ipse *Mascard. antecedenti num. 11.*

Cum itaque rationes, & auctoritates, quæ in contrarium adducuntur, mihi non viderentur concludere, per ea, quæ circa illas notat ipse *Dec.* tenui & hunc casum es-
4 se in arbitrio Iudicis, in quo probationes omnes positas esse tradit *Menoch. de arbitr. cas. 90. per totum.*

Tantoque magis id feci, quantò considerabam, quod & in terris Ecclesiæ, vbi ius Canonicum obseruatur ex *constitutione*
5 *Marchiæ* testis maior ann. 14. siue mascu-
6 lus, siue fœmina in criminalibus admittitur. Vltra quod non seruari, quod non admittatur, tradit *Alex. conf. 24. lib. 2. nu. 11.*

Prò modo itaque cæterarum eius qualitatum, eidem fidem adhibui, stante etiam quod

7 quod aliter veritatem haberi non posse videbatur; & si re vera aliter haberi non potuisset, omninò erat admittenda, ad ea, quæ tradit idem *Mascard. cit. Concl. 762. num. 16. & 17.*

ARGVMENTVM.

TEstibus singularibus, quibus nunquam credendum videtur, non creditur, quando tractatur de aliquo actu, in quo de necessitate tempus est probandum.

SVMMARIVM.

1 *TEstes singulares probant, quando tractatur de aliquo actu non momentaneo, sed successiuo; limita tamen vt num. sequenti.*

2 *Singularibus testibus non creditur, quando tractatur de aliquo actu, in quo de necessitate tempus sit probandum, etiamsi actus non sit momentaneus, sed successiuus.*

3 *Singularibus testibus nunquam credendum videtur, & quare etiam num. sequenti 5.*

4 *Vnicus testis non probat.*

5 *Testibus singularibus nec in facto connexo credendum videtur.*

SINGVLARE CCLXI.

VT excluderet à se delictum articulauerat Reus absentiam suam de tempore, quo commissum fuerat, & cum aliquid probasset per testes singulares, dubitabatur, an vti singulares essent attendendi, & videbatur quod sic, cum deponerent ipsum
1 Reum vidisse eodem die in tali loco, & sic tractaretur non de actu momentaneo, sed successiuo, quo casu tales testes probant, ad tradita per *Ant. Gabr. in suis com. Concl. lib. 1. Concl. 2. de test. num. 18.*

2 Verùm cum ipse *Gabr. sub num. 17.* limitando dicat id non procedere, quando tractatur de aliquo actu, in quo de necessitate tempus sit probandum, & pròut erat in casu controuerso, in quo tempus præcisum absentiæ de tempore commissi delicti requirebatur; tenui, & iudicaui in contrarium, ad ea etiam, quæ à contrario sensu dicit *Mascard. de prob. Concl. 1297. num. 2.*
3 & fortius, quia nunquam mihi persuasum extitit quomodo testes singulares vnquam probare possint, cum semper verum sit dicere, quod in suo dicto testis singularis
4 semper sit solus, & quod testis vnicus non probet, *cap. Licet* il primo *de test. Cum si-*
5 *mil.* Meo enim iudicio hoc debet habere locum & in facto connexo, quem refert *Alex. cons. 72. lib. 1. num. 4.* de Sacerdote scilicet, qui dixit Missam, quo casu videtur hoc posse probari per testes singulares, quorum alter dicat interfuisse dum dicebat Euangelium, & alter dum dicebat Agnus Dei. Si enim vnusquisque ipsorum in suo dicto est vnicus, quid potest facere connexitas vt probet? Faceret autem, quod vnicus in suo dicto de Agnus Dei probaret si iam duo de Euangelio attestati fuissent, & hoc non quia vnicus probet, sed quia tunc haberet prò suo dicto talem verisimilitudinem, quod eidem fides adhibenda esset, cum Missa iam cæpta, quod etiam fuerit finita sit credendum.

His itaque, & alijs, quæ ad propositum considerat *Alex. allegato cons. 72.* maximèque quia ipsi testes in eorum attestationibus de tempore commissi delicti per necesse non concludebant, ipsas non attendendas duxi, & ad vlteriora, pròut iuris erat, processi.

ARGVMENTVM.

COnfessus se retractans de delicto leui est absoluendus, si non præcedentibus indicijs inter Reos fuit habitus, & idem videtur dicendum etiam in delicto graui.

SVMMARIVM.

1 *COnfessus se retractans est absoluendus, si indicijs non præcedentibus inter Reos habitus fuit; sed contra num. seq. quamuis non benè.*

2 *Confessus legitimis non præcedentibus indicijs est condemnandus; sed contra, & quare vsque ad finem.*

3 *Confessio non præcedentibus indicijs facta videtur sufficiens ad pœnam extraordinariam.*

SIN-

SINGVLARE CCLXII.

1 QVendam confessum, se retractantem absolui, eò quia non præcedentibus indicijs fuerat citatus, & inter Reos constitutus, ac examinatus: quod enim tali casu confessio non præiudicet, latè tradit *Mascard. de probat. concl.* 351, *num.* 1.

2 Nec mihi visum fuit obstare, quod *Farinac.* dicat contrarium de Reo confes. & conuict. *quæst.* 81, *cap.* 1, *nu.* 13. firmetque etiam de communi, & practicata Doctorum sententia talem confessionem sufficere ad condemnandum, quia cum talis opinio principaliter fundetur in *cap.* 1, *de accusat. in* 6, vbi habetur, quod spontè confessus puniri, & condemnari potest etiam quod contra ipsum fama non laboret, corruit si consideretur, quod textus ille loquitur de eo, qui non constitutus inter Reos, sed spontè confessus fuit, & non dicit, quod vltra famam non adessent alia indicia, vt respondendo aduertit *Mascard, vbi supra num. sequenti*.

Sequendo itaque opinionem contrariam, quam subdit *Farin. vbi suprà nu. seq.* talem confessionem ad condemnandum non sufficere tenui, nec etiam in pœnam

3 extraordinariam, ad quam sufficere videtur concludere *Farin. vbi suprà cap.* 2. *num,* 75. Benè enim dicit *Mascar, citato loco,* quod talis confessio nihil probat, & non præiudicat confitenti etiamsi sit ratificata, quia semper potest dici extorta, ex quo probationes simpliciter non sunt sumendæ de domo Rei, & potest dici facta per metum iniustum incussum ex constitutione inter Reos, qui solent fateri de plano, ne conuicti postea acrius tractentur; per necesse enim concludere debebat, qui sic tractabatur, quod esset indiciatus, & quod prò conuicto posset haberi, & vti pertinax postea grauius puniri.

Vlterius dato etiam prò vero, quod talis confessio posset sufficere ad pœnam extraordinariam, vel ad torturam, versabar in re tam leui, quod nec torturæ, nec pœnæ extraordinariæ locus esse poterat, & sic vt melius in re graui cogitarem, prò tunc vt supra causam expediui.

ARGVMENTVM.

COrpus delicti non requiritur nec in delicto facti de sui natura permanentis, si de ipso ex signis æquiuocis dubitatur.

SVMMARIVM.

1 *Delictum facti transeuntis non requirit, quod constet in primis & ante omnia ac corpore delicti.*

2 *Delictum facti transeuntis, & delictum facti permanentis sunt vnum & idem, quando signa delicti facti permanentis sunt æquiuoca, & proinde in vtroque casu eodem modo est procedendum.*

3 *Delicta, quæ de nocte in domo committuntur, benè coniecturis, & præsumptionibus probatur.*

SINGVLARE CCLXIII.

NEglecto corpore delicti in quodam cadauere, quod signa habebat secundum aliquos peritos inferentia mortem naturalem, & secundum aliquos violentam, ad vlteriora contra inquisitum processi, tanquam verlarer in delicto facti transeuntis,

1 in quo in primis, & ante omnia non requiritur quod constet de corpore delicti, vt dicit *Clar, in pract. crim,* §. *fin. quæst.* 4. *nu.* 2.

2 Idem enim mihi omninò videtur, quod vestigia non remaneant, & quod non dignoscantur an sint signa morbi, vel violentiæ, & sic diuersimodè non est procedendum, vt faciunt quidam Iudices, contra quos inuehit *Clar, dicta quæst.* 4. *in fine*.

Assumptis itaque informationibus prò ut in delictis facti transeuntis fieri solet, & probato quodam rumore, qui manifestè arguebat delictum, cum sequutus esset de nocte, & in domo, in qua soli inquisitus, & mortuus erant, & quem rumorem ipse inquisitus negabat, etiam de delicto ex hoc

3 mihi constare visum fuit, cum delicta, quæ de nocte in domo committuntur, benè coniecturis, & præsumptionibus probentur, ad tradita per *Menoch. de præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 58. *num.* 11. Et sic tandem satis superque constito etiam de delinquente in personam ipsius inquisiti, pœnæ debitæ locus fuit.

ARGVMENTVM.

COncilium Tridentinum quoad *cap. Causæ omnes sess. 24. de Reform.* non habet locum in causis, quæ respiciunt offensiones ministrorum, seù officialium superioris, ad quem ipsæ spectant, etiam in prima instantia.

SVMMARIVM.

1 *ORdinarius est Iudex omnium causarum in prima instantia.*

2 *Cap. Causæ omnes sess. 24. de reform. non habet locum in causis concernentibus offensam ministrorum, seù officialium Archiepiscopi, etiamsi non sit impedita eius iurisdictio.*

3 *Magna Curia Vicariæ Neapolis procedit in prima instantia in causis, in quibus tractatur de offensis suorum ministrorum, non obstante priuilegio concesso alijs curijs in prima instantia priuatiuè etiam quoad ipsam magnam curiam.*

SINGVLARE CCLXIV.

INstabat Ordinarius sibi remitti quandam causam, quæ tractabatur coram suo Superiore occasione offensionis factæ ministris eiusdem Superioris, & fundabat suam in-
1 tentionem in dispositione *Conc. Trid. in cap. 20. Causæ omnes sess. 24. de reform.* mandantis causas omnes in prima instantia coram ordinarijs esse pertractandas.

Verùm vt muneri meo satisfacerem, fui
2 in voto non esse causam remittendam, & ita fuit executum, quia dictum *cap. causæ omnes, non derogat cap. 1. de pœnis in 6.* quo datur facultas Archiepiscopo cognoscendi de iniuria illata suis nuncijs, vel familiaribus per subditos suffraganeorum, etiamsi non impediatur iurisdictio, & faciunt notata per *Bellet. disq. Cleric. tit. de fau. Cleric.*
3 *reali num. 11. cum seqq.* multòque melius deducta per *Vinc. de Franch. decis. 722. nu. 24. & 25.* vbi licèt curiæ Artium, & Baronum gaudeant iurisdictione, & priuilegio in prima instantia priuatiuè quoad Magnam Curiam, tamen offensa illata ministris dictæ Magnæ Curiæ procedit etiam Magna Curia in prima instantia.

ARGVMENTVM.

IVdex incompetens fit competens, si eius aures sint offensæ, vel iurisdictio violata.

SVMMARIVM.

1 *IVdex alias incompetens fit competens, si eius aures, & iurisdictio sint offensæ.*

2 *Textus in l. Nullum, Cod. de test. qui loquitur de teste falsum deponente, intelligitur & de quocumque alio aures Iudicis, vel eius iurisdictionem offendente.*

3 *Lex Nullum, Cod. de test. loquens de teste falsum deponente procedit à fortiori in offendente Iudicem, vel eius iurisdictionem factis.*

4 *Birruarij si sint offensi, Iudex cuius sunt Birruarij procedit etiamsi offensio sit ex causa priuata.*

5 *Episcopus ratione offensionis fit Iudex competens Regularium à sua iurisdictione exemptorum.*

6 *Ministri, seù Apparitores conueniuntur coram eo, cuius ministerio sunt addicti, præterquamquod in delictis commissis in officiando apud alios, vel in præiudicium iurisdictionis illorum commissis, & quare.*

7 *Clericus ex l. Nullum, Cod. de test. videtur posse puniri & à Iudice laico; sed contrarium magis communiter tenetur, & est verius.*

8 *Iudex laicus est omninò, & penitus incapax iurisdictionis super personas Ecclesiasticas, illasque nec iudicat, nec iudicare valet.*

SINGVLARE CCLXV.

OFfensis ratione officij Birruarijs cuiusdam Tribunalis, contra offensores in eodem Tribunale procedendum esse censui, & processum fuit non obstante, quod
1 ipsi offensores vti Birruarij alterius Tribunalis se exemptos dicerent, quia Iudex alias incompetens efficitur competens, si eius aures, & iurisdictio sint offensæ, per textum vulgatum in *l. Nullum, Cod. de test.*
2 qui licèt loquatur de teste falsum deponente, & sic de illo, qui verbo falsitatis Iudicem offendit, tamen semper intellectus
3 fuit & de quocumque alio, & à fortiori intelligendus erat de casu præsenti, in quo offensio non verbo, sed facto fuerat facta,

vt

vt omnia benè aduertit *Vinc. de Franch. decis. 722. num. 26. vers. Vnus ex Dominis,*
4 & in terminis de Birruarijs offensis, quod ita sit procedendum, tradit *Mastril. decis. 147. nu. 16. & seqq. & Sperell. in Decis. for. Eccles. decis.* 86. *à num.* 1. *ad nu.* 7. ampliat, etiamsi offensio oriatur ex causa priuata, & *Bellet. disqu. Clericalium de fau. Cleric. reali num.* 11. *nu.* 20. & 21. loquendo in spe-
5 cie de Episcopo dicit, quod ratione offensionis sit Iudex competens Regularium à sua iurisdictione exemptorum.

Et quidem, loquendo de offensionibus ratione officij factis, omnis ratio suadet, quod sint puniendæ ab illo, cuius iurisdictio est offensa, aliàs frustratoria esset, & contemptibilis illa iurisdictio, quæ coercitionem non haberet; vnde non immeritò *Petr. Greg. in Syntagm. Iuris. parte* 3. *lib.* 47. *Cap.* 40. *num.* 24. respondendo ad conclu-
6 sionem, quod Apparitores coram alio conueniri non possunt, quam coram eo, cuius ministerio sunt addicti, ne ab exercitio, cui sunt deputati, auellantur; dixit locum habere in alijs criminibus, quam in officiando apud alios Iudices, vel in præiudicium iurisdictionis illorum commissis, cum vnicuique liceat etiam pœnali iudicio iurisdictionem tueri, & cognoscere etiam contra alienigenas in iurisdictione delinquentes.

7 Immò non desunt multi, qui tenent dictam *l. Nullam, practicari posse & à Iudice laico contra Clericum*, vt latè deducit *Carol. de Graff. de eff. Cleric. effect.* 1. *num.* 1145. *& seqq.* quamuis magis communis opinio, & verior sententia sit in contrarium, vt sub-
8 dit ipse *Carol. de Graff. num. sequentibus*. Et meritò cum Iudex laicus sit omninò & penitus incapax iurisdictionis super personas Ecclesiasticas, illasque non iudicet, nec iudicare valeat, ad ea quæ præmittit idem *de Graff. eod. eff. num.* 6.

ARGVMENTVM.

PErquisitiones in criminalibus non de facili sunt committendæ, sed factæ tenent.

SVMMARIVM.

1 *Reus in criminalibus non tenetur edere iura Fisco.*

2 *Perquisitio facta in domo Rei nullis præcedentibus indicijs, & vti probationis initium, est aliena à iure, sed vide numeris sequentibus.*

3 *Perquisitio facta nullis præcedentibus indicijs tenet, & quare.*

4 *Perquisitio in terminis furtorum ad instantiam damnum passi communiter tenetur, quod sit, & non sit licita, sed fieri practicatur.*

5 *Perquisitio vti respiciens bonum publicum ob detectionem delictorum, & delinquentium practicari debet.*

6 *Perquisitio in criminalibus habet difficultatem aliquam in fieri, secus in facto esse, & quare.*

SINGVLARE CCLXVI.

FActa perquisitione in domo cuiusdam, repertisque per Fiscum aliquibus scripturis eidem præiudicialibus, quærebatur an contra ipsum essent attendendæ, cum
1 sit communis opinio, & ex mente omnium, quod Reus non teneatur in criminalibus edere iura Fisco, vt refert *Clar. in pract. cri-*
2 *min.* §. *fin. quæst.* 27. *num.* 2. Et maximè quod dicta perquisitio facta fuerat nullis præcedentibus indicijs, & vti probationis initium, quod est alienum à iure, per ea, quæ dicit *Boss. tit. de exam. Reor. num.* 9.

3 Tenui tamen ego contrarium, quia non militabant in hoc casu ea, quæ dixi suprà in *Singul.* 262. de confessione nullis præce-
4 dentibus indicijs extorta, & quia talem perquisitionem in terminis furtorum fieri posse etiam de communi refert idem *Clar. in* §. *furtum Vers. Quæro nunquid*, vbi etsi subdat etiam contrarium communiter teneri, tamen non recedendum credidi à primo dicto, per ea, quæ indistinctè de practica tradit *Ambros. in suo proces. inform. lib.* 1. *Cap.* 5. *nu.* 2. & sequentibus, & subiungit idem *Clar. dicto vers. Quæro nunquid.*

5 Et quidem cum similes perquisitiones tendant ad detegendum delicta, & delinquentes, qui alias forsan detegi non possent, vtique ob bonum publicum practicari debent, vt obseruat *Ambros. vbi suprà num.* 5.

6 In omnem autem casum dubium non in

vsu

vſu iam factarum, quæ præiudicium quod inferre poterant iam intulerunt, ſed in faciendis ſolum conſiſtere poſſet, & meo iudicio ſolùm eſſent denegandæ, quando non extantibus indicijs tractaretur de perquirendo res furtiuas in domo honeſtarum perſonarum, vel de aliquo actu ſimili, qui infamiam aliquam irrogare poſſet, vt animaduertit *Addens ad dictum cap.* 5. *Ambroſ.* Secus autem quando infamia reſultare non poſſet, puta ſi tractaretur de perquiſitione armorum, vel ſimili, de perſona vili, vel diffamata, vel quando adeſſent aliqua indicia id faciendi, quæ ad tradita per *Boſſ. vbi ſuprà*, ſemper perquirere licitum faciunt.

ARGVMENTVM.

Officialis pecunia publica, ſacraue ſibi credita abutens animo illam furandi, peculatus & non reſiduorum crimen incurrit.

SVMMARIVM.

1 *Officialis pecuniam publicam, ſacramue ſibi creditam in vſum deſtinatum non erogans, ſed illa abutens, & prò ſe retinens, reſiduorum & non peculatus crimen incurrit; ſed contra ſi adeſt animus fraudandi, vt nu. ſeq.*

2 *Peculatus crimen, & non reſiduorum incurrit, qui pecuniam publicam, ſacramue in vſum deſtinatum non erogat, illaque animo fraudandi abutitur, & quare num. ſeq.*

3 *Voluntas, & propoſitum diſtinguunt maleficia.*

4 *Reſiduorum crimen eſt minus furto, ex quo non eſt verè furtum.*

SINGVLARE CCLXVII.

1 Qvidam Officialis, qui pecuniam publicam, & ſacram ſibi creditam in vſum deſtinatum non erogauerat, ſed illa abuſus fuerat, etiam prò ſe retinendo crimen peculatus declinare prætendebat ex ijs, quæ cumulat *Caball. reſolut. crimin.* 99. *num.* 31. *&* 32. *qui num. ſequenti* ſubdit, quod ob talia non peculatus, ſed reſiduorum crimen incurritur.

2 Quia tamen erat grauiter indiciatus, quod nedum prædicta feciſſet, ſed quod procuraſſet oſtendere, quod iuxtà formam ſibi præſcriptam pecunia erogata fuiſſet, vt ſolidationem computorum reportaret, & publicam, ſacramque cauſam fraudaret; fui in voto de hoc prius eſſe diſcutiendum, & ita fuit reſolutum, quia tali caſu crimen peculatus abſque dubio intraſſet, vt ſubtiliter animaduertit, & clariſſimè fundat *Nobiliſſimus, doctiſſimuſque Regens Sanfelicius, deciſ.* 284. *num.* 21. *& ſequentibus*. Et quidem ſi eſt verum, pròut eſt veriſſi-
3 mum, quod voluntas, & propoſitum diſtinguunt maleficia, vt ex pluribus dicit *Farin. conſ.* 35. *num.* 7. & habetur in eiuſdem *conſ. addit. verbo Dolus, litera* F. ſi animo furandi dicta pecunia retenta fuiſſet,
4 peculatus, & non reſiduorum pœna intraſſet, cum reſiduorum crimen ſit minus furto, ex quo non eſt verè furtum, ad tradita per *Farinac. quæſt.* 171. *num.* 19. *in fine, & num. ſeq.* 57.

ARGVMENTVM.

Abiurationis forma ad vnguem eſt ſeruanda, etſi qui abiurare debet mitius ex aliquo reſpectu ſit puniendus.

SVMMARIVM.

1 *Abiuratio eſt facienda publicè, vel ſecretè, ſecundum quod apud plures, vel pauciores qui abiurare debet ſe ſuſpectum reddidit.*

2 *Finis principalis expiationis delictorum eſt exemplum aliorum.*

SINGVLARE CCLXVIII.

Svſpecto de hæreſi, cui ex nonnullis videbatur aliquid indulgendum, nihil circa formam abiurationis remittendum duxi, quia cum iſta ſit principaliter inducta, vt debitus honor Deo reddatur, & ſcandalum hominibus datum, vel mala impreſſio
1 in illis cauſata tollatur, vt colligitur ex traditis per *Eymeric. in Directorio Inquiſit. parte* 3. *num.* 161. *de quarto modo terminandi proceſſum fidei per abiurationem de leui, & ſeq. num.* 166. *de quinto modo per abiuratio-*

nem de vehementi. Quibus in locis dicit in vtroque casu abiurationem fieri debere publicè, vel secretè, secundum quod apud plures, vel pauciores qui abiurare debet se suspectum reddidit, si in ipsa abiuratione remissè procederetur, vtiquè negligeretur principalis finis expiationis delicto-
2 rum, qui consistit potius in exemplum aliorum, quam in punitione delinquentium, quibus absque alia pœna posset occurri, ipsos tractando ita & taliter, quod amplius delinquere non possent.

Et sic, abiurationis forma ad vnguem seruata, mitius quoad pœnas tractatus extitit.

ARGVMENTVM.

Absolutus ex capite innocentiæ non potest iterum molestari, secus absolutus ob crimen non probatum.

SVMMARIVM.

1 *Absolui non debet quis ex capite innocentiæ, si concludenter non probat se delictum, de quo imputatur, non commisisse, & quare.*

2 *Absolutus ex capite innocentiæ tam iure communi inspecto, quam curiarum criminalium attenta practica amplius molestari non potest.*

3 *Absolutio ob crimen non probatum etsi sit definitiua non impedit iterum agi inspecta communi, & obseruata practica.*

SINGVLARE CCLXIX.

1 Prætendenti absolutionem ex capite innocentiæ, vel vti non culpabile, quæ meo iudicio sunt synonima, dixi non esse deferendum, si re vera non probasset concludenter se non commisisse delictum, de quo imputabatur, alias debere esse contentum, quod absolueretur vel ex hactenus deductis, vel vti non repertus culpabilis, quæ pariter mihi videntur coincidere.

Motus autem ad id fui, quia etsi innocens quis appareat, non est tamen, quod delinquens apparere non possit; & valde interest Reipublicæ, quod via aperta re-
2 maneat ad puniendum delicta, & quæ via tam iure communi inspecto, quam Curiarum criminalium practica attenta per absolutionem ex capite innocentiæ omninò quoad absolutos tollitur, cum iterum molestari non possint, ad ea quæ tradit *Farinac. quæst. 4. de Inquis. in 3. ampl. num. 28.*
3 *& Caball. resol. crim. cas. 93. num. 39.* Quod non sequitur ex absolutione ob crimen non probatum, quæ etsi sit definitiua non impedit iterum agi inspecta communi, & obseruata practica, quam referunt prædicti *Doctores locis citatis*.

ARGVMENTVM.

Crimen residuorum cum dolo grauiter, & non leuiter puniri debet.

SVMMARIVM.

1 *Crimen residuorum non est verè furtum, illoque est minus; sed contra num. seq. & concorda vt num. 3.*

2 *Residuorum crimen est maius furto, vel saltem est æquale; sed concorda vt num. sequenti.*

3 *Residuorum crimen est minus furto, si est absque dolo, secus cum dolo.*

4 *Delictum absque dolo non datur.*

5 *Administrator eo ipso, quod non restituit ea, quæ ad ipsum peruenerunt, est in dolo, & talis dolus à iure præsumitur.*

6 *Dolus à iure præsumptus dicitur verus dolus, ac concludenter, & liquidissimè probatus.*

SINGVLARE CCLXX.

Habito prò conuicto quodam Administratore de crimine residuorum, quærebatur qua pœna ipse esset plectendus; & videbatur quod restitutis restituendis, vel
1 non, vel leuiter esset puniendus, cum crimen residuorum non sit verè furtum illoque sit minus, ex traditis per *Farinac. & alios, quos ipse citat quæst. 171. num. 19. & num. 57.*

2 Quia tamen maius furto tale crimen dicit *Bossius in tract. de lege Iul. pecul. & de resid. nu. 5.* & saltem est æquale, per ea quæ tradit *Caball. resol. crim. 99. num. 47.* Cen-
3 sui *Farinac. & alios* dicentes in contrarium esse intelligendos de crimine residuorum
4 absque dolo, quo casu cum non sit verè delictum, quod absque dolo non datur, vt tradit

tradit *Osasch. decis.* 109. *num.* 4. *& Cyriac. controuers. foren.* 132. *num.* 32. merito non dicitur verè furtum; & ad hæc faciunt tradita per *Matth. Vuesemb. in Paratitil. seù Comment. Iur. ciu. ad tit. de l. Iul. pecul.* relatum per *Sanfelic. decis.* 284. *num.* 30. *& sequentibus*.

De dolo autem non videbatur dubitandum in casu, de quo tractabatur, ex quo
5 Fiscus habebat intentionem fundatam, eo quia ipse Administrator non restituerat, quæ ad ipsum peruenerant, *Cyriac. controuers. forens.* 73. *num.* 32. *& alij per ipsum*
6 *relati*. Talis enim dolus cum à iure præsumatur, dicitur verus dolus, ac concludenter, & liquidissimè probatus, ad trad. per *Farinac. cons.* 96. *num.* 26. *&* 28. *lib.* 1. Et tantò magis id procedere videbatur, quantò moram statim conuentus non purgauerat restituendo, vel saltem profitendo quæ debebat.

Deducente autem Reo postea nonnulla ad exclusionem prædicti doli, nescio quem finem causa habuerit.

ARGVMENTVM.

IMpeditus est excusandus vel ex impedimento necessario, vel ex credulitate.

SVMMARIVM.

1 *IMpeditus est excusandus, sed impedimentum necessarium debere esse videtur.*
2 *Credulitas excusat, & secundum aliquos etiam si sit credulitas fatua, & temeraria.*

SINGVLARE CCLXXI.

MOlestabatur quidam Officialis ob damnum, quod officium ex nonnullis suis omissionibus reportauerat. Verùm cum diceret, & ostenderet se circa præmissa impeditum fuisse à suis in eodem officio Superioribus, contrà ipsum supersederi ipsosq; Superiores conueniri mandaui, cum
1 impeditus sit excusandus *l. Si vehenda* §. *Idem iurisc. ff. ad l. Rhodiam de iactu cum simil.* Quamuis enim id videatur intelligendum de impedimento necessario, per ea quæ habentur in *l. Non exigimus* §. 1. *ff. Si quis caut. iuncta ibidem Glossa, in verbo Muneris*, & tantò magis, quod dictus Officialis poterat, & debebat Superiores maiores monere de inconuenienti, quod succedebat; tamen dictum inconueniens non ita de facili comprehendi poterat, & omninò videbatur præsumendum, quod ipse inconueniens non esse apprehendisset, cum
2 sic sibi supponeretur à suis Superioribus viris probis, & satis fide dignis. Quod enim credulitas tali casu excuset, tradit *Giurba cons. Crim.* 34. *num.* 19. *& seq.* & ampliando etiam de credulitate fatua, & temeraria, sequitur *Farin. in praxi de pæn. temper. quæst.* 90.

His itaque ita stantibus Superiores prædicti damnum ipsorum facto causatum emendarunt, & sic nil vlterius fuit actum.

ARGVMENTVM.

PIscationem, & venationem neque Domini terrarum, neque Princeps absque consensu Populi, cuius interest, prohibere possunt, & maximè in priuilegium alicuius.

SVMMARIVM.

1 *VEnationem, & Piscationem Domini terrarum in terris suis prohibere non possunt.*
2 *Venandi, & piscandi ius æquiparatur.*
3 *Piscandi ius est de iure gentium omnibus commune tam in mare, quam in publicis fluminibus.*
4 *Venationem, & piscationem Princeps ex se solo absque consensu Populi, cuius interest, prohibere non potest.*
5 *Legatus de latere non potest facere contra ius commune; sed vide numerum 7. sequentem.*
6 *Legatus de latere non potest condere statuta iuri communi contraria.*
7 *Legatus de latere potest ex causa contra ius commune aliquid operari.*
8 *Priuilegium, quod Rempublicam lædit, Princeps concedere non valet.*

SINGVLARE CCLXXII.

1 CVm certum sit Dominos terrarum non posse in terris suis prohibere piscatio-

scationem, ad trad. per *Dec. cons. 302. nu.*
2 *19.* & proinde neque venationem, cum ius piscandi, & ius venandi æquiparentur, vt pariter tradit *Dec. vbi suprà*, & hoc, quia
3 ius piscandi est de iure gentium omnibus commune tam in mare, quam in publicis fluminibus, vt sunt textus aperti in *l. 1. ff. de acquir. rer. dom. & in §. Flumina, instit. de rerum diuis.* dabatur prò indubitato
4 quod Legatus de latere tale ius prohibere non posset, quia si nec Princeps ex se solo absque consensu Populi, cuius interest, id facere valet, vt omissis alijs in puncto tradit *Guid. Pap. quæst.* 414. & firmat *Dec. cons.*
5 197. multò minus Legatus, qui contra ius commune nihil facere potest, secundum *Cravet. cons.* 303. *num.* 2. *Gloss. ad Const. March. cap. 6. in verbo Homicidys*, & alios
6 passim, & præcipue *Rotam*, quæ *in decis.* 780, *num.* 11. *partis* 1. *diuers.* dixit ex communi, quod Legatus de latere non potest condere statuta iuri communi contraria, & sic quærebatur solùm, an eidem id facere liceret ex causa damnorum, quæ occasio-
7 ne venationum inferebantur, & videbatur, quod sic, cum Legato de latere contra ius commune ex causa aliquid operari sit licitum, *Gambar. de off. & pot. Leg. lib.* 10. *nu.* 391.

Verùm quia inconcussum manebat id, quod dicitur etiam de Principe volente id
8 facere absque consensu Populi, & maximè in priuilegium alicuius, cum Princeps priuilegium quod Rempublicam lædit, concedere non valeat, vt expressè dicit *Bart. in l. fin. Cod. Si contra ius, vel vtil. publ.* quicquid dici posset de prohibitione facta ob bonum publicum, vel in commodum ipsius Principis; fui in voto, quod absque tali consensu id ipsi facere non liceret in fauorem priuatorum, intelligendo semper de venationibus, quæ per necesse damna non inferrent, non autem de illis, quæ absque damnis in segetibus, & similibus exerceri non possent, quia tali casu venatio de licita, ratione damni ab ipsa inseparabilis, in illicitam degenerasset.

Sic itaque vel non fuit id prohibitum, vt fieri solebat, vel si prohibitum aliquando, nunquam ad pœnas comminatas deuentum; & benè, cum damnis iam ex alijs generaliter cautum esset.

ARGVMENTVM.

Constitutio pœnalis, & iuris communis correctoria nec ex identitate, nec ex maioritate rationis est extendenda, quicquid sit quando ratio exprimitur, vel vnica assignari potest.

SVMMARIVM.

1 *Correctoria iuris communis ex identitate rationis non sunt extendenda.*
2 *Correctoria iuris communis neque ex maioritate rationis sunt extendenda, quicquid sit quando ratio est expressa, vel vnica assignari potest.*
3 *Comprehensa sub generalitate verborum, ex minoritate rationis non comprehensa sunt censenda.*
4 *Pœnales leges non sunt ampliandæ, sed restringendæ.*

SINGVLARE CCLXXIII.

Constitutionem pœnalem minimè extendendam censui extra casum expressum, non obstante quod prætenderetur id fieri
1 debere ex identitate rationis, quia erat correctoria iuris communis, & sic neque ex identitate rationis extendenda, ad ea, quæ tradit *Alex. cons. 76. nu. 9. lib.* 4. immò ne-
2 que ex maioritate, vt etiam de communi deducit *Paris. cons. 16. nu. 18. parte* 3. quicquid dicat postea, quando ratio esset expressa, vel vnica assignari posset, quod vtique non erat in casu, de quo tractabatur, & in quo nedum maior, sed minor ratio
3 considerabatur, & sic etiamsi sub generalitate verborum comprehendi potuisset, prò non comprehenso erat habendus, ad ea, quæ deducit *Osasch. decis. Pedemont.* 170. *num.* 14. præcipuè ex ijs, quæ latissimè scripsit *Cravet. cons. 3. num. 3. vsque in fin.* &
4 tantò magis ita tenui, quantò leges ipsæ pœnales non sunt ampliandæ, sed restringendæ *cap. Pœnæ de pœnit. dist. 1. ex tit. ff. de pœnis.*

ARGVMENTVM.

Administrator abutens pecunijs publicis sibi numeratis, & ad vsum

vſum certum deſtinatis poteſt etiam criminaliter moleſtari non obſtante fideiuſſione prò ipſis pecunijs præſtita.

SVMMARIVM.

1 *Numeratio transfert dominium pecuniarum in perſonam cui numerantur; ſed limita vt num. 3. ſequenti.*

2 *Numeratio facit, quod pecunia numerata cenſeatur commiſſa periculo perſonæ, cui fuit numerata.*

3 *Numeratio pecuniæ deſtinatæ ad certum vſum, & pecunia publica non transfert dominium in perſonam, cui ipſæ pecuniæ numerantur, & quare.*

4 *Adminiſtrator abutens pecunia ad certum vſum deſtinata, & ſibi numerata, poteſt criminaliter moleſtari, non obſtante fideiuſſione prò ipſa pecunia præſtita, cum actio criminalis cum ciuili tali caſu cumulari valeat.*

SINGVLARE CCLXXIV.

Traditis, & numeratis ad certum vſum pecunijs publicis cuidam Adminiſtra-
1 tori, prætendebat illis potuiſſe vti, quaſi quod per numerationem fuiſſet in ipſum translatum dominium, ad tradita per *Farin.*
2 *fragm. de furt. nu.* 37. cum tali caſu eius periculo pecunia commiſſa cenſeatur, vt dicit *Capol. conſ.* 29. *num.* 35. *in fine, & Decian. tract. crim. lib.* 8. *cap.* 32. *nu.* 4. & tantò magis, quod ipſe Adminiſtrator prò ipſa pecunia fideiuſſioñe præſtiterat, criminaliter prò prętenſo abuſu non moleſtari inſtabat.
3 Verùm in contrarium facientibus traditis in puncto per *Maſtril. deciſ.* 238. *nu.* 66. *& ſeqq.* vbi firmat, quod id non procedit in pecunia deſtinata ad certum vſum, & in pecunia publica, & meritò, cum tales pecuniæ quodammodo nec dantis, nec recipientis dici poſſint, ſed ipſius vſus ſint; etiam me ſic votante non fuit ipſe Admini-
4 ſtrator auditus nec reſpectu prædictæ fideiuſſionis, quæ cenſenda erat data, & recepta prò ſecuritate refectionis damnorum, non autem vt excluderetur actio criminalis, quæ in caſu, in quo poteſt intrare, cum ciuili cumulatur, vt pariter in puncto tradit, & exemplificat *Maſtril. vbi ſuprà nu.* 59. *&* 60. omninò in tali materia videndus.

ARGVMENTVM.

Inquiſitus prò pœna pecuniaria poteſt in carceribus detineri, ſi fideiuſsionem de ſe repreſentando non offert, & ſe repreſentare tenetur, niſi requiſitus pœnam ipſam deponat.

SVMMARIVM.

1 *Pœna pecuniaria, prò qua quis eſt inquiſitus, non ſufficit vt ipſe poſſit carcerari; limita tamen, vt num. ſequenti.*

2 *Carcerari poteſt inquiſitus prò pœna pecuniaria, ſi fideiuſſionem non offert, vel non habet.*

3 *Fideiuſſio prò pœna pecuniaria ſolet eſſe de ſtando iuri, & iudicatum ſoluendo; ſed contra, & quare.*

4 *Fideiuſſoribus non eſt relaxandus Reus carceratus prò pœna pecuniaria, ſi iam conſtat, quod ipſi pœna eſt locus.*

SINGVLARE CCLXXV.

1 Recuſantem præſentare in carceribus iuxta formam ſuæ obligationis quendam inquiſitum ſub prætextu, quod non eſſet obnoxius pœnæ corporis afflictiuæ, ſed tantum pecuniariæ, & quod proinde non deberet carceribus mancipari, ſecundum quod communiter tenent Doctores, vt dixit *Ant. Gomeſ. cap.* 9. *Delictorum num.* 8. audiendum non duxi, ip-
2 ſumque ad repreſentandum, vel ad pœnam deponendam cogebam, quia ſi inquiſitus prò pœna pecuniaria fideiuſſorem non offert, vel non habet, vtique in carceribus detineri debet, & in practica detinetur, vt declarando id, quod ſupra dicunt Doctores, dicit *Clar. in pract. crim.* §. *fin. quæſt.* 46. *num.* 7.

Suppoſito itaque quod inquiſitus prò pœna pecuniaria vt carceres effugiat teneatur fideiuſſorem præſtare, ne fideiuſſio præſtita ſit fruſtratoria, fideiuſſorem ad ipſam adimplendam conueniri, & conſtringi poſſe dicendum venit.

3 Nec mihi viſum fuit obſtare, quod talis fideiuſſio quando ſolum venit pœna pecuniaria non deberet eſſe de repreſentando, ſed de ſtando iuri, & iudicatum ſoluendo, vt fieri ſolere dicit *Clar. vbi ſuprà num.* 19.

verſ.

vers. Vbi verò. Quo loco subiūgit, quod sententia postea potest exequi contra fideiussorem absque alio processu, quia talis fideiussio non offerebatur, instando liberari à iam data de repræsentando, & proùt per supradicta erat offerenda, vt carceribus locus esse non posset, & quia vlterius considerabam, quod id, quod fieri solere dicit *Clar.* practicari ego non videram, & practicandum non esse suadebatur, ex quo Fisco melius est prò consequenda pœna incumbere personę, quam actioni, & ipsa persona non videtur eximenda, nisi cum effectu pœnam ipsam deponat, & proùt post longam discussionem in casu, de quo tractaba-
4 tur, fuit deposita; constabat enim clarè, quod erat soluenda, & sic fideiussioni nullatenus erat standum, per ea, quæ latè tradit *Menoch. de arbitr. cas.* 303. *num.* 4. *& seqq.*

ARGVMENTVM.

NOtarius recipiendo legitimationem processus informatiui à Reo, debet dicere, quod declarauit se velle habere, proùt etiam habuit, testes pro curiæ informatione examinatos prò ritè, & rectè, &c.

SVMMARIVM.

1 *Testes, vt habeantur prò rite receptis, videtur sufficere, quod Reus dixerit se illos velle habere vti tales; sed contra num. seq.*

2 *Reus, vt habeat testes prò curiæ informatione examinatos prò rite receptis, requiritur quod dicat, quod illos habet vti tales; sed melius est, vt dicat, quod illos vult habere, & etiam habet vti tales, & quare vsque ad finem.*

3 *Velle facere non est facere.*

SINGVLARE CCLXXVI.

1 CVm Notarius recipiendo declarationem Rei circa legitimationem processus informatiui dixisset, quod declarauit se velle habere testes prò curiæ informatione examinatos prò ritè, & rectè, &c. dubitabatur de sufficientia eiusdem declarationis, & videbatur dicendum, quod esset sufficiens, cum taliter illam præscribat *Ambros. in suo proces. inform. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 31. *ex Chart. in pract. interrog. Reor. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 62.

2 Verùm contra isse *Ambros.* detegitur ex lectura *Chart.* in loco prædicto, vbi non dicit, quod vult habere, sed quod habet, &
3 re vera ita dicendum censui, cum velle facere non sit facere, *arg. l. Si repetendi, Cod. de cond. ob caus.*

Benè verum est, quod nec velle habere omittendum iudicaui, quia qui habet, & vult habere, videtur renunciare iuri reuocandi talem actum, & proùt reuocari posse re integra, & ante receptam copiam indiciorum, dicit *Honded. cons.* 101. *num.* 33. *vol.* 1. *ex Hieron. Gabr. cons.* 178. *num.* 17. *& seq. lib.* 1. Quamuis enim, si testes interim recessissent, posset dici quod Fiscus non curauit de illis stante bona fide, in qua erat ex declaratione iam facta; tamen ad omnem difficultatem tollendam practicare feci, dicendo quod Reus declarauit velle habere, & proùt etiam haduit, testes, &c.

ARGVMENTVM.

CArceratus prò delicto, prò quo venit pœna corporis afflictiua non grauis, cum fideiussione relaxari potest ex causa, & quomodo.

SVMMARIVM.

1 *Carceratus prò delicto, prò quo venit imponenda pœna corporis afflictiua, fideiussoribus non est relaxandus; sed limita, vt num. sequenti.*

2 *Fideiussoribus relaxari potest carceratus prò delicto, prò quo venit imponenda pœna corporis afflictiua, si extet consuetudo ita faciendi, & maximè si talis pœna non sit grauis, & quomodo.*

SINGVLARE CCLXXVII.

1 CArceratus prò pœna corporis afflictiua, non tamen graui, ex causis id ita mihi suadentibus, fideiussoribus relaxare practicaui, non obstante communi opinione in contrarium, de qua *Clar. in pract. crim.* §. *fin. quæst.* 46. *num.* 7. & latè *Menoch. de Arbitr. cas.* 303. *nu.* 15. *& seqq.*

2 Mo-

2 Motus autem fui ex consuetudine, quæ id licitum reddit, ad tradita per *Menoch. vbi suprà num.* 35. Et quia pœna pecuniaria, ad quam fideiussorem secundum qualitatem casuum obligare faciebam, æquiparari poterat, afflictiuæ in quam ipse Reus condemnari potuisset, & quam nihilominus in contumacia effugere non valebat. Quicquid enim dicant alij, qui ad mortem, vel saltem ad triremes damnandi non erant, ex causa ægritudinis, debilis complexionis, vel similis, inhumanum mihi videbatur illos non relaxare cum assignatione alicuius mansionis, vel propriæ domus prò carcere sub bona, & idonea fideiussione.

ARGVMENTVM.

Accusator, & etiam denunciator est in expensis condemnandus, si nihil ex deductis probat.

SVMMARIVM.

1 *Accusator, qui nihil ex deductis probat, est in expensis condemnandus, non obstante vsu in contrarium, & procedit etiam in denunciatore, & simili, vt infra num. sequenti 6.*

2 *Fieri quod debet, non quod fieri solet, attendi debet.*

3 *Calumniator præsumptus dicitur qui accusationem non probat.*

4 *Expensarum condemnationem euitare non potest ex præsumptione iustæ causæ ille, contra quem iuris præsumptio adest.*

5 *Accusator, qui suam accusationem non probat, non excusatur ex iusta causa litigandi secundum aliquos.*

6 *Denunciator, & similis, etiamsi protestatus sit nolle facere partem in iudicio, non excusatur ab expensis, si nihil probauit ex deductis; & quare.*

SINGVLARE CCLXXVIII.

1 Accusatorem, qui nihil ex deductis penitùs probauerat, in expensis condemnaui, per ea, quæ tradit *Farinac. de accusat. quæst.* 16. *num.* 13. vbi testatur, quod ita obtinuit, & vidit contra multos seruari, & citat *Gram.* qui *decis.* 39. dicit,

2 quod vsus in contrarium non est attendendus, cum attendi debeat non quod fieri solet, sed quod fieri debet. Si enim contra talem vti præsumptum calumniatorem

3 procedi potest, cum qui accusationem non probat præsumptus calumniator dicatur, *Menoch. de arbitr. cas.* 321. *num.* 4. *& Farinac. vbi suprà num.* 11. Multò ma-

4 gis in expensis condemnari debet, cum nulla iusta causa præsumi valeat ad excusandum ab expensis illum, contra quem adest iuris præsumptio, secundum *Glos. in cap. Calumniam extra, de pœn. & in authen. generaliter, Cod. de Episc. & Cler.* & secundum *Farin. vbi suprà num.* 38. referentem *Abbatem* attestantem de communi, in *dicto*

5 *cap. Calumnia extrà de pœn.* Quod in tantum est verum, quod secundum aliquos ab expensis excusari non debet, etiam si iustam causam litigandi habuisset, *Boss. tit. de Accusat. num.* 28. *Farinac. vbi suprà num.* 70.

6 Nec mihi visum fuit obstare, quod ipse Accusator replicaret, quod non propriè esset talis, sed potius denunciator, seù instigator, & quod expensæ fuerant factæ in curia Iudicis, qui non debebat ex sola accusatione permittere, quod accusatus vexaretur; quia id procedere in quocumq; etiam protestante nolle facere partem in iudicio, tradit latè *Farin. vbi suprà nu.* 14. referens *Hippol. Rimin. in cons.* 303. *vol.* 3. attestantem de communi, & receptissima opinione, & quia non poterat negari, quod ipse causa earundem expensarum non fuisset, nonnulla deducendo, quæ in substantia nihil releuabant, sed potuerant aliqualiter animum Iudicis inducere ad aliquid contra ipsum Reum faciendum, & sic intrabat tritum axioma: qui causam damni dat damnum dedisse videtur. *l. Prætor ait la seconda, §. fin. ff. de vi. bon. rapt. Surd. decis.* 94. *num.* 2.

ARGVMENTVM.

Animus deliberatus in delinquente non præsumitur, & maximè quando adest aliqua causa iracundiæ.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Occidens ex iracundia offendentem grauiter suum socium à pœna ordinaria excusatur.*
2 *Calor inconsultus iracundiæ doli vitio caret.*
3 *Homicidium non dolosum mitius punitur.*
4 *Tractatus ad occidendum probari debet, alias non releuat.*
5 *Delictum sicut in dubio non præsumitur, sic leuius præsumi debet, & ita magis creditur testibus deponentibus homicidium commissum fuisse casualiter, & non appensatè.*
6 *Iracundia animum deliberatum excludit.*

SINGVLARE CCLXXIX.

INquisitum, & Reum ex confessione de homicidio à pœna ordinaria excusandum
1 duxi, quia ad id motus fuerat ex iracundia, dum videret occisum grauiter offendisse, & magis offendere velle suum socium, ad
2 ea, quæ tradit *Boss. tit. de Homicid. num. 59.* inconsultus enim iracundiæ calor, quo ad id moueri potuit, doli vitio caret,
3 *Farinac. cons. 2. num. 10.* & homicidium non dolosum mitius puniri tradunt omnes, vt dicit *Clar. §. Homicidium num. 3.*

Nec mihi visum fuit obstare, quod prætenderetur inuerisimile, quod ad id perpetrandum solum ex prædictis motus fuisset, & quod proinde ex alijs posset præsumi animus deliberatus, & præcipue ex quo-
4 dam tractatu, qui cum nullatenus probaretur nihil releuabat, ad tradita per *Me-*
5 *noch. de arbitr. cas. 361. numero 32.* Vltra quod sicut in dubio delictum non præsumitur, *Gabr. concl. 2. de crimin. in princ.* sic semper leuius præsumi debet, *idem Gabr. seq. num. 6.* & propterea magis creditur testibus deponentibus homicidium commissum fuisse casualiter, & non appensatè, *Gabr. concl. 4. de test. num. 21.* & maximè quando adest causa leuius præsumendi, & prout erat in casu, de quo tractabatur, calor scilicet iracundiæ, quæ, vt expe-
6 rientia docet, de facili in aliquibus accenditur, & quæ animum deliberatum excludit, per ea, quæ notat *Menoch. vbi suprà num. 8. & seq.*

ARGVMENTVM.

SEntentia contumacialis excedens in pœna non est nulla in totum, & exequēda venit solùm prò pœna debita.

SVMMARIVM.

1 *Pœna excessus in sententia est corrigendus, non obstante, quod per constitutiones mandetur sententias exequi prout iacent, & quare num. sequenti.*
2 *Sententia iniusta non est sententia, & condemnatus dici non valet, qui ritè condemnatus non est.*
3 *Sententia excessiua in pœna, secundum communem opinionem, est nulla in totum; sed contrarium seruatur in practica.*

SINGVLARE CCLXXX.

1 NOn obstantibus constitutionibus mādantibus sententias contumaciales exequi prout in ipsis, Reum quendam in contumacia condemnatum, & postea captum circa excessum pœnæ audiendum duxi, per ea, quæ in terminis Bullarum
2 Pontificum ita mandantium scribit *Bombin. cons. 34.* & rectè cum tali casu sententia si est iniusta non sit sententia, & condemnatus dici non valeat, qui ritè condemnatus non est, vt expresse legitur in *l. 4. §. Condemnatum, ff. de re iudic.* comperto que excessu
3 sententiam non totaliter nullam tenui, vt ex communi talem dicit *Io. de Cane mort. cons. 33. inter cons. crim. diuers. lib. 1. nu. 2.* relatus à *Claro in pract. crim. quæst. 93. nu. 4.* sed solùm in parte excessiuam, & sic exequendam prò pœna debita, vt in practica sepius se ita expertum fuisse tradit *Farin. de inquisit. quæst. 11. num. 62.*

ARGVMENTVM.

COnfeßio homicidij ad defensam non potest diuidi, quando prò qualitate defensionis adsunt aliæ probationes, vel præsumptiones.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Confitens commisisse ad defensam homicidium, de quo inquiritur, probat homicidium, sed non defensam sed limita vt num. seq.*

2 *Confessio non potest scindi, quando qualitas adiecta alijs probationibus iustificatur.*

3 *Confessio qualificata non potest diuidi, quando qualitas habet præsumptionem prò se.*

4 *Probationes Rei in pari gradu præualere debent.*

5 *Rei probationes præferuntur probationibus Actoris, etiamsi probationes ipsius Actoris essent pleniores.*

SINGVLARE CCLXXXI.

1 Quamuis, dum quis inquiritur de homicidio, si fateatur illud commisisse ad sui defensionem, dicatur probatum homicidium, & non defensio, ad ea, quæ tradit *Mascar. de probat. Concl.* 490.
2 *num.* 17. tamen in facti contingentia confessionem talem non posse scindi iudicaui, quia qualitas adiecta ex alijs probationi-
3 nibus erat iustificata, *Gabr. Concl.* 19. *de crimin. num.* 11. quæ probationes etsi non plenè concluderent, tamen non erat, quod non facerent saltem præsumptionem, quæ sufficit ad ea, quæ subdit idem *Gabr. num. seq.* 14.

Nec mihi visum fuit obstare, quod simi-
4 les probationes essent in contrarium prò Fisco, quia in pari gradu probationes Rei
5 præualere deberet est indubitatum, cum id procedat etiamsi pleniores essent probationes Actoris, ad deducta per *Alex. cons.* 30. *num.* 12. *lib.* 7.

Quia tamen aderat particularis quædam præsumptio, quæ defensam saltem necessariam excludere videbatur, ipsum Reum pœna extraordinaria exilij puniendum duxi, & ita punitus extitit.

ARGVMENTVM.

Adulterium est punibile etiamsi nulla præcesserit monitio, quæ solum requiritur ad excommunicationem inferendam.

SVMMARIVM.

1 *Adulterium non videtur punibile absque præcedenti monitione; sed id procedit solum quoad excommunicationem, non autem quoad alias pœnas.*

2 *Concilium Trident. in sess.* 24. *cap.* 8. *de reform. matrim. remedia addere voluit contra concubinatus, & adulteria, non autem illa tollere, vel protrahere, & propterea saluis alijs pœnis expressè disposuit.*

SINGVLARE CCLXXXII.

1 Adulterium puniendum non esse prætendebatur, stante quod nulla præcesserat monitio, & allegabatur quædam obseruantia fundata in *cap.* 8. *de reform. matrim. sess.* 24. *Conc. Trident.*

Hoc tamen non obstante ad vlteriora, pròut iuris processi, illudque seruatis seruandis puniui, quia monitio, de qua tractat dictum *cap. Conc.* est in ordine ad excommunicationem, non autem ad alias pœnas, vt habetur ex traditis per *Barbos. ad eundem cap in Collect. Doctor. in idē Concil.*
2 Nec habui in consideratione quod contrarium existimet *Ricc. in resol.* 319. alias *decis.* 377. *vers. Is accedit. relat.* per eundem *Barb. sub nu.* 4. quia plures ex aduerso citat idem *Barb.* & mens *Concilij* fuit addere contra tale crimen remedia, non autem illa tollere, vel monitionibus retardare, vt ex lectura colligitur. Vltra quod cum expressè in fine subdat saluas velle alias pœnas contra adulteros, & concubinarios inflictas; nesciui videre quomodo posset dici contrarium, & quomodo allegata obseruantia abusus dici non deberet.

ARGVMENTVM.

Dictum occisi contra nominatum ab ipso in occisorem attendendum non est, si veritas aliunde probari potest.

SVMMARIVM.

1 *OCcisi dictum in concursu aliarum probationum attendi non debet, & quare etiam num. sequenti.*

2 *Vulneratus non potest negari, quod testificando de suo vulnere, non testificetur in causa propria, & non sit inimicus capitalis, maximè si iniuria est atrox.*

3 *Vulneratus admittitur ad probandum, ne veritas pereat, & delicta remaneant impunita.*

SINGVLARE CCLXXXIII.

1 DIctum occisi in concursu aliarum probationum non esse attendendum iudicaui, quia etsi aliqualiter eidem videatur deferendum, per ea, quæ scribit *Mascard. de prob. Concl.* 144. *per totam*, tamen expresse *sub num.* 7. dicit ipse id non procedere, quando eius dictum per alios testes probari potest; & quidem optima ratione,
2 quia non potest negari quod vulneratus non testificetur in causa propria, & quod non sit inimicus capitalis à se asserti offensoris, maximè si iniuria sit atrox, vt notat idem *Mascard. sub num.* 10. *ex Natta cons.* 354. *num.* 1. *&* 2. *vol.* 2. Dicere autem, quod ex morte imminenti possit præsumi reconciliatus, non est aliud, quam velle excludere certum per incertum, quod vtique absque causa fieri non debet, & causa cessat, si aliunde ea, quæ ipse dicit, proba-
3 ri possunt; prò causa enim eius admissionis ad probandum nil aliud consideratur, quam ne veritas pereat, & delicta remaneant impunita, vt ex *Marsil. in pract.* §. *Diligenter num.* 123. deducit idem *Mascard. vbi suprà, sub dicto num.* 7.

ARGVMENTVM.

ACrius puniri non debet Reus ex eo, quod pluries fuit inquisitus, si non fuit condemnatus, vel non apparet confessus, aut conuictus, vel saltem ad torturam indiciatus.

SVMMARIVM.

1 *POena aggrauari non potest ex alijs processibus, si in ipsis Reus non reperitur condemnatus, vel conuictus, aut confessus; sed contrà num. seq.*

2 *Frequentia delinquendi videtur posse probari non solùm ex quo alias Reus fuit condemnatus, aut confessus, vel conuictus, sed etiam si ad torturam reperitur indiciatus.*

3 *Condemnari potest indiciatus ad torturam in pœnam extraordinariam, cum grauiter indiciatus etiam ex præsumptionibus ita puniri possit.*

4 *Solitum esse aliquem delinquere probatur ex informatione Iudicis extraiudiciali; sed contra.*

SINGVLARE CCLXXXIV.

1 AD aggrauandam pœnam deducebat fiscus contra inquisitum plures processus alias contrà ipsum formatos; cum tamen ex ipsis, vel aliquo ipsorum non fuisset condemnatus, neque appareret confessus, vel conuictus, in consideratione habendi non erant, ad ea, quæ latè tradit *Foller. in pract. crim. vers. Item quod sororem venenauit num.* 28. quem sequitur *Farin. de delict. & pœn. quæst.* 23. *num.* 33. attestans
2 in fine de communi Doctorum opinione, & pròut illos in consideratione non habui, quia vlterius nec indicia ad torturam sufficientia in se continebant. Si enim talia indicia continuissent, nesciebam videre, quare pœna augeri non posset, cum ex ipsismet
3 indicijs condemnatio in pœnam extraordinariam sequi valeat, ex quo grauiter indiciatus etiam ex præsumptionibus extraordinariè puniri potest, vt dixi suprà *sing.* 231. *num.* 4. *&* 5.
4 Quamuis enim secundum *Farin. vbi suprà* malè dicat *Merenda in cons. crim. diuers.* 90. *num.* 24. *vol.* 2. *in fol.* quod scilicet frequentatio delictorum, & mala fama inquisiti possit probari ex informatione extraiudiciali Iudicis, & talis posset censeri processus informatiuus adhuc non legitimatus; tamen id non militasset in casu, de quo tractabatur, in quo seruatis seruandis dicti

dicti processus iam fuerant legitimati, & sic non extraiudiciales, sed iudiciales probationes dici poterant.

ARGVMENTVM.

CVstos stipendiatus tenetur de leuissima culpa, ipseque debet probare se culpabilem non fuisse; constito autem de culpa lata & corporaliter puniri potest, mitius tamen contra ipsum videtur agendum, si ex sua culpa damnum sequutum fuisse concludenter non constet.

SVMMARIVM.

1 *CVstos rei præsumitur esse in culpa, eique onus probandi contrarium incumbit.*
2 *Custos stipendiatus tenetur de leuissima culpa.*
3 *Culpa lata etiam corporalem pœnam importat.*
4 *Adesse dici non potest, quod abesse contingere valet.*
5 *Pœna extraordinaria, mitior ordinaria, ex vrgentissimis indicijs irrogari potest.*
6 *Intentionis fundamentum in primis, & ante omnia probari debet.*

SINGVLARE CCLXXXV.

FVrto subtractis nonnullis rebus aureis, & argenteis à quadam Ecclesia, cui inuigilare debebat Custos ad id stipendiatus, omissaque ob probitatem ipsius Custodis actione doli, quæ ex circumstantijs facti, & contra ipsum resultare poterat, fuit solummodo conuentus ex culpa, & processu instructo instabatur contra eundem prò iustitia, quæ ad minus ad refectionem damni extendenda videbatur, quamuis probatum non extitisset, quod ipse culpabili-
1 ter se gessisset, cum Custos rei præsumatur esse in culpa, eique incumbat onus probandi contrarium, ad trad. per *Mascar. de prob. Concl.* 467. *num.* 16. *vol.* 1. Multòque
2 magis propterea id suadebatur, ex quo nedum de eius culpa leuissima resultabat, quæ in Custode sufficit, cum de ipsa teneatur, vt tradit *Mascard. vbi suprà Concl.* 469. *nu.* 3. & maximè si sit stipendiatus, ad ea, quæ notat *Farin. de var. & diuers. crimin. quæst.*
3 110. *num.* 29. sed & de leui, & lata apparebat, & sic & corporaliter puniri poterat, secundum opinionem, quam refert *Clar. in pract. crimin. quæst.* 84. *num.* 1. & quam communem dicit *Maranta in specul. fol.* 26. *num.* 59. iuxta relationem eiusdem *Clari.*

Dubium nihilominus erat, an Custos teneretur ex quo, etsi inuerisimiliter, tamen poterat esse, quod bona prædicta furata fuissent alio tempore, quam illo, in
4 quo ipse culpabilem se reddiderat, cum re vera non possit dici adesse, quod abesse contingere valet, *cap. Inter corporalia, de translat. Episc.* Si enim de die furtum commissum fuisset, & pròut commissum fuisse poterat esse, vtique ex facti circumstantijs teneri absque dubio non videbatur. E contra tamen tot, tantaque indicia vrgentissima concurrebant, quod de nocte commissum fuisset, quod absque dubio excusandus non videbatur, & maximè quod ipse, vt supra præmissum fuit, teneretur probare, quod absque sua culpa id accidisset, & sic, quod de die, & non de nocte sequutum fuisset.

Mitius itaque agendo, malui potius ipsum condemnare ad pœnam extraordinariam duatum tertiarum partium valoris bonorum furto subtractorum eidem Ec-
5 clesiæ in refectionem damni applicandam, & quæ pœna extraordinaria ex vrgentissimis indicijs absque dubio irrogari potest, ad tradita inter alios per *Clar. vbi suprà, quæst.* 64. *num.* 37. quàm notam rigoris incurrere ipsum cogendo ad totalem refectionem damni, quod sua culpa sequutum fuisse non videbatur præsumendum, nisi concludenter furtum probatum extitisset de tempore, in quo ipse inuigilare debebat, cum hoc videretur fundamentum in-
6 tentionis, & consequenter in primis, & ante omnia concludenter probandum, ad præcipuè tradita per *Grat. decis. March.* 89. *num.* 13. & 14.

ARGVMENTVM.

ADministrator committens in administratione furta re, & tempore distincta, plura, & non vnum furtum committit.

SVMMARIVM.

1 *Furta plura, & non vnum committit, qui plures actus furtiuos re, & tempore distinctos facit.*

2 *Furtiui actus successiui, & non momentanei prò vno, & non prò pluribus furtis sunt habendi.*

3 *Adulterij plures actus, etsi videantur plura adulteria inducere, prò vnico adulterio, quoad pœnam, sunt habendi.*

SINGVLARE CCLXXXVI.

1 COnuentus quidam ad pœnam de pluribus furtis in quadam administratione commissis, eo quia & re, & tempore erant distincta, ad ea, quæ notant *Clar. & Addentes ad ipsum in §. Furtum nu. 14. vers. Vnum tamen*, pluralitatem prædictam euitare tentabat dicendo, quod fuerant actus successiui, & non momentanei, & sic prò vno furto erant habendi, & puniendi, iuxta deducta per *Couar. var. resol. lib. 2. cap. 10. num. 8. in fine*, quem refert, & sequitur *Farinac. de delict. & pæn. quæst. 22. num. 17.* de communi omnium opinione testificans.
2
3 Verùm cum id præcipuè fundetur in insigni *Glos. l. Vulgaris, in verbo Fur erit, ff. de furtis*, quæ loquitur in terminis contrectationis rei furtiuæ, & adulterij; mihi visum fuit locum habere nõ posse in casu, de quo tractabatur, cùm in contrectatione iam facta totius rei furtiuæ habeant aliquod fundamentum furta particularia eiusdem rei, & à prima introductione ad adulterium ex mutua correspondentia adulterantium dependeant omnes actus sequentes, quod nõ est, & dici non poterat de furtis prędictis re, & tempore distinctis, & quæ momentanei potius actus, quã successiui dici debebant.

Et sic fui in voto prò pluralitate furtorum.

ARGVMENTVM.

INito pacto, quod res vendita non possit consignari, nisi ad libitum emptoris, vsura non committitur, & maximè si, ratione periculi, cui subiacet venditor vsque ad consignationem, aliquid datur.

SVMMARIVM.

1 *Vsura committitur, si contra debitorem alicuius speciei paciscitur, quod non possit soluere nisi ad libitum emptoris, & quare, sed vide, vt in fine, quomodo id intelligi debeat.*

2 *Effectus cessat cessante causa.*

SINGVLARE CCLXXXVII.

1 QVamuis contra debitorem alicuius speciei non possit pacisci, quod creditor non teneatur recipere nisi quando voluerit, cum tale pactum sit vsurarium, ex quo est verisimile, quod creditor non petet nisi de tempore, quo species prædicta plus valebit, & sic plus reciperet, quam de tempore contracti crediti habere debebat, iuxta celebre *Consilium 25. Io. de Imola per totum*; tamen in contrarium iudicaui in quodam contractu emptionis, & venditionis, in quo tale pactum ad tempus deductum fuerat, quia si est verum, prout est verissimum, quod debitor non potest cogi reddere plusquam debet, ea, quæ deducit *Io. de Imola in dicto cons.* possunt quidem adaptari illi, qui iam, vt supponit ipse ex mutuo est debitor, non autem illi, qui ex contractu venditionis euadit debitor, cum tali casu possit dici, quod debitor non sit simpliciter debitor talis speciei, sed debitor cum talis pacti adiectione. Quid enim vetat, quod qui emit tali conditione, non emat, vel soluat carius; & sic emat periculum rei, quod vsque ad consi-
2 gnationem venditori imminet; cessante enim

enim inconueniente periculi prædicti, ex quò vsura resultat, & vsura ipsa cessare debet, ex regula vulgata; cessante causa cessat effectus, & de qua late tradit *Tiraquel. tract. Cessante causa parte 1. num. 11. cum sequentibus*.

Tantòque magis ita resolui, quantò apparebat expresse, quod ratione periculi prædicti conuentum fuerat, quod per emptorem tale quid venditori vsque ad consignationem solueretur.

ARGVMENTVM.

PAx facta per inquisitum, ad effectum se redimendi à vexationibus eidem non præiudicat.

SVMMARIVM.

1 *PAx facta per inquisitum, ad effectum se redimendi à vexationibus, & cum protestatione, quod non possit dici tacitè, vel expressè confessatum, aut approbatum delictum; eidem non præiudicat.*

2 *Pax facit indicium ad inquirendum.*

3 *Pax facta mediante pecunia offenso data facit indicium ad torturam; sed declara vt num. seq.*

4 *Pax facta mediante pecunia offenso data non præiudicat, si sit facta cum protestationibus, de quibus supra num. 1.*

5 *Pax facta mediante pecunia, seù alia re, non præiudicat, si exprimatur, quod datur, vt dans liberetur à culpa, ob quam in discrimen vocatur.*

SINGVLARE CCLXXXVIII.

PAcem factam per inquisitum ad effectum se redimendi à vexationibus, & non alias
1 &c. ac cum expressa protestatione, quod per id non posset dici tacitè, vel expressè confessatum, vel approbatum quodcumque delictum, nullatenus eidem præiudicate tenui, per ea, quæ in terminis transactionis delicti tradit *Mascard. de prob. concl.* 501. *num.* 3. & in terminis pacis *Baiard. ad Clar. quæst.* 21. *num.* 38.

Neque mihi visum fuit obstare, quod pax prædicta prætenderetur facta mediante pecunia data per inquisitum offenso,
2 quo casu nedum facit indicium ad inquirendum, vt simpliciter dicit *Clar. dicta*
3 *quæst.* 21. *num.* 26. *vers. Pax*; sed & ad torquendum, vt ibidem tradit *Baiard. præcipuè ex Ploto in repet. l. Si quando* §. 54. *num.* 16. *fol.* 279.

4 Prędicta enim procedere iudicaui, quando pax fit absque protestationibus prædictis. Nam si pax facta vt supra non præiudicat, quia censetur facta iuxta id, quod exprimitur, scilicet ad redimendas vexationes; quare hoc procedere non debet, si ad id etiam aliquid datur; & tantò magis
5 quod *Mascard.* in terminis prædictæ transactionis *vbi suprà nu.* 5. dicit, quod potest aliquid dari, si tamen exprimatur, quod datur, vt à culpa, ob quam in discrimen quis vocatur, liberetur.

ARGVMENTVM.

RElegatio non solum potest fieri in locum non subditum, sed & extra locum non subditum.

SVMMARIVM.

1 *RElegatio non potest fieri in loca non subdita releganti, de iure; sed contrà de consuetudine.*

2 *Relegatio sicuti potest fieri de consuetudine, vt ex num. antecedenti, in loca non subdita, ita & à fortiori extra loca non subdita.*

SINGVLARE CCLXXXIX.

1 DVbitans an possem exiliare, seù relegare quendam inquisitum nedum extra sphæram meæ iurisdictionis, sed & extra statum alicuius Principis, cum relegatio non possit fieri nisi in loca subdita releganti, vt est textus in *l. Relegatorum* §. *Interdicere ff. de interdic. & releg.*

Tenui respectu relegationis, quod sic, quia (quicquid sit de iure) secundum generalem consuetudinem, quæ vbique locorum

corum viget, vt dicit *Clar. in pract. criminal. §. fin. quaest. 71. nu. 4. ex Bal. in l. Executorem num. 33. Cod. de execut. rei iud.* seruatur contrarium, & benè cum sic Principes ob bonum publicum inuicem famulentur.

2 Quamuis enim *Clar.* loquatur de relegatione, quae fit in loco non subdito, & non de relegatione extra locum non subditum, tamen si procedit prima, à fortiori procedere debet secunda, cum in hac nullatenus statum alterius tangatur, sed tantum persona, ne ad illum accedat, coerceatur, & sicuti posset relegari in aliquo loco particulari extra talem statum, non est quare non possit, immò melius videtur posse generaliter relegari extra illum, per modum tamen relegationis, & non exilij, quo esset quodammodo ponere falcem in messem alienam, & dictam consuetudinem excedere. Et ita in facti contingentia practicaui ex causa, qua sic poena condigna inquisito inferebatur.

ARGVMENTVM.

CRedulitas causata à dicto notabilis viri dicitur iustissima, & excusat à dolo, & culpa.

SVMMARIVM.

1 *CRedulitatem iustissimam inducit dictum notabilis viri.*

2 *Credulitas proueniens à dicto viri probi excusat à culpa.*

3 *Credulitas, quod sit licitum fieri id, quod fit, excusat à poena.*

4 *Maleficia ex voluntate, & proposito distinguuntur.*

SINGVLARE CCXC.

INquisitum in ea parte, in qua malum fecisse sub specie boni probabat, eo praecipuè, quia dictum notabilis viri secutus fuerat, excusandum duxi; tale nanque dictum
1 iustissimam credulitatem inducere, latè habetur in *cons. 28. Alex. num. 6. lib. 1. & in*
2 *addit. ad eundem locum.* Et quod talis credulitas proueniens à dicto viri probi excusset à culpa, satis apertè colligitur ex *l. Titio*
3 *fundus iuncta glos. ff. de cond. & demon.* sufficit enim, quod quis credat sibi licere facere, quod facit, vt ad poenam non teneatur, vt in terminis furti tradit *Alex. lib. eodem*
4 *cons. 135. num. 3.* & meritò cum voluntas, & propositum distinguant maleficia, ad ea, quae late deducit *Farinac. cons. 35. numero 7. & Adden. ad idem cons. Verbo Dolus litera* F.

ARGVMENTVM.

IN causis mixti fori, praeueniente Iudice laico, Iudex Ecclesiasticus tantum ad poenam excommunicationis, si intrat, procedere debet.

SVMMARIVM.

1 *FOri mixti in causis vterque Iudex procedere potest, & debet, & quare.*

2 *Punitus poena debita amplius puniri non debet.*

3 *Fori mixti in causis vnus Iudex potest poenam alterius supplere in ea parte, in qua grauius punire potest, & sic punitus ab vno & ab alio puniri potest.*

4 *Fori mixti in causis praeueniente Iudice laico, Iudex Ecclesiasticus solùm ad poenam excommunicationis, si intrat, procedere debet.*

SINGVLARE CCXCI.

1 IN delictis mixti fori posse, immò debere vtrumque Iudicem procedere, & punire dicit *Clar. in pract. crim. §. fin. quaest. 36. num. 42. vers. Quaero quid si.* Et meritò, quia etsi prò vno delicto vnica tantum
2 poena debeatur, & nulla sit difficultas, quod qui debita poena fuit punitus, amplius puniri non debeat, vt dicit idem *Clar. vbi suprà quaest. 57. num. 12. vers. Dictum est;*
3 Tamen Iudices sic supplerent inuicem in ea parte, in qua quis grauius punire posset, vel in qua aliquis ipsorum punire omitteret, ad ea quae subdit *Clar. seq. num. 14.*

Et

Et si non aliud, quando proceditur in contumacia, facilius per duos Iudices, quam per vnum debita pœna executioni demandari posset.

4 Quia tamen non poterat negari, quod ita faciendo Reus absque proposito in duobus tribunalibus molestijs, & dispendijs vexaretur, cum ad supplementum pœnæ tunc potuisset procedi, quando opus fuisset; ego Iudicem Ecclesiasticum agens in facti contingentia practicaui relinquere iudicium pœnæ temporalis Iudici laico præuenienti, & solùm ad pœnam spiritualem excommunicationis, quando intrabat, processi, ad ea quæ tradit idem *Clar. dicta quæstione 36. & dicto num. 42.* non habita consideratione ad faciliorem pœnæ executionem, cum quod non potuisset Iudex laicus, absque dubio non potuisset Ecclesiasticus.

ARGVMENTVM.

Tortura, seù qualitas torturæ non ex titulo delicti principaliter; sed ex qualitate indiciorum regulari debet.

SVMMARIVM.

1 *Parricidij crimen vti atrox dira morte punitur.*

2 *Parricidij crimen est qualificatum, & ideo vt detegatur potest deueniri ad torquendum modis exquisitis; sed declara, vt num. sequenti.*

3 *Tortura non debet inferri modis exquisitis, & non consuetis, & quare; sed declara vt nu. antecedenti, & sequenti.*

4 *Tormenta ex indicijs omninò regulari debent, cum propter enormitatem criminis liceat iura transgredi in puniendo, & non in procedendo.*

SINGVLARE CCXCII.

1 Parricidij crimen etsi vti atrox dira morte puniatur, vt legitur *l. Pœna ff. ad l. Pompeiam de Parricid. & in l. Vnica*

2 *Cod. de his, qui parentes, vel lib. occid.* dicaturque crimen qualificatum, ita vt possit prò ipso detegendo deueniri ad torquendum modis exquisitis, vt dicit *Carer. in pract. crim. pag. 163. col. 2.* secundum relat. *Giacchar. ad pract. crim. Clari, §. fin. quæst. 64. vers. Item debet sub litera* T.

3 Tamen à pœna ad torturam non benè argumentari tenui, ita vt si insolita est illa, insolita debeat esse & ista, cum illa delinquenti certo, ista incerto inferatur. Vnde sequendo potius doctrinam ipsius *Clari in dicto vers. Item debet.* dicentis, quod Iudex non debet torqueri facere Reum modis exquisitis, & non consuetis; non fuissem in voto pretensum Parricidam tormento vigiliæ esse supponendum, & pròut etiam annuente Principe fuit suppositus,

4 nisi ex qualitate indiciorum alia tormenta insufficientia visa fuissent. Tormenta enim principaliter regulari omninò debent ex indicijs, cum titulus ex se nil operari valeat, & possit dari casus, quod quis sit inquisitus de crimine atrocissimo, & tamen non possit contra ipsum deueniri nisi ad leuissimam torturam, vel simplicem territionem, & quod propter enormitatem criminis liceat iura transgredi in puniendo, & non in procedendo notat *Clar. vbi suprà §. 1. numero 10.*

ARGVMENTVM.

Vt sit locus pœnæ ipso iure inflictæ, requiritur declaratio delicti; sed ad tempus eiusdem delicti ipsa declaratio retrotrahitur.

SVMMARIVM.

1 *Declaratio delicti requiritur ad executionem pœnæ ipso iure inflictæ.*

2 *Declaratio inest actui declarato, & retrotrahitur ad tempus principalis dispositionis.*

3 *Declaratio criminis prò quo venit confiscatio bonorum retrotrahitur ad diem eiusdem criminis commissi, ita vt fisco debeantur etiam fructus à dicta die.*

4 *Declaratio delicti potest fieri etiam post mortem delinquentis.*

SIN-

SINGVLARE CCXCIII.

1 AD executionem pœnæ ipso iure inflictæ requiri declarationem delicti notant omnes in *cap. Cum secundum de Hæretic. in cap. Felicis. de pœn. in 6. & in cap. Rodulphus extra de rescript. vt dixit Rota in vna Notariatus* 14. *Octobris* 1585. *coram Cantucio registrata in lib.* 1. *cons. crim. Farin. cons.* 5. *num.* 24.

Non tamen est, quod delicto declarato
2 tunc solum debeatur pœna, vt perperam quidam prætendebat, quia declaratio inest actui declarato, & retrotrahitur ad tempus principalis dispositionis, vt latè tradit *Gabr. in suis conclus. lib. 6. de reg. iur. concl. 3. nu.*
3 *9.* & in specie confiscationis bonorum, quod declarato delicto retrotrahatur ad tempus commissi delicti, ita vt ex hoc Fisco debeantur fructus à dicto tempore, tradit de communi opinione ex *Diaz. Clar. in pract. crim. §. fin. quæst.* 51. *num.* 14. infe-
4 rendo pariter de communi *ex Bossio*, quod de iure nec sit necessarium, quod dicta declaratio fiat ante mortem delinquentis. Si enim pœna non retrotraheretur, frustratoriè ipso iure esset inflicta, cum alias ab homine declarante, & non à lege puniente penderet.

ARGVMENTVM.

DIcto iudiciali detrahitur de fide ex subsequenti dicto extraiudiciali, si prò primo dicto adhuc sententia lata non fuit.

SVMMARIVM.

1 *Dicto iudiciali detrahitur de fide ex subsequenti dicto extraiudiciali, si prò dicto iudiciali adhuc sententia lata non fuit, & quare.*

2 *Notarius, reducto suo instrumento in publicam formam (quasi ex hoc illud confirmauerit) contra ipsum non auditur.*

3 *Geminatio multum operatur.*

SINGVLARE CCXCIV.

1 DIcto iudiciali esse aliquid detrahendum de fide tenui ex subsequenti contrario dicto extraiudiciali, quia adhuc sententia prò tali primo dicto lata non fuerat, *Gabr. lib. 7. de criminal. concl.* 30. vbi limitando contrariam Conclusionem dicit, quod primum dictum iudiciale tunc solùm vulneretur à dicto postea extraiudiciali, quando prò primo dicto iudiciali non fuit lata sententia. Et quidem (quicquid dicant alij in contrarium) notabilis differentia est inter ante, & post latam sententiam, cum qui finit ex suo dicto iudiciali ferri sententiam, quodammodo illam ip-
2 semet ferat, & sic ex ipsa suum dictum confirmet, & prò ut confirmare videtur Notarius suum instrumentum, illud reducendo in publicam formam, ita vt postea contra ipsum non audiatur, vt scribit *Paul. Castren. ad l. Seia. ff. ad Velleian, relat. in addit. ad Alex. cons.* 124. *lib. 6. num. 5. lit.* C. *in verbo: Dictum eius*, & quod *cons.* ad propo-
3 situm, & à *Gabr. vbi suprà citatur*. Geminatio autem quod multum operetur, tradunt *Doctores in l. Balista ff. ad Trebell.*

ARGVMENTVM.

FIxæ imaginationes potius, quam maleficia sunt, quæ vim tormentorum impediunt.

SVMMARIVM.

1 *Tormentorum vim impediunt maleficia; sed contrà etiam num. sequenti.*

2 *Torturæ vis ex fixa imaginatione potius, quam ex maleficio impeditur, & quare num. antecedenti.*

3 *Rei quomodo tractandi ne maleficijs tormenta, vt suprà, eludant.*

SINGVLARE CCXCV.

DVbitans quod Reus in repetitione torturæ aliquo maleficio illam eluderet;
1 non quia crederem, quod ex eo fieri posset,

set, quicquid dicant *Grilland. in tract. de quæst. & tort. quæst. 4. num. 13. & Marſ. in repet. ff. de quæſt.* relati per *Pegnam ad Eymer. in direct. Inquiſit. parte 3. Commen. 39. verſ. Aliqui ſunt etiam maleficiati*; cum iſti potuerint quidem animaduertere, vt dicunt, quod Rei ſub tali prætextu torturam eluſerint, non autem quod re vera id ex maleficio euenerit. Nulla enim ratio ſuadet, quod Deus velit id permittere, &
2 benè ſaluari poteſt, quod non ex maleficio, ſed ex fixa imaginatione eorum, qui aſſerto maleficio, ſeù ſortilegio ſe committunt, proueniat, vt benè obſeruat *Franc. Bernard. in Schol. ad proceſ. inform. Ambroſ. cap. 7. in princ.*

3 Dubitans itaque ego, vt ſupra, incontinenti poſt primam torturam mandaui ipſum, etſi valde ægreferentem, omnibus expoliari, nouiſque veſtibus reueſtiri, & in alio carcere recludi, vt inter alia faciendum conſulit *Chart. in pract. inter. Reor. lib. 4. cap. 1. num. 222.* & poſtea cum iterum tortus faſſus fuiſſet, interrogatus poſt ratificationem, quarè tam ægrè ferebat, quod in alio carcere poneretur, dixit quod id faciebat ob nonnullas notulas, quas in primo carcere contra torturam reconditas habebat, & quarum vna iam in prima tortura (illam degluciendo) vſus fuerat firmo propoſito non poſſe cum illa fateri.

Cum autem repertæ, ipſe neſciret, & benè comprehendi non poſſet quid continerent, magis, ac magis credidi, quod ſola fixa imaginatio caſum tali caſu facere valeat.

ARGVMENTVM.

Socij criminis dictum iunctum cum conuerſatione, & ſtricta amicitia nominati facit indicium ad torturam.

SVMMARIVM.

1 *Socij criminis dictum, iunctis adminiculis, facit indicium ad torturam.*
2 *Socij criminis dictum, vt faciat indicium ad torturam, quæ adminicula requirantur, ſunt plures opiniones, ſed quod id ſit Iudici arbitrarium videtur verius, & quare.*
3 *Socij criminis dictum vnà cum conuerſatione, & ſtricta amicitia eiuſdem ſocij criminis cum nominato facit indicium ad torturam contra nominatum, & quare.*
4 *Socij criminis dictum, vt probet, requiritur quod ſit cum tortura purgatum.*

SINGVLARE CCXCVI.

1 Socij criminis dictum, iunctis adminiculis, facere indicium ad torturam, non videtur dubitandum, per ea, quæ latè ſcripſit *Farin. de ind. & tort. quæſt. 43. per totam.*
2 Difficultas autem remanet ſolùm in qualitate iſtorum adminiculorum, ſeù indiciorum, vt excitat idem *Farin. num. 156.* recenſendo poſtea quinque varias Doctorum opiniones.

Harum vltimam, quæ eſt *Menochij de arbitr. caſ. 474. num. 47.* reponentis id in arbitrio Iudicis, practicandam cenſui; cum vna ſolùm coniectura, ſeù vnum indicium, aut adminiculum poſſit eſſe ita potens, ſi-
3 cut plures ſimul: & prò tali in facti contingentia habui conuerſationem, & ſtrictam amicitiam nominati cum ipſo ſocio criminis, ex auctoritatibus, quas deducit *Farinac. vbi ſuprà num. 171.* & ex ratione, qua ſuadetur omninò inueriſimile, quod ſocius criminis vellet Reum facere ſuum amicum, ſi re vera non eſſet talis, & maximè itera-
4 tò, & cum tortura id affirmando, pròut requiritur vt ſocius criminis probet ad ea, quæ latè cumulat idem *Farinac. vbi ſuprà num. 134.* ſuppoſito tamen quod inde ipſe ſocius non excuſaretur à delicto, & pròut non excuſabatur in caſu de quo tractabatur.

ARGVMENTVM.

Teſti de ſuo iudicio deponenti creditur, ſi bonam, & concludentem rationem reddat de ijs, quæ aliquo ſenſu corporis percepit.

SVMMARIVM.

1 *Testi de suo iudicio deponenti non creditur; sed vide num. seq.*
2 *Testi de suo iudicio deponenti creditur, si bonam, & concludentem rationem reddit; sed declara vt num. seq.*
3 *Testi de suo iudicio deponenti creditur, si bonam, & concludentem rationem reddat sui dicti fundati in eo, quod aliquo sensu corporis percepit; alias ratiocinationi potius, quam eius dicto statur.*
4 *Iudicium testis in facto versati plus, quam alterius æstimari debet.*

SINGVLARE CCXCVII.

1 INstanti non fieri fundamentum in depositione cuiusdam testis, qui de suo iudicio deponebat, per ea quæ tradit *Mascard. de prob. Concl. 1363. in princip.* non
2 detuli. Non quia ipse testis bonam, & concludentem sui dicti rationem redderet, & sic probaret, ad ea quæ limitando ipse *Mescard.* subdit *sub num. 7.* & tradit *Farin.*
3 *de test. quæst. 68. num. 34.* tali enim casu potius ratiocinationi, quam testi credendum veniret, si ratio non in aliquo sensu corporis, vt *seq. num. 8. idem Mascard.* exemplificat, immo in puro intellectus discursu consisteret; Sed quia ipse testis ratiocinabatur super quodam facto, seu delicto, quod fieri auribus perceperat, & sic non simplicem intellectus discursum, sed ex facto per ipsum audito resultantem refe-
4 rebat, quo casu testis depositio est necessaria, & eiusdem testis iudicium, vt in facto versati, plus quam alterius æstimari debet, argumento *l. 1. §. 1. ff. de flumin. cum similibus.*

ARGVMENTVM.

QVi alia via, quam per agrum vicini ad suum fundum ire non potest; nedum ipsum vicinum ad iter prædictum sibi præbendum; sed etiam ad viam deuastatam reaptandam cogere potest.

SVMMARIVM.

1 *Vicinus tenetur patientiam præstare, quod per proprium agrum vicinus ad suum fundum ire valeat, si alia via id facere nequeat; sed soluto iusto pretio, & declarato loco opportuniori per Iudicem, si ipse vicinus non est venditor eiusdem fundi.*
2 *Seruitutem passiuam itineris si quis habet, viam ad idem iter proprijs sumptibus manutenere debet.*
3 *Publicum præfertur priuato.*
4 *Publicè interest, quod quisque re sua vti valeat, cum vtilitas priuata sit etiam vtilitas publica.*

SINGVLARE CCXCVIII.

CVm quis ad fundum emptum alia via, quam per agrum vicini venditoris ire non posset, ipseque vicinus saltem gratis id permittere, taleque seruitutis onus fer-
1 re recusaret, ipsum nedum ad id cogendum dixi, cogique mandaui, per textum in *l. 3. §. Qui habet haustum, & in l. Via §. Quacumque seruitus ff. de ser. rust. præd.* cum alias vicinus non venditor teneatur ad iter tali casu præstandum, soluto iusto pretio, & determinato loco opportuniori per Iudicem, vt notat *Grat. discept. forens. cap. 681. num. 44.* sed etiam ad viam suis sumptibus practicabilem manutenendam con-
2 demnaui. Qui enim habet tale onus viam proprijs expensis reaptare tenetur, per *l. Cum delere ff. de ser. vrb. præd.* & tradit *Cyriac. controuers. foren. 27. num. 21. vol. 1.*
3 Et quidem meritò, cum ius publicum præferatur priuato, *Authen. Res quæ Cod. Com-*
4 *munia de leg.* Et publicè interest, quod quisque re sua vti valeat, cum vtilitas priuata secundario sit vtilitas publica, ad ea, quæ notat *Glos. in §. fin. de Iust. & Iur. in verbo Pertinet.*

ARGVMENTVM.

REmissoria in Criminalibus potest ex rationabili causa dari prò examinandis testibus ad defensam, etiam

intra

intra Prouinciam, & maximè stante consuetudine ita faciendi.

SVMMARIVM.

1 *REmissoria prò examinandis testibus regulariter in criminalibus non datur; sed vide num. seqq.*

2 *Remissoria prò Reo, & eius innocentia detegenda datur.*

3 *Remissoria ad defensam videtur solùm concedenda prò testibus extra Prouinciam; sed contra, & quare.*

4 *Remissoria prò examinandis testibus, maximè ad defensam, concedi potest ex consuetudine, quicquid aliqui dicant in contrarium.*

SINGVLARE CCXCIX.

1 ETsi regulariter remissoria prò examinandis testibus in criminalibus non detur, per ea, quæ latè scripserunt *Gabriel in suis concl. lib. 7. de crimin. concl. 25. &*
2 *Farinac. de test. quæst. 77.* tamen in contrarium aliquando practicaui ad fauorem Rei, & prò eius innocentia detegenda, secundum ea, quæ limitando dicit idem *Ga-*
3 *briel vbi suprà num. 8.* Quamuis enim, ad ea, quæ deducit *Farin. dicta quæst. 77. nu. 104.* videatur id fieri posse solùm prò testibus, qui sunt extra Prouinciam; tamen quia, si id ita esset intelligendûm, nullum priuilegium ad fauorem innocentiæ resultaret, cum prò testibus extra Prouinciam ex necessitate sit concedenda indistinctè, per ea, quæ latè notat *Gabr. vbi suprà*; id ex rationabili causa practicaui tali casu etiam prò testibus in Prouincia degenti-
4 bus, & maximè stante consuetudine, quæ circa remissoriam, & præcipuè ad defensam, valet, vt notat idem *Farinac. vbi suprà num. 74.* quicquid præmittat in contrarium *num. antecedenti.*

ARGVMENTVM.

CAutelis confidentialibus ad extorquendam veritatem non est vtendum.

SVMMARIVM.

1 *FRaudibus, seù cautelis confidentialibus ad extorquendam veritatem non est vtendum.*

2 *Rei non sunt inducendi vt in confidentiam scribant, vel loquantur, vt scripturæ, & verba contra ipsos retorqueantur.*

3 *Fallaciæ, seù cautelæ ad extorquendam veritatem in hoc seculo Iudicibus honorem afferunt, sed in alio ædificant ad gehennam.*

4 *Veritas nunquam extorqueri debet cautelis ad decipiendûm aptis, etsi forsan id liceat in causis fidei, & quare.*

5 *Fraudes etiam ab infidelibus detestantur.*

6 *Sugestio vt excludatur requiritur, quod ea quæ Reo obijciuntur ex processu elicia ntur.*

7 *Actorum quæ non sunt, & mundi non sunt.*

SINGVLARE CCC.

1 CAutelis, seù fraudibus confidentialibus ad extorquendam veritatem
2 (dando scilicet commoditatem carcerato scribendi in confidentiam alicui amico, vt postea scriptura interciperetur; vel ponendo cum ipso aliquem, qui se fingeret talem, vt postea à carcerato extorta cu-
3 riæ referret) vti nolui, quia etsi hæ cautelæ, seù fallaciæ Iudicibus in hoc seculo honorem afferant, in alio tamen ædificant ad gehennam, vt dicit *Paul. Castren. in l. Si per errorem ff. de iurisd. omn. iud. & in l. Aedita Cod. de eden.* quem sequitur *Pegna ad Eymer. in 3. parte direct. Comment.*
4 *23. in princ.* qui subdit, quod nunquam vsurpari debent illæ cautelæ, quæ ad decipiendum sunt aptæ, & pròut videntur prædictæ.

Neque mihi visum fuit obstare, quod in *Direct. vbi suprà, & in Repertorio Inquisitorum in verbo Prouiso solerter. §. Sequuntur cautelæ.* Registretur illa ponendi exploratorem cum carcerato; quia si id subsistit, forsan erit ad expiandam animam inquisiti, & proinde extra causas fidei tale exemplum non erit trahendum.

Minus, quod videatur licitum extorquere fraudibus, quod potest extorqueri vi tormentorum; quia tormenta sunt

5 approbata à iure, fraudes autem detestatæ etiam ab infidelibus, vt notat *Pegna, vbi suprà*, & ego ipse simplici lumine naturæ experiebar, quod animus ab his abhorrebat, quando animaduerti, quod hoc & à Sacra Congregatione Sancti Officij detestatum fuit; dum *fel. record. Card. Millinus, sub die* 30. *Aprilis* 1617. ita rescripsit cuidam Inquisitori.

Essendosi letta in questa Sacra Congregatione del Santo Offitio la lettera di V. R. delli 14. *del presente mese, nel particolare, ch' ella scriue del Signor N. non è piacciuto molto a questi miei Illustrissimi Sig. poiche il modo tenuto da lei in fargli scriuere simulatamente da Piacenza, & intercettare la lettera di risposta, pare che habbi euidente apparenza di soggestione, il che è tutto contrario allo stile, che osserua il Tribunale della Santa Inquisitione. Serua a V. R. per auuiso, &c.*

6 Si enim per ea quæ pariter notat *Pegna vbi suprà parte* 3. *Comment.* 18. *vers. id vero* arguendo à contrario sensu, vt excludatur suggestio requiritur, quod ea quæ Reo obiciuntur ex processu eliciantur, vtique eidem proponere non licebit caute-
7 las, & fraudes confidentiales prædictas, quæ cum Actorum non sint, & mundi non sunt ad ea, quæ habentur in *Addit. ad decis.* 224. *Ludouis.* & in omnem casum ad decipiendum vsurparentur, quod nunquam fieri debet, vt dicit *Pegna dicto Comment.* 33. *in princ.*



SIN-

SINGVLARIVM MISTORVM ANTONII DE POSSENTIBVS FABRIANENSIS

CENTVRIA QVARTA.

ARGVMENTVM.

Alienatio in fraudem paratæ executionis, quæ non impedit executionem sententiæ, dicitur facta quando ne dum petita, sed & obtenta fuit executio.

SVMMARIVM.

1 *Alienatio in fraudem parata executionis non impedit executionem sententiæ.*

2 *Alienationem fieri in fraudem parata executionis videtur, si fit post celebratum contractum quarentigium; sed vide numeris seqq.*

3 *Alienatio fit in fraudem parata executionis, si fit post petitam, & obtentam executionem, vt & num. 5.*

4 *Alienationem fieri in fraudem parata executionis videtur, si fit post litis introductionem; sed vide num. anteced. & seq.*

5 *Executio parata dicitur, ita vt alienatio in fraudem ipsius non possit fieri, quotiescumque ipsa executio petita, & obtenta fuit; & quare.*

6 *Sententia semper præsumptionem habet prò se.*

SINGVLARE CCCI.

Alienationem in fraudem paratæ executionis non impedire executionem sen-
1 tentiæ tradit *Bal. in l. ob maritorum Cod. Ne vxor prò marito*, tradit etiam *Paul. de Castro in l. à Diuo Pio §. si super rebus ff. de re iud.* & tradunt alij Doctores passim; sed quando in fraudem dicatur facta, valde controuertitur, cum *Tuscus litera* E, *Concl.*
2 488. *num.* 19. dicat sufficere alienationem fieri post celebratum contractum quarentigium, & *Giurba parte* 1. *obseruationum de-*
3 *cisarum, obseruat.* 55. *num.* 9. & 10. requiri asserat, quod ne dum petita, sed etiam
4 obtenta sit exequutio; dum inter hos medius sufficere, quod lis sit introducta, videtur velle *Capic. decis.* 128. *num.* 21. &
5 22. Opinio tamen *Giurbæ*, quæ practicatur, & seruatur etiam in Regno, & ad ea, quæ ipse deducit, optimè fundatur, tenenda videtur omnino: tum quia, vt considerat ipse, ante commissum executionis mandatum non potest dici, quod executio sit parata: tum quia alienans ante sententiam est in bona fide, quod id sibi facere liceat tanquam de re sua, cum adhuc non habeat
6 contra se sententiam, prò qua semper præsumi debet, ad *cap. In præsentia de Renunc. cum simil.*

ARGVMENTVM.

Appellari potest omisso medio, si non opponitur.

SVMMARIVM.

1 *Appellatio, ommisso medio, procedit si non opponitur.*

2 *Appellatio fieri debet gradatim.*

3 *Appellatio non potest interponi ad Iudicem omnino incompetentem; & quare.*

4 *Appellatio tenet, si solùm obstat omissio medij, & non impugnatur; & hoc saltem de iure Canonico.*

5 *Aequitatem, & non apices iuris sequitur ius Canonicum.*

SIN-

SINGVLARE CCCII.

APpellationem, omisso medio, procede-
re quando non opponitur, tradit *Ma-*
1 *ran. in suo spec. parte 6. ver. & quandoque*
appellatur, num. 373. vers. Quarto limita;
quia vt dicit ipse *Maran.* tunc videntur par-
tes consentire, & iurisdictionem proro-
gare.

Nec videtur sibi contrarius supra *parte*
4. ver. Ordinarium, vel prorogatum, nu. 22.
Vers. Quinto limita; dum dicit, quod in cau-
2 sa appellationis non habet locum proro-
gatio, quia appellatio debet fieri grada-
tim; & sic nec de consensu partium potest
3 fieri ad Iudicem incompetentem; quia
supponendum est ibi ipsum loqui de Iudi-
ce omnino incompetenti, & ad quem nul-
lo vnquam tempore possit deuolui appel-
latio (tali enim casu esset dare, non proro-
4 gare iurisdictionem) non autem quando
solùm obstat medium, quo casu tenet ap-
pellatio ex prorogatione iurisdictionis, vt
clarè ipse *Maranta* firmat, *vbi suprà, &*
tradit Ricc. in Collect. decis. parte 3. Collect.
693. & de communi *Scacc. de appell. lib. 3.*
cap. 2. qu. 7. nu. 18; saltem de iure Canoni-
co, vt concordando opiniones contrarias
subdit *seq. nu. 20.* Æquitas enim suadet,
quod inter Iudices à lege præscriptos, par-
5 tes coram quo maluerint litigare valeant;
& æquitatem, & non iuris apices ius Ca-
nonicum sequitur, vt dicit idem *Scaccia,*
de sent. & re iudic. Glos. 14. qu. 25. num.
41. ex Iasone in l. alienam num. 2. Cod. de
Procur.

ARGVMENTVM.

PVblicatione processus facta, testes amplius produci non possunt, si verisimiliter noua causa non adest, & aliqualiter testificata didicita non fuisse probatur.

S V M M A R I V M.

1 *PVblicatis attestationibus, & didicitis testificatis, testes amplius produci non possunt; & quare.*

2 *Testium productioni aliquis finis dari debet.*

3 *Publicatione facta, præsumuntur didicita testificata, nisi aliqualiter contrarium probetur.*

4 *Præsumptio præsumptione tollitur.*

5 *Negatiua, si non sit coarctata, probari non potest.*

6 *Publicatione non obstante, testes produci possunt, si adsit causa verisimiliter non cognita tempore publicationis.*

SINGVLARE CCCIII.

PVblicatis attestationibus, & didicitis te-
stificatis, testes amplius produci non
1 posse tradit inter alios latè *Abbas in c. fra-*
ternitatis, de testibus num. 5. 6. & 7. addu-
cendo nedum rationem timoris suborna-
tionis, quæ verè timeri potest ab eo, qui
didicitis testificatis omni spe se destitutum
videt, vel quia ipse non probauit, vel quia
aduersarius plenè probauit; sed & ratio-
nem tacitæ renunciationis productioni
aliorum testium; consentiendo causæ con-
clusioni, & publicationi, quæ vt dicit idem
2 *Abbas* fit, vt detur aliquis productionum
finis. Non est tamen, quod his duabus ra-
tionibus cessantibus, vt fatetur, & ipse *Ab-*
bas, testes adhuc produci non possent. Vi-
3 detur autem cessare prima, quæ aliàs statim
ac est facta publicatio præsumitur, ad no-
tata per eundem *Abbatem*, si probetur ali-
qualiter testificata per denuò producere
volentem didicita non fuisse, puta per fi-
dem Actuarij, quod illa nec dederit, nec
ostenderit, aut reuelauerit, & per iuramen-
tum ipsius producere volentis, quod ille
non didicerit, cum talis negatiua solam
præsumptionem excludere debeat, quæ
4 etiam alia præsumptione tollitur, *l. Diuus*
ff. de in integr. rest. & aliàs probari non va-
5 leret, nisi posset loco, & tempore coarcta-
ri, ad tradita per *Mascard. de prob. Concl.*
1087. num. 8. quod difficillimum, & ferè
6 impossibile esset. Secunda autem cessat, ad
eundem *Abbatem*, ex causa verisimiliter
non cognita tempore dicti consensus præ-
stiti.

ARGVMENTVM.

CItationis defectus quoad vnum non nocet quoad alium legitimè citatum, si non tractatur de re indiuidua,

vel

vel si omnes citandi veniunt eodem iure, & vna est causa defensionis.

SVMMARIVM.

1 *Citationis defectus quoad vnum non nocet quoad alium legitimè citatum; sed limita, vt numeris seqq.*
2 *Vtile per inutile non vitiatur.*
3 *Citationis defectus quoad vnum nocet quoad alium, si tractatur de re indiuidua.*
4 *Citationis defectus quoad vnum, nocet quoad alium, si omnes veniunt eodem iure, & vna est omnibus causa defensionis.*
5 *Citati respectu valet processus, si sententia, seù mandatum potest exequi super portione citati, absque eo quod præiudicetur portioni non citati; sed videtur contra.*
6 *Aequalitas in iudicijs est seruanda.*

SINGVLARE CCCIV.

Citationis defectum quoad vnum non nocere quoad alium legitimè citatum dixit
1 *Rota* ex pluribus, quos citat in *decis.* 561.
2 *parte* 1. *recens. nu.* 13. Vtile enim per inutile vitiari non debet, *cap. Vtile de reg. iur.*
3 *in* 6. Verùm non ita, si negotium, de quo tractatur, sit indiuiduum, vt pariter dixit *Rota coram Ludouis. decis.* 319. *num.* 1. tunc enim nocet quoad omnes ratione conne-
4 xitatis, vt dicitur ibi in *addit. nu.* 7. pròut nocet etiam, quando òmnes veniunt eodem iure, & eadem est omnibus causa defensionis, vt itidem dixit *Rota coram Caua-*
5 *ler. decis.* 396. *nu.* 2. & contrà quam *decis.* non videtur posse subsistere quod dicitur in dictis *addit. ad decis. Ludouis. ex alia decis. coram Dunozetto Romana, scilicet pecuniaria de Columna* 21. *Aprilis* 1617. *quæ in* 2. *parte posthumarum Farinac. est decis.* 456. idest quod si sententia, seù mandatum potest exequi super portione citati absque eo, quod præiudicetur portioni non citati, valeat processus respectu citati, quia nunquam erit tutum condemnare citatum, non citatis alijs, qui venirent ex eodem iure, & qui prò communi causa deducere forsan possent, quæ citatus deducere non valeret, cum periculo enim id fieret, quod vnus condemnatus, & alij absoluti, vel è
6 contrà, ex eodem iure remanerent, contrà *l. in Sacris* la terza, *Cod. de prox. sacr. scrin.* qua cauetur litigatoribus in iudicijs æqualitatem esse seruandam; & sic supradicta *decis. coram Dunozetto* non occurrit huic secundo motiuo defensionis, sed solùm primo præiudicij.

ARGVMENTVM.

Adiudicatio plus debito facta est nulla in totum; intelligendum tamen videtur de adiudicatione speciei.

SVMMARIVM.

1 *Adiudicatio plus debito facta est nulla in totum; declara tamen, vt nu. seq.*
2 *Adiudicatio speciei plus debito facta est nulla in totum, & quare, vide etiam numeris seqq.*
3 *Communionem bonorum habere nemo inuitus cogitur.*
4 *Pars minus valet separata à toto, quam valeat vnita.*

SINGVLARE CCCV.

Adiudicatio plus debito facta est nulla in totum, ad *Afflict. decis.* 358. *num.* 7.
1 & alios quos citat ipse, & communiter *Scaccia de senten. & re iudic. Glos.* 14. *qu.* 13.
2 *num.* 39. illos ferè omnes reprehendendo, quod locuti fuerint generaliter, cum id intelligi debeat solùm de datione in solutum speciei. Et quidem rectè, si consideretur, quod ex datione speciei, vel debitor cogitur stare in communione prò portione
3 quæ sibi remanere deberet, contrà *l. si non fortem* §. *si centum ff. de cond. indeb.* qua nemo inuitus compellitur stare in communione; vel si postea illa portio sibi retroce-
4 ditur, minus sibi valet separata à toto, quam valeret vnita, ad *Bart. in dicto* §. *si centum num.* 5. Vnde fit, quod vt cuicumque ius suum sit saluum, in adiudicatione speciei debet præmitti diuisio eiusdem speciei, ita vt fiat prò summa debita tantum, & debitor prò sibi remanente non possit conquæri nisi de se ipso, qui debebat curare, quod sua pars vnita venderetur; si illam separatam habere sibi non expediebat.

AR-

ARGVMENTVM.

Absolutus ab expensis non censetur absolutus ab expensis iure actionis debitis, quæ debentur etiam iusta causa litigandi stante.

SVMMARIVM.

1 *Expensæ peti non possunt post sententiam; sed limita, vt num. seq.*
2 *Expensæ iure actionis debitæ peti possunt post sententiam.*
3 *Absolutus ab expensis non censetur absolutus ab expensis iure actionis debitis.*
4 *Iusta causa litigandi non excusat ab expensis iure actionis debitis; & quare.*

SINGVLARE CCCVI.

1 Expensæ etsi peti non possint post sententiam, quasi quod in illa omissæ, censeantur remissæ ad textum in *l. Termi-*
2 *nato Cod. de fruct. & lit. expens.* Tamen id procedere in expensis, quæ debentur officio Iudicis, non autem in illis, quæ debentur iure actionis, habetur inter alios ex *Aret. §. Hæc autem, Instit. de pœn. temer. li-*
3 *tigan.* qui à fortiori dicit, quod etiam si quis sit absolutus ab expensis, tamen non censetur absolutus ab illis expensis, quæ
4 iure actionis debentur; tales enim expensæ nec etiam ex iusta causa remitti possunt, cum tali casu iusta causa litigandi ab expensis non excuset, secundum *Ann. Sing.* 183. Et meritò cum ex iusta causa, quam quis habet litigandi non sit, quod damnum in expensis conlitiganti non inferat, & quod damnum si expressè fuit promissum, vtique & iustæ causæ prædictæ censetur renunciatum. Si enim dicta promissio, ex qua oritur actio, non verificaretur in expensis ex iusta causa causatis, esset frustratoria, eo quia aliæ expensæ iam officio Iudicis sunt debitæ, & partis promissione opus non habent.

ARGVMENTVM.

Expensæ faciendæ prò misione ad examinandas personas egregias litigantes regulariter sunt faciendæ sumptibus petentis.

SVMMARIVM.

1 *Egregijs personis examinandis mittitur Notarius, seù Commissarius, & fit expensis petentis, & quare; sed vide num. seq.*
2 *Expensæ, quæ fiunt prò missione ad recipiendum examen personæ egregiæ litigantis, fieri debere videntur expensis communibus petentis, & ipsius egregiæ personæ; sed tunc solùm, quando petens dat fumum suæ iustitiæ.*

SINGVLARE CCCVII.

Expensæ prò mittendo Notario, seù Commissario ad recipiendum examen perso-
1 næ egregiæ litigantis ad formam *l. ad egregias ff. de iureiur.* videntur subministrandæ ab examen petente, vt volunt aliqui, & rectè, quia aliàs eluderetur priuilegium talibus personis concessum, cum indirectè
2 cogerentur accedere, vt expensas euitarent. Et quamuis ad tradita per *Boerium decis.* 303. *num.* 5. id fieri debeat expensis communibus, quasi quod, vt dicit ipse, id tendat ad dirimendas lites, quod est incommodum, & vtilitatem vtriusque partis; tamen id intelligendum videtur solùm in casu, in quo petens dat fumum suæ iustitiæ, quia aliàs in dubio nullo modo videtur grauandus, qui habet priuilegium, & assistentiam legis prò se.

ARGVMENTVM.

Obligatio filij familias minoris facta prò patre carcerato, vel carcerando, vel prò ipso liberando ab executionibus intelligitur deducto ne egeat.

SVMMARIVM.

1 *Filius familias minor valide se obligat, & fideiubet prò liberando Patre à carceribus, vel ab executionibus, & periculo carcerationis; sed intellige, vt num. seqq.*
2 *Filius familias minor obligatus prò Patre carcerato, vel carcerando, vel liberando ab executionibus, non tenetur, nisi deducto ne egeat.*
3 *Pietatis casus est liberare Patrem à carceribus, & executionibus, cui iura valde fauent.*
4 *Charitas ordinata incipit à se.*

SIN-

SINGVLARE CCCVIII.

1 FIlium familias minorem valide, se obligare, & fideiubere prò liberando Patre à carceribus, vel ab executionibus, & periculo carcerationis, latè tradit *Grat. discept. foren. tom.* 1. *cap.* 108. *à num.* 41.
2 *ad* 45. sed non inde sequi videtur, quod iuuari non possit beneficio *l.* 2. *ff.* & *Cod. quod cum eo*, itaut teneatur solùm deducto ne egeat, quicquid in contrarium videatur dicere *Merlin. controuers. foren. Cent.* 1. *cap.*
3 39. Quamuis enim talis casus sit casus pietatis, cui iura valde fauent, vt deducunt ipsi *Grat.* & *Merlin.* tamen non est, quod filius familias etiam cum sua egestate id prçstare debeat, vt vbi suprà præmittit *in princ.*
4 *idem Merlin.* certum enim est, quod ordinata charitas incipit à se, *l. Præses Cod. de seruit. & aqua*, & deducit *Menochius de Præsumpt. Præsumptione* 125. *num.* 13.

ARGVMENTVM.

FRuctus industriales si debentur ex industria, debentur illi, qui seminauit, non illi, qui postea custodiuit; & coluit.

SVMMARIVM.

1 *FRuctus naturales, & industriales qui, remissiuè.*
2 *Fructus industriales, si debentur ex industria, debentur illi, qui seminauit, non illi, qui postea custodiuit, & coluit; & quare vide num. seqq.*
3 *Iactura aliena locupletari non licet.*
4 *Semen satum est aptum producere ex se aliquales fructus, & vti fundamentum, & substantia totius industriæ extenditur in omnibus actibus subsequentibus.*
5 *Initium, & origo cuiusque entis inspici debet tanquam radix futuri. Radix enim semper inspicienda est, quia quicquid sequitur, inde deciditur, & omne quod deciditur ab aliquo, sapit naturam illius, vt & num. seq.*
6 *Principium, & non finis in negotijs attenditur, vt & num. anteced.*

SINGVLARE CCCIX.

1 DAto casu, quod fructus industriales, de quibus, distinguendo illos à naturalibus, scribit *Peregr. de fideicom. art.* 49.
2 *num.* 128. & 129. cedere deberent inspecta industria, & altercatio esset inter satorem, & agricolam, qui postea custodiuit, coluit, & ad perfectionem redegit, non istius, qui vt ita dicam substinuit pondus diei, & æstus, sed illius, qui seminando, industriæ principium dedit, tales fructus esse debent, refectis tamen culturæ expen-
3 sis alteri, ne cum iactura aliena locupletari contingeret, contra *l. Planè in cæteris ff.*
4 *de petit. hæred.* Et ratio est, quia semen satum iam ex se est aptum producere saltem aliquales fructus, & industria in seminando extenditur in omnibus actibus subsequentibus, quod non verificatur in illo, qui subintrat postea in cultura, cum in semine, & satura, quæ sunt fundamenta, & substantia totius industriæ, aliquam partem ha-
5 buisse dici non valeat; vnde intrat doctrina *Baldi in cap. Quæ in Ecclesiarum nu.* 89. *de Constit.* dicentis, quod inspicitur initium, & origo cuiusque entis, tanquam radix futuri, & propterea semper inspiciendum ad radicem, quia quicquid sequitur inde deciditur, & omne quod deciditur ab aliquo, sapit naturam illius; & facit textus in *l. Nam Seruius* 21. §. *Si viuo Titio ff. de*
6 *negot. gest.* quo habetur in negotijs principium, & non finem attendi.

ARGVMENTVM.

LIcitus vsus fraudis, & doli non reddit actum inualidum; sed talis vsus debet esse vndequaque licitus.

SVMMARIVM.

1 *FRaus, & dolus, quando illicitè non fiunt, sed vt dici liceat, quod fraudans iure suo vtatur, non reddunt actum inualidum, & est exemplum in illo, qui obligatus cõfiteri proprio Sacerdoti discedit à sua Parrochia, vt confiteatur alteri, vel accedit ad locum, in quo non fuit vsu receptum Conc. Trid. vt contrahat matrimonium sine Parrocho, & testibus; sed de istis*

exemplis videtur contra, & de 2. contrarium habetur decisum.

SINGVLARE CCCX.

1 FRaus, & dolus, quando illicite non fiunt, sed ita vt dici liceat, quod fraudans iure suo vtatur, non reddunt actum inualidum, per accidens enim videtur tali casu fraus commissa, & ita in terminis illius, qui obligatus confiteri proprio Sacerdoti, non ex negotio, sed solùm vt confiteatur alteri, à sua ad aliam Parrochiam accedit, tradit *Pontius de Matrim. lib. 5. cap. 9. nu. 6. contra Vasquez in 3. parte tom. 4. qu. 93. art. 2. dub. 4. nu. 6.* ex quo, ex eodem *Pontio*, infert idem *Diana resol. mor. tract. 6. Miscellan. resol. 28. de illis*, qui vt contrahant matrimonium sine testibus, & Parrocho, accedunt ad locum, vbi Sac. Conc. Trid. non fuit vsu receptum, dicens quod qui taliter faciunt, non vtuntur mala fraude, nec dolo illicito, sed iure suo, & ideo validè contrahunt, si seruant seruanda de antiqua lege Ecclesiastica.

Quicquid tamen sit de assumpta ratione ad prædicta probandum, benè perspiciendum est, an fraus sit legitima, cum illegitima videatur quotiescumque contra legem committitur. Quamuis enim lex in primo casu videatur saluari, cum possit dici proprius Sacerdos ille, qui in loco præest, tamen non est ille Sacerdos, qui benè cognoscens suum subditum potest ea adimplere, quæ in *cap. Omnes vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* sibi iniunguntur, & sic absque vlla causa illum declinare non videtur tutum, & prout nec videtur tutum eludere Conc. Trident. quod quis profitetur; vnde contra refert decisum *Barbosa in Collect. ad Conc. sess. 24. de reform. cap. 1. num. 172.* de supradicto casu matrimonij à *Diana ex Pontio* deducto.

ARGVMENTVM.

FRuctus dotis, mortua vxore, debentur marito, non in totum, sed in parte respectu filiorum superuiuentium.

SVMMARIVM.

1 *Fructus dotis, mortua vxore, deberi, vel non deberi marito respectu filiorum superuiuentium est disputabile, & videtur, quod non, sed vide numeris seqq.*

2 *Fructus dotis dantur ad sustinenda onera Matrimonij.*

3 *Filij, matrimonio dissoluto, non sunt onera, sed reliquia eiusdem; sed vide nu. 5.*

4 *Pater, matrimonio dissoluto, tenetur alere filios, non ex patria potestate, aut ex dote habita, sed ex charitate sanguinis.*

5 *Onera matrimonij dici possunt filij, etiam matrimonio dissoluto; & quare.*

6 *Fructus dotis respectu filiorum superuiuentium debentur marito mortua vxore, pro rata eorundem filiorum.*

SINGVLARE CCCXI.

1 FRuctus dotis, mortua vxore, deberi, vel non deberi marito respectu filiorum superuiuentium, disputat *Grat. discept. foren. tom. 3. cap. 427. per totum*, & quod non debeantur ex pluribus rationibus, & auctoritatibus, concludit. Et indubitabile
2 videtur, si consideretur, quod tales fructus dantur ad sustinenda onera Matrimonij, *Cap. salubriter, de Vsur. cum simil.* & quod onera matrimonij dari non possunt, ipso matrimonio per mortem vxoris dissoluto, cum non entis nullæ sint qualita-
3 tes; vnde filios, matrimonio dissoluto per mortem vxoris, non matrimonij onera, sed matrimonij reliquias vocat *Grat. vbi*
4 *suprà num. 19. & 20. & num. seqq.* subdit, quod tali casu illos de suo tenetur Pater alimentare, non ex patria potestate, aut ex dote habita, sed ex charitate sanguinis, ad *l. si quis à liberis §. Vtrum ff. de liber. agnoscen.* & ad alia, quæ citat.
5 Verùm cum in substantia negari non possit, quod filij etiam post mortem vxoris onera non sint, & quod à matrimonio non processerint, vtique & filij sic considerati onera matrimonij dici valent, & maximè cum textus *Cap. salubriter, de Vsur.* loquatur de oneribus matrimonij simpliciter, & non
6 de oneribus matrimonij actualis; & sic bona videtur practica quorundam tribunalium, qui non in totum, ac si viueret vxor,

quæ

quæ est principale onus matrimonij, ad ea, quæ notat *Grat. vbi suprà*, sed prò rata oneris filiorum tantum taxat; & compellit soluere fructus prædictos, secundum etiam sententiam *Honorati Leotardi de Vsur. & contract. usur. coer. qu. 30. nu. 26 in fine*, omnino in tali materia videndi, eum prædicta, & alia sub *numeris antecedentibus* diligentissimè expendat; & vt suprà, benè concludat.

ARGVMENTVM.

SOla fugæ suspicio sufficit ad sistendum, non ad retinendum debitorem.

S V M M A R I V M.

1 *Fugæ suspicio non sufficit ad faciendum capi debitorem prò suspecto; sed requiritur, quod ipse debitor post contractam obligationem, deterior factus fuerit; sed vide num. seq.*

2 *Fugæ suspitio sola sufficit ad faciendum sistere debitorem; sed non ad ipsum retinendum carceratum, si non probantur alia probanda; & quare.*

SINGVLARE CCCXII.

FVgæ suspicionem non sufficere ad faciendum capi debitorem prò suspecto de fu-
1 ga, sed requiri, quod ipse debitor post contractam obligationem deterior factus fuerit, tradit *Iason in tit. de Action. §. superest num. 84.* vbi contrariam practicam reprobat, & ex *Bart.* dicit, quod aliàs captura nihil penitus valet, & quod millies fuit destructa. Et meritò, cum absque vlla deterioratione fugæ suspicio dari non possit, vel saltem maior illa, quæ extare poterat de tempore obligationis, cui creditor contrahendo acquieuisse videtur.

2 Non est tamen, quod si timor fugæ vrgeret, talis probatio deteriorationis præmittenda esset capturæ, tunc enim sufficeret solùm iuramentum prædictæ suspicionis, ne dum probationes fierent, debitor fugeret, vt tradit idem *Iason in 1. ff. vet. l. si ab arbitro nu. 9. tit. Qui satisdare cogantur*; sed tunc post capturam ipse creditor omnia apertissimè probare deberet, cum solùm propter periculum captura, vt supra, concedatur, & omne periculum post ipsam capturam, cesset vt optimè discurrendo concludit idem *Iason citato num. 9.*

ARGVMENTVM.

QVamuis regulariter impubes in testem admitti non debeat, tamen & hoc in Iudicis arbitrio est repositum.

S V M M A R I V M.

1 *IMpubes regulariter non admittitur ad testificandum.*

2 *Impubes, qui non debebat admitti in criminalibus in testem, non ad torquendum, nec ad inquirendum; sed solum quale quale facit indicium.*

3 *Minor non ob aliud in testem non admittitur, nisi quia iurare non potest, & iudicio caret, & ideo, si malitia supplet atatem, videtur admittendus.*

4 *Impubes matrimonium contrahere potest, si malitia supplet atatem.*

5 *Testium in materia Iudicis arbitrio standum est.*

SINGVLARE CCCXIII.

1 IMpuberem non admitti ad testificandum latè tradit prò regula *Farinac. de oppos. contra person. test. qu. 58.* vbi ampliando, & limitando descendit ad multa, &
2 præcipuè *sub nu. 50.* dicit, quod est contra communiorem, & veriorem opinionem id, quod aliqui per ipsum citati asserunt, videlicet, quod minor, qui aliàs in criminalibus non debebat examinari faciat indicium non solùm ad inquirendum, sed etiam ad torquendum, præsertim vbi veritas aliter haberi non potest; tali enim casu facere solùm quale quale indicium præmittit *ipse, vbi suprà num. 46.* & hoc supposito sequitur, quod non sit id omnino à lege
3 prohibitum, & prout videtur, si ad ea, quæ tradit idemmet *Farinac. dicta qu. 58. num. 2. 3. & 4.* considerетur, quod non ob aliud minor in testem non admittitur, nisi quia iurare non potest, & quia iudicio caret,
4 ita enim præsumitur; Si autem daretur casus,

sus, quod malitia suppleret ætatem, vtique procedere deberet opinio prædicta à *Farinac.* reprobata, cum tali casu nihil obstaret, & impubes examinari debuisset. Sicut enim matrimonium contrahere regulariter non potest impubes, *toto tit. Decret. de despons. Impub.* & potest quando certis indicijs deprehenditur ipsum & vsum rationis, & potentiam coeundi assecurum, vt notat inter alios *Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 10. parte 4. cap. 12. num. 2.* quare & testis
5 tali casu esse non poterit ? maximè cum generaliter in materia testium standum sit arbitrio Iudicis, vt apertè legitur in *l. 3. §. 1. ff. de test.*

ARGVMENTVM.

MInor effectus maior potest regulariter testificari de ijs, quæ gesta sunt, dum ipse erat minor.

SVMMARIVM.

1 *MInor non potest testificari.*
2 *Minor effectus maior potest testificari de actu secuto, dum ipse erat minor.*
3 *Testes ætate idonei requiruntur in testamento.*
4 *Iurare non potest minor, & indicio caret; & ideo examinari non potest; sed cum prædicta essent, quando est effectus maior, examinari poterit de ijs, quæ tempore suæ minoritatis gesta fuerint.*

SINGVLARE CCCXIV.

1 MInor etsi non possit testificari dum est minor, vt ex regula tradit *Farinac. de Oppos. contra person. test. qu. 58.* ta-
2 men potest id facere, quando est effectus maior de actu secuto, dum ipse erat minor, ad *Glos. in §. lege Iulia l. 3. ff. de test. in verbo, Impuberes, & ex Glos. super verbo neque Impuberes §. testes autem, Instit. de testam.*
3 vbi excipitur factum testamenti, in quo lex requirit testes ætate idoneos; Et quidem, seclusa particulari prouisione legis, non videtur quare minor effectus maior non possit attestari de successis in sua mino-
4 ri ætate, cum non ob aliud minor examinari non valeat, ad ea, quæ obseruat *Farinac. vbi suprà num. 2. 3. & 4.* nisi quia iurare non potest, & quia indicio caret, quæ cessant quando postea est effectus maior, quo tempore potest benè cognoscere, an benè recordetur facti secuti in sua minori ætate, & an benè illud apprehenderit, ac ita, & taliter, quod cum securitate animæ suæ illud deponere valeat.

ARGVMENTVM.

EX apprehensione status mortalis regulandum videtur, quod quis in articulo mortis constitutus dici possit.

SVMMARIVM.

1 *Mortis in articulo non dicitur constitutus ille, qui grauiter ægrotans, postea ex eadem infirmitate decedit, nisi talis infirmitas per Medicos, & communiter per altos teneatur mortalis; vel nisi ex aliquo casu apparenti periculum mortis instare videatur.*
2 *Mortis in articulo dicuntur constituti, qui bellum intrant, vel infirmitate pestilentiali laborant, aut vulnerati ictu archibusij reperiuntur.*
3 *Mortis in articulo constitutus dicitur ille qui in tali statu se esse credit, quamuis non sit, & è contra.*

SINGVLARE CCCXV.

1 MOrtis in articulo non dicitur constitutus ille, qui grauiter ægrotans, postea ex eadem infirmitate decedit, nisi talis infirmitas per Medicos, & communiter per alios teneatur mortalis, vt tradit *Cancer. in suis var. resol. parte 1. cap. 4. de testam. num. 79. recent. impress. 1642. Venetijs apud Iuntas*, præcipuè ex *Alber. l. filia mea, nu. 3. ff. sol. matrim. & ex Polid. Rip. in tract. de gest. in art. mort. nu. 15.* Vel nisi ex aliquo casu apparenti periculum mortis instare videatur, vt habentur exempla in *l. 3. cum*
2 *tribus seqq. ff. de donat. caus. mort.* De intrante bellum tradit *Victoria in Sum. Sacram. cap. de confes. num. 123.* De laborante infirmitate pestilentiali dicit *Corne. consf. 77. num. 9. lib. 4.* & de vulnerato ictu archibusij exemplificat idem *Canc. vbi suprà num. seq. 80.* vbi prædicta, & alia commemorat,
3 quæ non ob aliud ita procedere videntur, nisi

nisi quia præsumitur, quod in prædictis casibus patiens se ipsum in discrimine vltimo vitæ credat, prout & alij credunt, & hinc videtur idem dicendum vlterius & de illo, qui quamuis non esset taliter constitutus, & ab alijs prò moribundo non apprehensus, tamen se moribundum crederet, & in articulo mortis se apprehenderet, ad vulgare dictum, quod imaginatio facit casum, & sic tota vis consistit in apprehensione patientis, cum nihil releuaret è contrario, si omnes illum in articulo mortis constitutum facerent, si ipse se sanaturum crederet, & apparere posset, cum vis per ipsum tunc gestorum, ab apprehensione mortis dependeat.

ARGVMENTVM.

Mors probata per famam leuiter probata dicitur.

SVMMARIVM.

1 *Mors ex publica voce, & fama probata quam leuiter probata dicatur.*
2 *Fama est communis opinio voce manifestata ex suspicione proueniens.*
3 *Probationum in materia Iudex latissimum arbitrium habet.*
4 *Dominia rerum non debent esse in incerto.*
5 *Ius suum cuique esi præseruandum.*

SINGVLARE CCCXVI.

1 Mors ex publica voce, & fama probata, quam leuiter sit probata, detegitur ex pluribus limitationibus, quas ad id subdit *Mascard. in sua conclus.* 1075. *de*
2 *probat. Vol.* 2. Cum enim fama sit communis opinio voce manifestata ex suspicione proueniens, vt obseruat *Bar. in l. de Minore ff. de quæst.* vtique certam, & grauem
3 probationem facere non potest, & proinde si Iudex ex arbitrio, quod in materia probationum latissimum habet, cum vt tradit *Menoch. de arbitr. casu* 90. probationes omnes in eius arbitrio sint, velit aliquando, vt fieri solet in materia successionum, eidem probationi deferre, cautè faciet, si ex aliqua morte taliter probata prætendentem admittet cum cautione de resti-
4 tuendo, casu quo dicta mors secuta non esset, ita enim & dominia rerum non relinquet in incerto contra *tex.* §. 1. *Inst. de Vsu-*
5 *cap. & long. temp. præscr.* & ius suum cuique præseruabit ad *tex. in princ. earundem Inst. de Iust. & iu.*

ARGVMENTVM.

Exceptio periurij opponi debet in principio litis, aliàs censetur remissa.

SVMMARIVM.

1 *Periurij exceptio opponi debet in principio litis.*
2 *Exceptio periurij, si non sit opposita in principio litis, censetur remissa.*
3 *Periurij exceptio impedit litis ingressum, sed quando nihil fuit oppositum de periurio processus tenet.*
4 *Exceptio periurij vti peremptoria videtur posse opponi in quacumque parte iudicij; sed contrà, & quare.*
5 *Periurus agens non auditur.*
6 *Placitum semel, amplius displicere non potest.*

SINGVLARE CCCXVII.

1 Periurij exceptionem debere opponi in principio litis, suadetur ex traditis per *Riccium Collect.* 3083. qui præcipuè ad id citat *decis. Rota Rom. in Hyspalen. Coadiu-*
2 *toria* 13. *Martij* 1654. *coram Vbaldo*. Et quidem per non oppositionem dictæ exceptionis censetur remissa, secundum ea, quæ tradit *Aym. Crauet. cons.* 199. *num.* 12.
3 vbi expressè dicit, quod licet talis exceptio impediat litis ingressum, tamen quando nihil fuit oppositum de periurio, processus tenet.
4 Nec videtur obstare, quod talis exceptio vti peremptoria possit opponi in quacumque parte iudicij, quia si id verum esset, nunquam posset dici, quod esset remissa, cum semper replicari posset, quod ad-
5 huc opponi valeret. Vlterius periurus agens non debet audiri, *l. Si quis maior Cod. de transact.* & negari non potest, quod si
6 audiatur, tractetur vti si non esset periurus, & proinde si id semel parti placuit, amplius displi-

displicere non potest, *cap. quod semel, de reg. iur. in sexto*.

ARGVMENTVM.

DE periurio agi non potest nec criminaliter, nec ciuiliter, si res promissa franca, & libera non reperitur talis; sed est sufficiens ad satisfaciendum omnibus, vel ad id suppetunt alia bona vnà cum ipsa generaliter obligata.

SVMMARIVM.

1 *PEriurus non est, vel saltem vti talis tractari non debet neque criminaliter, neque ciuiliter ille, qui iureiurando rem liberam, & francam ab omni onere asserit; quamuis alteri obnoxia, & alicui oneri supposita sit, si nihilominus sit sufficiens ad satisfaciendum omnibus; sed limita, vt num. seq. & amplia, vt alio seq.*

2 *Franca, & libera res promissa facit promittentem periurum, si non reperitur talis, quando expressè constat, quod ille, cui taliter fuit promissa, non contraxisset, si non fuisset talis.*

3 *Periurium excusandum videtur, etiamsi res promissa franca, & libera, quæ postea non reperitur talis, non sit sufficiens ad satisfaciendum omnibus, dummodo ad id suppetant alia bona generaliter obligata; & quarè.*

SINGVLARE CCCXVIII.

1 PEriurus non est, vel saltem vti periurus tractari non debet neque criminaliter, neque ciuiliter ille, qui iureiurando rem liberam, & francam ab omni onere asserit, quamuis alteri obnoxia, vel alicui oneri supposita sit, si nihilomibus sufficiens reperiatur ad omnibus satisfaciendum. Non criminaliter, quia falsitas punienda non est, si nemini nocet, & nocere non potest, ad tradita per *Clarum in praxi Crim. §. falsum num.* 44. Neque ciuiliter ad rescissionem contractus, aut aliter ad tradita per *Beltr. in addit. ad decis.* 295. *Ludouis.* vt omnia benè aduertit postea *Donat. Ant. de Marin. resol. quot. lib.* 1. *cap.* 195. *num.* 8. *& seqq.* vbi sub *num.* 11. ait,
2 quod aliter esset dicendum, si expressè, & non per præsumptiones constaret; quod contrahens non contraxisset, si in effectu res in contractum deducta non fuisset franca, & libera, vt assertum fuit. Et hinc præ-
3 dicta videntur procedere etiam in casu, in quo non sufficeret talis res prò satisfactione omnium, si sufficerent alia bona generaliter obligata, quia eo ipso, quod hypothecatur, & obligatur aliqua res particularis, & postea subnectitur obligatio generalis omnium bonorum, non solùm non apparet, quod contrahens non contraxisset, si res non fuisset franca, & libera; sed datur intelligi, quod de eius franchigia, & libertate dubitauit, dum & ex obligatione generali cautum se fecit.

ARGVMENTVM.

PEriurium ex lapsu temporis non incurritur per debitorem, qui paratus est executionem subire.

SVMMARIVM.

1 *PEriurium incurritur ex lapsu temporis solutioni præfixi, post quod absolutio solum à Summo Pontifice obtineri potest; sed declara, vt num. seq.*

2 *Periurium non incurritur ex lapsu temporis à debitore, qui non habet animum retardandi executionem; sed est promptus illam subire, & quare etiam num. seq.*

3 *Absolutionem à Iuramento renunciationis factæ benef. cap. Odoardus de solut. petere potest debitor iam in carceribus cõstitutus; & quarè.*

SINGVLARE CCCXIX.

PEriurium incurri ex lapsu temporis solutioni præfixi habetur ex ijs, quæ scripsit
1 *Anchar. cons.* 198. *in fine*, & ex ijs, quæ latè tradit *Bilocta de absol. iur. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 2. vbi & ex ipso *Anchar.* firmat, quod post dictum temporis lapsum absolutio a Summo Pontifice solum, & non ab alio
2 inferiore obtineri potest. Verùm hoc intelligendum esse solùm in casu, in quo debitor habuit animum retardandi executionem, & non quando paratus executionem subire finuit tempus labi, vt postea quandocumque, executione non retardata,

abso-

absolutionem peteret, suadetur ne dum ex
ijs, quæ subiungit ipse *Bilotta* de petenda
absolutione ante dies viginti imminentis
termini ad soluendum, vt ipsa absolutio
executionem retardare valeat; sed & ex ijs,
3 quæ in terminis renunciationis iuratæ be-
neficio *Cap. Odoardus, de solut.* tradunt *Ca-
stagna, tract. de Benef. deducto ne egeat, qu.
10. nu. 49. & Carol. de Graß. de effect. Cle-
ric. effectu 7. num. 22. & 23.* quibus in locis
habetur, quod dicta absolutio potest obti-
neri à debitore existente in carceribus,
quasi quod, dum debitor patitur se carce-
rari, executioni consentiat, & sic periu-
rium non incurrat, vt faceret, si ante exe-
cutionem absolutionem peteret. Vt enim
expresè dicit *Carol. de Graß.* si in carceri-
bus non maneret dum absolutionem pete-
ret, mortaliter peccaret; ergo à contrario
sensu non peccaret, si maneret, & periu-
rium non incurreret.

ARGVMENTVM.

PEriurium non incurritur per con-
trauentionem procuratoris non
habentis ad id speciale mandatum, si
principalis actu eiusdem procuratoris
non vtitur.

SVMMARIVM.

1 *PEriurium non incurritur ex contrauen-
tione contractus iurati, si contrauentio
fiat à procuratore vigore mandati generalis,
& quarè num. seq.*
2 *Procurator non censetur habere mandatum ad
ea peragenda, ex quibus constitutus incidere
posset in pœnam.*
3 *Processus factus à procuratore cum contrauen-
tione iuramenti, absque speciali mandato, est
nullus, & principalis, vt nouum processum
facere possit, indiget absolutione à iuramento.*
4 *Agens ex processu nullo facto à procuratore
contra iuramentum, absque speciali mandato,
vel est reijciendus ex capite nullitatis, vel ex
capite periurij; & ex hoc secundo reijci potest,
& à Iudice Ecclesiastico; & quare nu. seq.*
5 *Periurus dicitur ne dum qui actu, & cum effe-
ctu contrauenit iuramento; sed & qui cogitat
contrauenire.*

SINGVLARE CCCXX.

1 PEriurium non incurritur ex contra-
uentione contractus iurati, si contra-
uentio fiat à procuratore vigore mandati
generalis, quia vt obseruat *Marescot. var.
resol. lib. 2. cap. 84. num. 21.* non censetur,
2 quod procurator habeat mandatum ad ea
peragenda, ex quibus constituens incidere
3 possit in pœnam. Benè verum est, quod
processus à procuratore factus tali casu est
nullus, & vt constituens nouum processum
facere possit, indiget absolutione à Iura-
mento, vt tenuit *Rota in vna Spoletana Cen-
sus 20. Maij 1598. coram Card. Lancellotto*
relata per *Maresc. vbi supra*, & sic si ipse
constituens ex processu iam per procura-
4 torem, vt supra, facto ageret, & ex capite
prædictæ nullitatis à suo Iudice laico non
reijceretur, ex capite ipsius periurij reij-
ciendus esset, mediante Iudicis Ecclesiasti-
ci inhibitione, quia etsi ex ipso actu nullo
perperam ageret, tamen quantum in se
5 esset iuramento contrauenirct, cum periu-
rus ne dum dicatur qui actu, & cum effectu
contrauenit iuramento, sed & qui cogitat
contrauenire, vt obseruant *Doctores in l. si
quis maior. Cod. de transact.* & latè tradit
*Seraphin. de priuileg. iur. Priuileg. 174. num.
2.* præcipuè ex *cap. Mulieres, de sent. excom.*

ARGVMENTVM.

SImplex promissio facti alieni, quic-
quid communiter dicant Docto-
res, videtur obligare ad quascumque di-
ligentias, vt ipsa promissio impleatur.

SVMMARIVM.

1 *PRomittens alium daturum, facturumue,
non obligatur; sed contra num. seq. 4.*
2 *Factum alienum nemo promittere potest.*
3 *Contrahentes inter se ipsos negotium, quod
tractant, gerere debent.*
4 *Promissio, quod alius dabit, vel faciet, valet
de æquitate, & saltem obligat promittentem
ad omnes suas diligentias faciendas, vt pro-
missio suum sortiatur effectum, vt & num. seq.*
5 *Promittens se effecturum, quod alius dabit,
vel faciet, actum complendum demonstrat, &
sic*

sit effectu promissionis non eueniente, tenetur ad damna saltem, & interesse.

SINGVLARE CCCXXI.

PRomittens alium daturum, facturumue aliquid, non obligatur, secundum dis-
1 positionem *textus in* §. *si quis alium, Inst.*
2 *de inutil. stipul.* nemo enim factum alienum promittere potest, *l. stipulatio ista ff. de*
3 *verb. oblig. in princ.* & est ratio, quia negotium requiritur quod geratur inter ipsos contrahentes, stipulantem scilicet, & promittentem, vt expresse cauetur in principio *l. Inter stipulantem ff. eod. tit. de verb. oblig.* Verùm nimis dura lex videtur, si consideretur, quod ista promissio redditur sic inanis, & frustratoria, & non est verisimile, quod facta fuerit absque eo, quod aliquem
4 effectum pareret. Hinc enim (vt refert *Mynsing. in schol. ad dictum* §. *si quis alium in fine) Accursius*, quamuis contra communem, tenuit, quod talis promissio valeat de æquitate, cum semper videatur, quod promissor spondeat se curaturum, quod promissio sequatur, & sic potius de facto proprio, quam de alieno promissio censenda
5 sit; & quidem pace aliorum hæc *Accursij* opinio textui prædicto non contrariatur, si promissor solùm curare debet, quod sua promissio effectum habeat, cum non per hoc ad illam omninò complendam post suas diligentias sit compellendus vti obligatus, & prout obligatus esset, vt subditur in *textu prædicto*, si promisisset se effecturum, quod alius dabit, vel faciet, cum tale verbum, effecturum, actum complendum importet, & sic obligatio ad damna saltem, & interesse extendi valeat. Vnde & cum *textu*, & cum *Accursio* in casu proposito alienum à iure & ratione non esset saltem compellere promissorem ad faciendum quantum in se est, vel ad iurandum, quod fecerit quod potuit, vt eius promissio exequeretur.

ARGVMENTVM.

PRoximioribus propinquis vocatis, veniunt omnes descendentes testatoris, si alios propinquos habet, secus si descendentes tantum; quia tali casu solùm proximiores in gradu censentur vocati.

SVMMARIVM.

1 *PRopinquis proximioribus vocatis, remanent exclusi remotiores in gradu, etiam si solùm inter descendentes testatoris quæstio versetur; sed vide numeros seq.*

2 *Proximitas non solùm ex gradu, sed & ex successione regulari debet; sed vide numeros seq.*

3 *Testatorem voluisse se conformare successioni legali semper est præsumendum.*

4 *Ascendentibus per repræsentationem succeditur in infinitum.*

SINGVLARE CCCXXII.

1 PRoximioribus propinquis vocatis, remotiores in gradu remanere exclusos, etiam si solùm inter descendentes testatoris quæstio verteretur, videtur suaderi præcipuè ex traditis per *Io. de Castil. lib. 5. 2. par. quotid. contron. iur. de coniect. & interpret. vlt. vol cap. 67. num. 19.* ex quo in omni dispositione proximiores in dubio censentur vocati, & à fortiori si expressè hoc fuit dictum, frustratoriè enim videretur appositum illud verbum, proximiores, si daretur locus repræsentationi, vt dari voluit *Honded. cons. 70. nu. 44. lib. 1. cum suis sequacibus, & dixit Rota decis. 426. nu.*
2 *6. parte 4 diuers.* Quamuis enim superfluum non esset, si proximitas regularetur non solùm ex gradu, sed etiam ex successione, vt considerat, illamque regulat *Honded. vbi supra*; tamen adhuc superfluum esset, si testator nullos alios propinquos præter descendentes habuisset, tunc enim ad superfluitatem vitandam per necesse dicendum esset, quod inter descendentes non successionis, sed gradus prærogatiua attendenda foret, & sic prædictas opiniones prò facti contingentia regulandas credidi, videlicet quod respectu descendentium attendatur proximitas ne dū respectu gradus, sed etiam respectu successionis, quando testator vltra descendentes alios propinquos habebat, in quibus dicta
3 verba verificari possent, cum semper sit præ-

præsumendum, quod testator voluerit se conformare successioni legali, ad tradita per *Mantic. de coniect. vlt. vol. lib. 8. tit.*
4 *12. nu. 41.* & per repræsentationem ascendentibus succedatur in infinitum, vt inter alios obseruat *Oinot. Instit. de hæred. quæ ab intest. defer. de tert. ord. succed. num. 12.* Secus autem, quando vltra descendentes alios propinquos non habuisset, quia si proximitas solùm quoad gradus attendenda non esset, nec proximiores vocare, nec testamentum ad hoc vllo modo facere opus habuisset, cum proximiores in gradu successionis ab ipsa lege vocati extitissent.

ARGVMENTVM.

Non obstante regula in contrarium, scriptura referens probat etsi non constet de relato, si referens habeat ex se dispositionem claram, & apertam, contineatque orationem perfectam.

SVMMARIVM.

1 *Relatum inest in referente, cum omnibus suis qualitatibus.*
2 *Referens scriptura nihil probat, si non constet de relato, etiamsi Notarius referens dicat se vidisse instrumentum relatum, vel de eodem se rogatum fuisse assereret, & tenor insertus esset; sed limita, vt num. seq.*
3 *Scriptura referens probat, si non constet de relato, quando habet ex se claram, & apertam dispositionem, continetque orationem perfectam.*
4 *Error non præsumitur.*
5 *Falsa demonstratio; vel falsa causa non vitiat dispositionem, si non probatur, quod, tali causa non existente, dispositio ipsa facta non fuisset; & talis probatio incumbit dicenti.*

SINGVLARE CCCXXIII.

1 Relatum inesse in referente cum omnibus suis qualitatibus, traditur prò Regula in *l. Asse toto ff. de hæred. instit. cum*
2 *similibus*; & hinc fit, quod non constito de relato, referens scriptura nihil probet, etiamsi Notarius referens diceret se vidisse instrumentum relatum, vel de eodem se rogatum fuisse assereret, vt deducit *Grat. discept. foren. cap. 693. num. 1.* & etiamsi instrumenti, seu scripturæ relatæ fuisset insertus tenor in scriptura referente, ad tradita per *Graminat. decis. 103. num. 177.*
3 Verùm id non procedere, si scriptura referens habeat ex se claram, & apertam dispositionem, contineatque orationem perfectam, suadetur præcipuè ex ijs, quæ habentur in *parte 2. decis. nouis. decis. 36. per totam coram Cantuc.* quæ quamuis sit in terminis priuilegij, tamen id procedere etiam in terminis debiti, sequendo *Bartol. Bal. Ias. & Paul. de Castro* tradit *Cancer. var. resol. cap. 3. de Priuileg. nu. 224.* vbi exemplificat de illo, qui confitetur debere centum prout in tali instrumento continetur, & quidem omnis ratio velle videtur, quod vsque dum non apparet contrarium, sit standum claræ assertioni illius, de cuius
4 præiudicio tractatur, cum error, ne dum in tali casu, sed absolutè non præsumatur, vt notat *Menoch. de præsumpt. lib. 1. quæst.*
5 *61. num. 13.* & detecto etiam errore, adhuc confessio prædicta non vitietur, secundum *Cancer. vbi suprà*, cum ne dum demonstratio, sed causa ipsa falsa, non vitiet, si non probetur, quod tali causa non existente dispositio non fuisset facta, & quæ probatio incumbit dicenti, ad tradita in dicta *decis. 36. coram Cantuc.*

ARGVMENTVM.

Ex omissione illius, quod de iure omitti potest, non vitiatur actus factus vigore rescripti tale omissum simpliciter mandantis.

SVMMARIVM.

1 *Rescriptum prout iacet obseruari debet.*
2 *Rescriptum, si simpliciter mandet aliquid fieri, quod de iure ommitti potest, ex tali omissione actus non vitiatur, & quare nu. seq.*
3 *Denunciationes matrimoniales omitti possunt ex causa, permittente, & approbante Episcopo, etiamsi sint iniunctæ in dispensatione Apostolica.*

4 *Correctio non est inducenda per subauditos intellectus.*

SINGVLARE CCCXXIV.

1 RE scriptum etsi seruandum sit, pròut iacet, ad ea, quæ habentur in *Cap.*
2 *Cum dilecta, de rescript.* tamen si simpliciter mandet fieri aliquid, quod ex causa de iure omitti possit, actus ex tali omissione non vitiatur, vt in terminis denunciationum matrimonialium iniunctarum in dispensatione Apostolica, latè tradit *Pyr. Corrad. in sua praxi dispens. Apost. lib. 7. cap. 7. num. 17. & seqq.* Quamuis enim tales denunciationes ad præscriptum *Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.* sint fa-
3 ciendæ, tamen ex causa eodem *Conc.* permittente, & Episcopo approbante omitti possunt, & sic non obstante, quod in dispensatione Apostolica iniungantur, omitti valent, si ex causa Episcopus illas omittendas duxerit, cum sit intelligendum, vt dicit ipse *Pyr.* Quod tali casu Papa voluerit solùm admonere, & non formam nouam inducere.

Nec meo iudicio obstat, quod verba sic videantur superflua, quia non sunt talia, si ad admonendum dicantur apposita, & in omnem casum melius sit dare superfluitatem, quam correctionem iuris inducere, absque eo, quod ipsa correctio exprima-
4 tur, contra regulam, quod correctio non est inducenda per subauditos intellectus, vt notauit *Rota ex Cy. & alijs coram Caualer. decis. 65. num. 2.*

ARGVMENTVM.

SEntentia vtcumque nota præscriptionem impedit.

SVMMARIVM.

1 *PRæscriptio ex sententiæ notitia impeditur.*
2 *Sententia, quæ transiuit in iudicatum præsumitur iusta præsumptione iuris, & de iure.*
3 *Sententia habet semper prò se saltem præsumptionem iuris, donec contra ipsam aliquid comprobetur.*
4 *Mala fides inducitur etiam per vitium litigiosi, & etiam per simplicem interpellationem.*
5 *Præscriptio omnis saltem de iure canonico bona fide eget.*

SINGVLARE CCCXXV.

SEntentia, vtcumque sit, impedit præscriptionem, cum ex ipsa inducatur mala fi-
1 des in præscribente de illa notitiam haben-
2 te, non solùm quando transiuit in iudicatum, ex quo tali casu præsumitur iusta, præsumptione iuris, & de iure, ad ea, quæ in puncto notat *Grat. discept. foren. vol. 3. cap. 403. nu. 6.* sed etiam quando non tran-
3 siuit in iudicatum, ex quo indistinctè semper prò sententia militat saltem iuris præsumptio, donec contra ipsam aliquid comprobetur, vt legitur in *cap. In præsentia, de Renunciat.* & sic semper præsumi potest aliqua mala fides in præscribente, cum mala
4 fides inducatur etiam per vitium litigiosi, secundum tradita per *Grat. vbi supra, nu. 9.* immo per simplicem interpellationem, ad ea, quæ leguntur in *l. 2. C. de long. tempor. præscript.* & secundum rationem induci debeat in præscribente per quamcumque notitiam, quam habeat, quod ille, contra quem præscribit, non habeat rem præscri-
5 bendam prò derelicta, cum præscriptio omnis, saltem de iure Canonico bona fide egeat, *ad tradita per Surd. decis. 158. nu. 6.*

ARGVMENTVM.

SEruitus non datur absque scientia, & patientia probata, vel per necesse præsumpta.

SVMMARIVM.

1 *SEruitus probata non dicitur, si de scientia, & patientia illius, contra quem seruitus prætenditur, probatum non sit; limita tamen, vt num. seq.*
2 *Seruitus probata dicitur, si constet de scientia, & patientia illius, contra quem seruitus prætenditur per præsumptionem, quæ concludat per necesse, & vt est casus in seruitute habente causam continuam.*

SINGVLARE CCCXXVI.

1 SEruitus probata non dicitur, si de scientia, & patientia illius, contra quem

serui-

seruitus inducta prætenditur, articulatum, & probatum non extitit, vt in terminis tradit *Ioan. de Amic. conf.* 50. *num.* 8. & per ipsum dixit *Rota coram Vbaldo* 19. *Maij* 1619. *Vers. Præterea*. Regulariter enim scientia, & patientia præsumpta ad id non
2 sufficit; sed vel requiritur concludens probatio, vel tanta præsumptio, quod ferè per necesse concludat, vt esset casus in seruitute habente causam continuam, puta aquæductus, vel similis, quo suadetur impossibile esse, quod ille, contra quem seruitus inducta prætenditur, non viderit ea, quæ continuò sub oculis habebat, tali enim casu & præsumptionem sufficere habetur ex prædicta ratione, & ex traditis etiam per *Pract. Papien. in forma libelli in act. confess. Verb. Seruitus aquaeductus ipsi molendino &c. num.* 25.

ARGVMENTVM.

SEquestrum in causa hypotecaria appellato conceditur, etiamsi appellans sit soluendo, & de dilapidatione non timeatur, & fideiussione non relaxatur.

SVMMARIVM.

1 *Sequestrum fructuum bonorum iam ab appellato per sententiam obtentorum, conceditur, si apparet de dilapidatione, vel de eius timore, qui saltem summariè probari debet, & conceditur absolutè in casu num. sequentis.*
2 *Sequestrum in causa summaria, & executiua appellata conceditur, etiamsi appellans sit soluendo, & timor dilapidationis non adsit, & quare.*
3 *Rei melius est incumbere, quam actioni.*
4 *Sententia habet iuris præsumptionem prò se, donec contra ipsam aliquid comprobetur.*

SINGVLARE CCCXXVII.

SEquestrum fructuum bonorum iam per sententiam ab appellato obtentorum, si
1 appellans dilapidat, concedendum est, tum ex *l. Imperatores* §. *fin. ff. de appellat.* tum *ex cap. fin. de sequestr. possess. & fructuum.* Sufficit autem ad id timor dilapidationis, vt habetur ex *decis. Afflicti* 188. *in fine*, vbi dicit, si est dubium dilapidationis, quæ saltem summariè probari debet, ad tradita per *Aloys. Ricc. in dicta l. Imperatores Col-*
2 *lect.* 328. *parte prima*, qui subdit in fine ex *Caualc. decis.* 23. *parte prima* quod in causa hypothecaria, & executiua concedi debet, etiam quod appellans sit soluendo, & non timeatur de dilapidatione, & quod tunc fideiussioni standum non sit. Et quidem benè, cum sententia tali in causa contineat duo, cōdemnationem scilicet & executionem, & proinde sicuti condemnatio operatur, quod sequestrari debeant, quando timetur de dilapidatione, vtique & executio operari debet, quod res nec sub fi-
3 deiussione distrahatur, cum melius sit incumbere rei, quam actioni ex quo illa prôptior executioni subest *Post. de Manut. obseru.* 1. *nu.* 4. *ex Rota decis.* 524. *nu.* 2. *p.* 3. Si enim appellatus ex sententia condemnatoria acquirit ius impediendi ne bona dilapidentur, & faciendi quod sibi sint salua, non videtur quare ex sententia, quæ vlterius executionem committit, acquirere non debeat ius faciendi, quod bona prompta remaneant executioni, quæ confirmanda præsumitur ex secunda senten-
4 tia, ex quo semper prò sententia militat iuris præsumptio, donec contra ipsam aliquid comprobetur, ad *Cap. In præsentia, de Renunciat.*

ARGVMENTVM.

PRæscriptio seruitutis habentis causam quasi continuam longo tempore est probanda cum particula, *semper*, & copula, *&*.

SVMMARIVM.

1 *Stillicidium est seruitus habens causam quasi continuam.*
2 *Seruitus habens causam quasi continuam ex sola præscriptione longi temporis probatur, & quare.*
3 *Seruitus habens causam quasi continuam probari debet non solùm cum particula, semper, quæ de sui natura perpetuitatem, ac omnem casum, & omne tempus importat, sed etiam cum copula &, & quare.*

4 *Particula, citra, absque copula, &, non operatur.*

SINGVLARE CCCXXVIII.

1 STillicidium est seruitus habens causam quasi continuam secundum *Cæpollam de seruit. vrb. præd. cap. 19. num. 2.* & ideo
2 ipsius seruitus ex sola præscriptione longi temporis inducitur, *ad tradita per pract. Papien. in forma libelli in act. Confess. Verb. seruitus aquaductus nu. 20.* quæ enim continuò fiunt, magis afficere debent, quam quæ interpolatis vicibus, cum maiorem patientiam in illo, contra quem præscribi-
3 tur, arguant. Punctus itaque est, quod benè probetur talis continuatio, non solùm enim non sufficeret probatio simpliciter facta de viginti annis, sed insufficiens etiam videretur cum particula, *semper*, si cum illa non concurreret & particula, *&*; quamuis enim particula, *semper*, de sui natura perpetuitatem, ac omnem casum, & omne tempus importet, vt per *Glos. in proem. Inst. in verbo* semper, *Paris. cons. 93. nu. 16. lib. 2. Magon. decis. floren. 37. nu. 35. Surd. decis. 112. num. 4. & 255. num. 7. vbi Glos. & DD.* allegat in *l. 1. ff. sol. matr.* tamen absque particula, *&*, non videtur expressiua continuationis, sed potius declaratiua aliorum verborum, cui annectitur, ad modum
4 particulæ, *citra*, quæ absque tali particula, *&*, non operatur iuxta notata per *Rotam in decis. 469. toram Seraph.*

ARGVMENTVM.

ECclesia, minor, & mulier admittitur contra regulam ad probandum super eisdem, vel de directo contrarijs post publicationem, & didicitam testificationem.

SVMMARIVM.

1 *TEstibus publicatis, eorumque attestationibus didicitis, regulare est, quod super eisdem, vel de directo contrarijs probari non potest; sed limita, vt num. seq.*

2 *Ecclesia, minor, & mulier admittitur ad probandum etiam super eisdem, & de directo contrarijs post publicationem testium, & didicita eorum testificata, & quare.*

3 *Subornationis timor est causa, qua prohibetur admitti ad testificandum alios testes super eisdem, vel de directo contrarijs post publicationem, & didichtam testificationem.*

4 *Restitutio in integrum ex læsione non datur, nisi læsio probetur; sed limita, vt num. seq.*

5 *Minor, Ecclesia, & Mulier restituuntur in integrum ex capite læsionis aduersus omissas probationes post publicationem, & didicita testificata, etiamsi læsio non allegetur, vel non probetur; & quare.*

6 *Frustratoria actio non est dicenda.*

SINGVLARE CCCXXIX.

1 TEstibus publicatis, eorumque attestationibus didicitis, regulare est, quod super eisdem, vel de directo contrarijs probari non potest ex *Cap. Fraternitatis*
2 *de test. & Clem. 2. tit. eod.* Verùm hoc limitandum dicit *Afflict. decis. 216. num. 2.* in Ecclesia, minore, & muliere, quæ ex practica, vt tradit ipse, desumpta ex bona theorica admittuntur ad prædicta; & quidem, si benè consideretur, optima ratione,
3 nam cessat in istis timor subornationis, quæ est causa expressa dictorum iurium, vt legitur in dicta *Clemen. 2. de testibus*, vnde à ratione cessante, & ipsa lex cessare debet. Quod enim non vigeat timor subornationis in minore, Ecclesia, & muliere patet ex eorum qualitatibus: quod autem id considerari non possit neque in ipsos repræsentantibus pariter suadetur ex quo non est credendum, quod quis propter aliorum interesse se ipsum perdere velit. Punctus autem est quomodo in his eisdem minori, Ecclesiæ, & mulieri succurrendum sit; &
4 videtur id fieri debere ex restitutione in integrum, quæ regulariter non datur, nisi læsio probetur, vt habetur ex *l. nam postea* §.
5 *Minor ff. de iur. iur. cum similibus*, Verùm in hoc practica esset attendenda, in Regno enim Neapolitano indistinctè conceditur, vel sufficit læsionem allegare, absque eo, quod illa probetur, ad ea, quæ latè congerit *Muscatel. Var. pract. lib. 1. parte 6. Glos. In integrum, præcipuè sub num. 5.* Et ita vbique practicari deberet, cum dato quod non subsit timor subornationis, vtique supponenda

6 ponenda sit læsio ex omissione probandorum, ne frustratoriè quis agere dicatur contra *l. 1. in fine ad municip. l. vnic. Cod. de Thesaur. lib.* 10. *& Surd. cons.* 307. *num.* 15. *lib.* 3.

ARGVMENTVM.

FIlius acceptando testamentum patris sibi non præiudicat quoad supplementum legitimæ, ita vt illud petere non valeat, etiamsi expresè id facere prohibitus esset, & expresè acceptasset.

SVMMARIVM.

1 *LEgitimæ supplementum filius petere potest etiamsi testamentum patris acceptasset, si expresè dicto supplemento non renunciauit.*
2 *Legitimæ supplementum statim mortuo patre acquirit filius ipso iure.*
3 *Legitimæ supplemento non dicitur renunciatum per approbationem testamenti paterni etiam iuramento firmatam.*
4 *Legitimæ supplemento non dicitur renunciatum, si filius vocauit se tacitum, & contentum de sibi relictis in testamento paterno, concurrente etiam iussione patris, quod tacitus, & contentus esse debeat.*
5 *Legitimæ supplemento non dicitur renunciatum per prohibitionem expressam testatoris, & acceptationem expressam instituti simul concurrentes.*

SINGVLARE CCCXXX.

1 FIlius acceptando testamentum patris sibi non præiudicat quoad supplementum legitimæ, ita vt illud petere non possit, quia non excluditur à dicto supplemento nisi specialiter eidem renunciauerit, ad textum in *l. Si quando §. generaliter Cod.*
2 *de inoff. test.* vbi DD. communiter; iam enim suppletio legitimæ in filio statim mortuo patre dicitur facta ipso iure *l. om-*
3 *nimodo Cod. de inoff. test.* Quod autem per approbationem testamenti supplementi renunciatio non veniat, firmant *Bal. Cin. Abbas Buttrig. Ang. Ias. & alij plures relati per Vasq. in l. Quoniam in prioribus Cod. de inoff. test. nu.* 534. *&* 541. *nec non Anchar. Ruin. Dec. Paris & Rol. à Val. relati per Mantic. de coniect. vlt. vol. lib.* 7. *tit.* 8. *num.* 8, vbi ad mentem *Signor. cons.* 80. *num.* 4. *&* 5. dicit, quod hoc procedit etiamsi filius approbasset cum iuramento testamentum
4 patris, & ad mentem *Curtij Sen. cons.* 75. *num.* 8. etiamsi vocasset se contentum de relictis in testamento paterno. & meritò, cum ad hoc requiratur specialis renunciatio ad dictum §. *Generaliter*, nec sufficiat prohibitio patris iubentis, quod filius deberet esse tacitus, & contentus ad *Castr. in dicta l. omnimodo in fine Cod. de inoff. test. & Merlin. de legitima lib.* 3. *tit.* 3. *quæst.* 5. *nu.* 2. vbi rationem etiam reddendo hanc veriorem sententiam dicit post *Crass. in §. le-*
5 *gitima quæst.* 32. *num.* 3. *& seq.* vbi de magis communi, immò ipse *Merlin. ibidem quæst.* 3. *num.* 5. hoc procedere affirmat etiamsi insimul prohibitio expressa testatoris, & approbatio expressa instituti concurrerent, & quidem renunciare legitimæ non est aliud, quam cedere alimentis, & sic quodammodo necare seipsum, contra omnia iura, etiam naturæ.

ARGVMENTVM.

DIminutio legatorum fieri debet prò rata, quando hæreditas totaliter non est soluendo, si aliter ex coniecturis mens testatoris non colligatur.

SVMMARIVM.

1 *LEgatis pluribus factis, si hæreditas non est totaliter soluendo, diminutio eorundem legatorum fit prò rata, si tamen aliter de mente testatoris non appareat, quia tunc diminutio non fit respectu legatarij ab ipso testante prædilecti.*
2 *Testatoris mens ex coniecturis indagari debet.*
3 *Diminutio non videtur facienda prò rata ex legato facto prò anima testatoris, quando hæreditas non est totaliter soluendo prò omnibus legatis; & quare nu. seq.*
4 *Testatoris anima omnibus rebus præferri debet.*

SINGVLARE CCCXXXI.

1 FActis pluribus legatis diuersarũ quantitatum, si hæreditas non est totaliter sol-

soluendo, diminutio eorundem legatorum fieri debet prò rata *l. Si verò composita* §. 1. *ff. de milit. test.* cum alijs deductis per *Vinc. de Franch. dec.* 236. *in princ.* si tamen aliter de mente testatoris non appareat, quia tunc diminutio non fit respectu lega-
2 tarij ab ipso testatore prædilecti, vt in eadem *decis. num.* 11. & quæ mens coniecturis indagari debet, ad *Mantic. toto opere de coniect. vlt. vol.* & sicuti in eadem *decis.* ex
3 diuersis indagatur, & potissimum exem-
4 plum dici posset illud, quod respiceret salutem animæ testatoris, quæ omnibus rebus debet præferri, ad *Cap. cum infirmitas de pœnit. & remiss.* & ad alia, quæ congerit ipse *Mantic. vbi suprà lib.* 10. *tit.* 7. *nu.* 9.

ARGVMENTVM.

FIliæ propter masculos à statuto exclusæ nec partem, nec numerum faciunt ad commodum masculorum in legitima, si sint dotatæ, vel, mandante ipso statuto, dotandæ.

SVMMARIVM.

1 *LEgitima in materia regula est, quod qui non facit partem alijs, nec etiam illorum numerum auget de quatuor ad quinque.*

2 *Legitimæ loco dos succedit; & quare; sed vide num. seqq.*

3 *Legitimæ loco dos succedere non videtur, quando filia simpliciter propter masculos à statuto excluditur, & postea dotari mandatur; sed contra.*

SINGVLARE CCCXXXII.

1 IN materia legitimæ regula est, quod qui non facit partem alijs, is nec etiam illorum numerum auget de quatuor ad quinque, ad *Peregr. de fideicom. art.* 28. *num.* 2. & sic filia propter masculos à statuto exclusa, siue sit dotata, vel ad formam eiusdem statuti dotanda, partem non faciet, &
2 sic nec numerum augebit, cum dos loco legitimæ succedat, ex quo non tractetur de tota legitima tollenda, sed ad summum de ipsa minuenda, ad tradita per *Honded.*
3 *cons.* 63. *num.* 126. *& seqq.* Et quamuis *Rota*, vt habetur ex *decis. Ludouis.* 565. *& eius addit.* videatur amplexa distinctionem *Castrens. in l. Titio centum* §. *Titio genero* dicentis, quod quando statutum excludit simpliciter fœminas, & postea mandat eas dotari, dos non succedat loco legitimæ, sicuti quando illas excludit cum qualitate dotationis, tamen etiam in primo casu legitima non tollitur totaliter, quia statim subditur, quod dotentur, & sic exclusio totalis est solùm in verbis, & non in substantia, vnde decisio 959. *Seraph.* in dictis additionibus *Ludouis.* allegata dicit expressè, quod si statutum mandat indotatas dotari, censetur subrogare dotem loco legitimę, etiam ad mentem *Castrensis*.

ARGVMENTVM.

REgulariter est prohibita sequestratio bonorum; sed non videtur quare ex identitate, vel maioritate rationis non sit danda vltra casus in iure expressos.

SVMMARIVM.

1 *SEquestratio bonorum regulariter est prohibita, licèt concedatur in aliquibus casibus in iure expressis.*

2 *Sequestratio videtur concedenda, si dubitatur cuius res sit, petentis scilicet, vel possidentis, & extet præsumptio, quod potius sit petentis, & quare, etiam num. seq.*

3 *Rationis identitate, vel maioritate lex extendi valet, cum tali casu lex non extendatur, sed interpretetur.*

SINGVLARE CCCXXXIII.

1 REgulariter sequestratio est prohibita, licèt concedatur in aliquibus casibus in iure expressis, & de quibus in *Gloss. leg. vnica Cod. de prohib. seq. pec. & cap.* 2. *de sequestr. bonor. & fructuum*, & ex his, alijsque ita pluries dixit *Rota*, & signanter coram *Eminentiss. Caualerio decis.* 324. *in*
2 *princ.* Quotiescumque tamen dubitaretur cuius res esset, & præsumptio militaret, quod potius petenti, quam possidenti spectaret, vt dicitur de rebus illius, qui in libertatem proclamat *l.* 3. *Cod. qui ad libert. proclam. non licet cum similibus*, vtique & seque-

questrum dari posse videtur, cum ratio dubij, quæ facit dari sequestrum in casu domini, & illius, qui in libertatem proclamat, ad *Glossam in dicta l. vnica de prohib. seq. pec.* possit militare etiam fortius in alijs ca-
3 sibus, & inter alias personas, & lex ex identitate, ne dum ex maioritate rationis extendi valeat, ex quo propriè tali casu iura non extendantur, sed interpretentur, vt dixit *Rota coram eodem Eminentissimo Caualerio decisione 641. numero 4.*

ARGVMENTVM.

DEclarationes, & decreta Sacrarum Congregationum non sunt ad decisionem casuum similium, si non sunt approbatæ à Summo Pontifice.

SVMMARIVM.

1 *DEclarationes, & decreta Sacrarum Congregationum, vt sint decisiua casuum similium, debent esse approbata à Summo Pontifice.*

2 *Leges condere solius est Principis.*

3 *Absolutio ab excommunicatione incursa ob violatam immunitatem Ecclesiasticam in terminis Bullæ Gregorij XIV. est reseruata Sum. Pont.*

4 *Declarationes Sacrar. Congr. à Sanctissimo approbatæ obligant ad ita tenendum, & resoluendum in casibus similibus, cum sint decisiuæ, & non doctrinales.*

SINGVLARE CCCXXXIV.

1 DEclarationes, & decreta Sacrarum Congregationum, si non sunt approbata à Summo Pontifice, non valent allegari ad decisionem casuum similium,
2 quia aliter haberent vim legis, quam solus Princeps condere potest, *l. vlt. Cod. de legibus*, & frustratoria esset approbatio Papæ, quæ sæpè interuenit, & est exemplum
3 in declaratione, quod absolutio ab excommunicatione incursa ob violatam immunitatem Ecclesiasticam in terminis *Bullæ Gregorij XIV.* sit reseruata Summo Pontifici, quam refert *Barbosa de pot. Episc. parte 3. allegat. 50. num. 167.* & repetit in *Collect. Apostol. decis. sub verbis: Absoluere: Abso-*
4 *lutio: Absolutus, Collect. 9. num. 9.* Cum enim talis declaratio sit à Sanctissimo approbata, quicquid antea, disputato articulo, resolutum fuisset in contrarium in Curia Archiepisc. Neapol. vt tradit *Genuen. in praxi eiusdem Curiæ, cap. 17. num. 3. & 4.* censenda est decisiua, & non doctrinalis, ad ea, quæ latè notat *Diana resol. moral. parte 5. tract. 2. de pot. & priuil. S. R. E. Card. resol. 96.* Et sic cum illa est sentiendum tanquam obligante ad tradita per *Dianam, vbi suprà*; Et maximè propter decretum subsecutum *S. Cong. Immunitatis de Anno 1631.* quod facit hoc certum, vt dicit *Thesaur. de pœn. Eccles. parte 2. verbo Immunitas, cap. 1. vers. hæc autem excommunicatio*, relatus ab *Alphonso de Leone in communibus conclusionibus, de off. & pot. Confess. recollect. 4. litera E. versus finem*, vbi plura ad materiam congerit.

ARGVMENTVM.

REsolutiones Sacrarum Congregationum etsi non obligent ad earum obseruantiam, si non sunt authenticæ, obligare tamen videntur ad non decidendum contra, diligentia non præmissa, circa earum subsistentiam.

SVMMARIVM.

1 *REsolutiones Sacrar. Cong. vt obligent, debent esse authenticæ, & quomodo dicantur tales.*

2 *Doctorum qualitas est magna.*

SINGVLARE CCCXXXV.

1 QVamuis resolutiones Sacr. Cong. vt obligent, debeant esse authenticæ, signatæ scilicet manu Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij Congregationis, & solito sigillo munitæ, vt ex *Bullis Sixti V. Greg. XIII. & Vrbani VIII.* refert *Diana resol. mor. parte 5. de pot. & priuil. S. R. E. Card. Resol. 96.* tamen non est, quod relatæ à Doctoribus, non debeant saltem impedire, quod non facta prius diligentia de earum subsistentia, contra ipsas resoluatur. Est enim adeo verum, quod dictis

dictis Doctorum est deferendum, propter eorum qualitatem, quæ est magna, secun-
2 dum *Rotam in Recen. parte 2. dec. 36. num. 2.* ex textu in *l. Magistros C. de profes. & in c. quanto, de magistris*, quod vt eis non crederetur circa prædictas resolutiones, opus fuit declarationibus *dictarum Bullarum*; quæ cum disponant solùm, quod non obligent, si non sint authenticæ, non videtur sequi quod saltem præsumptionem non faciant, & quod iudicare debentem ad illarum subsistentiam indagandam, absque nota temeritatis, mouere non debeant, etiamsi non sint relatæ à Doctoribus, sed simpliciter impressæ, cum expressione tamen nominis impressoris, qui de licentia imprimendi rationem reddere tenetur.

ARGVMENTVM.

ACcessus, & regressus ad beneficia generaliter prohibiti à S. Conc. Trid. restringendi videntur ad casus, qui hæreditariæ successionis imaginem referunt.

SVMMARIVM.

1 *BEneficiali in materia, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sunt sacris constitutionibus odiosa.*

2 *Accessus, & regressus ad beneficia prohibiti à S. Conc. Trid. non videntur habere locum in casu, quo quis concurrit ad beneficium iam dimissum; & quare.*

3 *Beneficium hæreditario iure nec peti, nec obtineri valet.*

4 *Beneficia non possunt concedi à priuata persona, aut ab eadem retineri, sub prætextu, quod à parentibus fuerint fundata.*

5 *Beneficium non potest conferri filio (maxime spurio) Canonici in eadem Ecclesia seculari existentis.*

6 *Beneficium non potest conferri illi, cuius pater immediatè ante ipsum in eadem Ecclesia ministrauit.*

SINGVLARE CCCXXXVI.

1 ACcessus, & regressus ad beneficia generaliter prohibiti à *Sac. Conc. Trid. sess. 25. cap. 7. de reform.* locum non habere videntur in casibus, qui hæreditariæ successionis imaginem non referunt, & vt est quando quis concurrit ad beneficium iam dimissum, cum Sacrum Concilium inhærendo Sacris Canonibus declarauerit ibidem velle tollere ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, vti Sacris Constitutionibus odiosa, & ille qui con-
2 currit nullatenus talem imaginem præseferat, cum in concursu vocentur publicè omnes concurrere volentes, vt beneficium de-
3 tur magis idoneo, & sic non potest dici, quod talis concurrens velit tale beneficium sibi hæreditario iure vendicare, vel taliter postulare, vt in *C. Apostolica* 8. *qu.* 1. & vt
4 suspicari posset, si institueretur à priuata persona, aut quis se intruderet sub prætextu, quod à parentibus beneficium fuisset
5 institutum, vt in *C. Consuluit, de iure patron.* vel instituer tur filius (maximè spurius) Canonici in Ecclesia seculari existentis, vt in *C. Ad abolendum, dicto tit. de filijs presbi-*
6 *ter.* aut alterius beneficiati, qui in eadem Ecclesia ante ministrasset immediatè, vt in dicto *C. Ex transmissa, de fil. presbit.* Qui omnes textus sunt extra casum concursus, qui publicè declarat non ex imagine hæreditatis, sed ex veris meritis beneficium fore conferendum.

ARGVMENTVM.

SIcuti non est licita alienatio, aut transactio bonorum Ecclesiæ acquisitorum; ita non videtur licita acquirendorum, absque assensu Apostolico, si casus non esset valde dubius, & prò Ecclesia ferè desperatus.

SVMMARIVM.

1 *TRansactio bonorum Ecclesiasticorum acquisitorum fieri non potest absque assensu Apostolico.*

2 *Transactio dicitur vera alienatio.*

3 *Transactio bonorum Ecclesiasticorum acquirendorum est licita absque assensu Apostolico; sed vide num. seq. 7.*

4 *Repudiatio, seu remissio hæreditatis, legati, aut alterius rei Ecclesiasticæ nondum incorporatæ, est*

est licita absque assensu Apostolico; sed vide num. seq. 6.
5 *Prælatus in incorporandis Ecclesiæ præiudicare posse videtur.*
6 *Repudiatio, seù remissio hæreditatis, legati, aut alterius rei Ecclesiasticæ non est licita absque assensu Apostolico.*
7 *Transactio rerum Ecclesiasticarum nondum acquisitarum absque assensu Apostolico non videtur licita, & quare.*
8 *Acquirenda respectu Ecclesiæ dicuntur acquisita, & quare.*
9 *Possessio ipso iure, absque traditione, in Ecclesiam transfertur.*
10 *Dominium ipso iure Ecclesiæ acquiritur.*

SINGVLARE CCCXXXVII.

TRansactionem bonorum Ecclesiæ acquisitorum fieri non posse absque as-
1 sensu Apostolico tradit *Ric. in praxi rerum fori Eccles. parte* 1. *dec.* 46. *nu.* 1. & 2. Ex
2 quo transactio dicitur vera alienatio ad *Rotam coram Caputaquen. dec.* 106. & ad alia tradita per *ipsum Riccium*. E contrà autem licitam esse absque tali assensu transactio-
3 nem bonorum acquirendorum subdit *ipse num. seq.* præcipuè ex *Rolan. cons.* 15. *vol.* 1. qui latè materiam tractat. & benè si
4 consideretur quod strictius in terminis repudiationis, seù remissionis hæreditatis, legati, aut alterius rei Ecclesiasticæ nondum incorporatæ, idem volunt multi, quos congerit *Barbosa de off. & pot. Epis. parte* 3.
5 *alleg.* 95. *num.* 52. & 53. quasi quod in incorporandis possit Prælatus Ecclesiæ præiudicare ad *Ias. & Ripam in l. legatum ff. de leg.* 1. *& ad alios, quos ipse Barbosa citat*.
6 Verùm dissentit ipse *Barbos.* in puncto iuris sub *seq. nu.* 54. rationesque, & auctori-
7 tates adducit in contrarium. Vnde cautum non videtur absque tali assensu ad id procedere, si saltem non tractetur de transactione in re valde dubia, & quæ ipsius rei consecutionem impossibilem ferè suaderet, quia aliter idem præiudicium fieret Ecclesiæ in acquirendis, ac fit in acquisitis,
8 cum etiam acquirenda respectu Ecclesiæ acquisita dicantur, ex quo ipso iure in Ec-
9 clesiam transeunt, & absque traditione possessio in ipsam transfertur, vt dicit idem
10 *Barb. ex l. fin. C. de Sacros. Eccles.* Dominiumque Ecclesiæ ipso iure acquiritur, ad trad. per *Menoch. de arbitr. casu* 256. *num.* 28. & 29. & per *Honded. Cons.* 26. *nu.* 18. *& seq. vol.* 1. vbi testatur de magis communi opinione.

ARGVMENTVM.

PRohibita alienatio bonorum Ecclesiasticorum est intelligenda & de iuribus, & actionibus.

SVMMARIVM.

1 *COrrectoria iuris communis strictè sunt intelligenda.*
2 *Alienatione bonorum Ecclesiasticorum, de qua in extrauaganti Pauli II. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan. veniunt & iura, & actiones, ac annui redditus; & quare.*
3 *Extensio ex certitudine identitatis rationis est licita etiam in materia correctoria iuris communis.*

SINGVLARE CCCXXXVIII.

1 ALienatio bonorum Ecclesiasticorum prohibita ab *extrauagante Pauli II. Ambitiosæ, de rebus Eccles. non alien.* tanquam correctoria iuris communis, videtur strictè intelligenda, ad tradita per *Rotam in*
2 *Recens. parte* 1. *decis.* 674. *num.* 2. Verùm nomine bonorum in terminis eiusdem *extrauag.* venire etiam annuos redditus, ac iura, & actiones tradit ex pluribus *Barbosa de pot. Episc. parte* 3. *alleg.* 95. *nu.* 45. & 46. Et quidem rectè, cum præseruatio Ecclesię à læsione, quæ fuit causa dictæ extrauagantis, tam in bonis, quam in iuribus, & actionibus, ac in annuis redditibus consi-
3 derari valeat; & sic ex certitudine identitatis rationis, etiam in materia correctoria iuris communis, sit licita extensio, ad ea quæ à contrario sensu notat *Mantica de coniect. vlt. vol. lib.* 9. *tit.* 8. *num.* 25. & 26.

ARGVMENTVM.

BOna Ecclesiastica, quæ alienari non possunt, dicuntur illa, quæ sunt alicuius Ecclesiæ, vel pij loci, non au-

tem illa, quæ sunt relicta ad erogandum pauperibus, & pijs vsibus in genere.

SVMMARIVM.

1 *Bona Ecclesiastica, quæ alienari non possunt, dicuntur illa, quæ sunt alicuius Ecclesiæ, vel pij loci, aut illa, ad quæ aliqua Ecclesia, vel aliquis pius locus actionem habet.*

2 *Alienatione bonorum Ecclesiasticorum non comprehenduntur bona legata ad erogandum pauperibus, & pijs vsibus; & quare vide etiam num. seq.*

3 *Bona relicta in genere pauperibus, vel pijs vsibus non dicuntur bona Ecclesiastica ad effectum ne possint alienari absque solemnitatibus; & quare vide etiam num. anteced.*

SINGVLARE CCCXXXIX.

Prohibita alienatione bonorum Ecclesiasticorum, non censetur prohibita alie-
1 natio bonorum legatorum ad erogandum pauperibus, & pijs vsibus in genere, quia ista non sunt bona Ecclesiastica, nec aliqua Ecclesia, aut pius locus, potest dici, quod habeat actionem ad illa, quod sufficeret, vt possent dici Ecclesiastica, ad effectum ne possent absque solemnitatibus alienari, ad
2 tradita in *singulari anteced.* Vnde *Redoan. de reb. Eccles. non alienan, Rubr. de casib. in quibus fit alien. rer. Eccles. sine solemn. cap. Videtur etiam, quod alio casu.* Dicit, quod in vendendis rebus legatis ad erogandum pauperibus, vel pijs vsibus, non est seruanda forma Canonis, quia non sunt bona Ecclesiastica. Pauperes enim in genere, & pij vsus non veniunt sub nomine Ecclesiæ, vel pij loci, vt obseruat idem *Redoan. in rubr. antec. An in materia alien. Eccles. appel. Eccles. veniant pia loca, num. 12.* Re-
3 licta enim pauperibus in genere vtique bona Ecclesiastica, vt obseruat ipse, dici non possent, quia non sunt Ecclesiæ, vel alicuius pij loci.

ARGVMENTVM.

Locus pius propriè dicitur ille, qui est erectus auctoritate Episcopi.

SVMMARIVM.

1 *Locus pius propriè dicitur ille, qui auctoritate Episcopi est erectus.*

2 *Piæ domus priuilegia non habet locus ille, qui auctoritate Episcopi non est erectus, & quare num. seq.*

3 *Donatio facta absenti, etiam si facta sit Ecclesiæ, non valet, si aliquis non acceptet.*

4 *Alienationem bonorum loci pij auctoritate Episcopi non fundati fieri posse suadetur absque solemnitatibus Extrauag. Ambitiosæ, de bon. Eccles. non alien. & nu. 6. expresse traditur.*

5 *Pius locus absque auctoritate Episcopi non datur nec in terminis extrauag. Ambitiosæ, de bonis Eccles. non alienan.*

6 *Alienatio bonorum loci pij auctoritate Episcopi non erecti fieri potest absque solemnitatibus.*

SINGVLARE CCCXL.

1 Locus pius propriè dicitur ille, qui auctoritate Episcopi est fundatus, ad ea, quæ tradit *Redoan. de reb. Eccl. non alien. Rubr. an in mat. alien. Eccles. appell. Eccles. loca pia veniant, nu. 5.* præcipuè *ex Bal. in Authen. hoc ius, Cod. de Sacros. Eccles. Vers.*
2 *hic quæro*, vbi dicit, quod locus talis non habet priuilegium piæ domus, quia non
3 est auctoritate Episcopi constructus. Et quidem rectè, si consideretur præcipuè, quod donatio facta absenti, etiam si facta sit Ecclesiæ, non valet, si aliquis non acceptet; ad tradita per *Clarum etiam de communi approbatione Doctorum in §. Donatio quæst. 12. num. 6.* & prout acceptare videtur Episcopus, dum consentit erectioni loci pij, & auctoritatem suam interponit. Et
4 hoc est adeo verum, quod alienatio bonorum loci pij auctoritate Episcopi non fundati fieri potest absque solemnitatibus *Extrauagantis Ambitiosæ de bonis Eccles. non*
5 *alienan.* cum in effectu locus talis non sit verè pius, & religiosus, stante deficientia auctoritatis Episcopalis in eius erectione. Quod enim talis auctoritas requiratur, limitando regulam in terminis dictæ *Extrauagantis Pauli II.* tradit *Ricc. in Collect. decis. parte 6. Collect. 2164. in princ.* Et quod
6 deficiente tali auctoritate alienatio bonorum fieri possit absque solemnitatibus, expressè,

presse, & latè tradit idem *Redoan. antced. Rubr. de his, qui consentiunt alienat. Eccles. cap. Sed quid de bonis, praecipuè in fine.*

ARGVMENTVM.

Beneficia de iure communi possunt acceptari animo permutandi, & renunciandi etiam cum pensione.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium acceptans animo non permanendi in illo, sed retinendi donec pinguius obtineat, aut cum alio permutet, aut renunciet cum pensione, quicquid aliqui dicant, non peccat, & quare.*

2 *Beneficium acceptari potest etiam prò vno die, modò intendatur facere in illo die id, quod fieri debet.*

3 *Beneficia petentes in Vrbe iurare tenentur velle illa retinere, & excommunicantur illi, qui, animo resignandi alijs, beneficia petunt, & procurant, si non intendant id facere in manibus Superioris, vt exinde aliter prouideantur, vel aliqua pensio super beneficio resignato illis reseruetur; & quare.*

SINGVLARE CCCXLI.

1 Beneficium acceptans animo non permanendi in illo, sed retinendi donec pinguius obtineat, aut cum alio permutet; aut renunciet, pensione reseruata, quicquid aliqui dicant, non peccat secundum *Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 45. num. 12.* praecipuè ex *Nauar. lib. 3. conf. in p. edit. de praeben. conf. 24. num. 2.* Sed vt ego inueni, *dicto lib. 3. conf. 16. de Cleric. non residen. num. 2.* vidCendo, cum asserat nullam inor-
2 dinationem posse considerari, etiamsi acceptans beneficium proponeret illud tantum vno die retinere, modò intenderet facere illo die id, quod facere teneretur, & prout dicit & idem *Sanchez*, qui respondet etiam ad contraria.

3 Verùm cum in calce dicti *Consilij Nauarri* annotetur, quod praedicta non videntur firma, eo quia Romae exigitur iuramentum à petentibus Beneficia, quod velint illa retinere; & eo quod extat *Constit. Pauli IV. incipiens: Inter caeteras*, qua anathematis mucrone feriuntur illi, qui animo resignandi alijs beneficia procurant; à dictis *Nauar. & Sanchez* est cauendum, saltem quoad illos, qui beneficia impetrant in Vrbe, de quibus solùm videtur dicta *Constit.* intelligenda: Item respectu illorum, qui petunt, & procurant, vt eadem *Constit.* loquitur; & tandem quoad illos, qui habent animum resignandi alijs sibi visis, cum illi, qui haberent animum resignandi in manibus Superioris, vt exinde aliter prouiderentur, vel aliqua pensio super beneficio resignato ipsis reseruaretur, non videantur comprehensi in dicta *Constitut.* quae solùm intendit occurrere fraudibus, & facere quod beneficia idoneis conferantur, quae ratio cessat, si factum interueniat Superioris, qui circa idoneitatem sibi satisfacere potest.

ARGVMENTVM.

Episcopus obtinenti, vel obtenturo Beneficium in sua Dioecesi potest ordines conferre, non autem primam tonsuram.

SVMMARIVM.

1 *Ordines conferri possunt vel ratione originis, vel ratione domicilij, vel ratione beneficij.*

2 *Ordinari quis non potest ratione Beneficij, si illud verè non habet, & possidet; sed contra num. seq.*

3 *Beneficium certè quaerendum sufficiens videtur ad ordines suscipiendos; & quare.*

4 *Tonsura non potest quis initiari ab Episcopo sola beneficij ratione; & quare.*

5 *Tonsura capacitatem dat ad beneficia obtinenda.*

6 *Beneficium facit Beneficiatum subiectum Episcopo Dioecesis, in qua situm est.*

7 *Tonsura non potest initiari non subditus ratione beneficij, quo subditus fieri debet.*

SINGVLARE CCCXLII.

1 Episcopum posse ordines conferre vel ratione originis, vel ratione domicilij, vel tandem ratione Beneficij, tradunt passim Doctores, quos latè cumulat *Barbosa*

bosa de pot. Episc. parte 2. allegat. 4. per to-
2 *tam.* Et quidquid dicat idem *Barbosa* cum pluribus Doctoribus, quos citat in *seq. allegat. 19. num.* 28. ad ostendendum, quod Beneficium per ordinandum debet esse verè habitum, & possessum ad præscriptum
3 *S. Conc. Trid. sess. 21. cap. 2. de reform.* Tamen in contrarium sentiendum videtur cum paucioribus, quos refert tenentes sufficere Beneficium certè quærendum, puta ad quod quis fuit præsentatus, nominatus, vel postulatus, cum ratio dispositionis eiusdem Sacri Conc. respectu ordinum maiorum, de quibus intelligitur, sit, ne ordinati cogantur mendicare, aut aliquem quæstum sordidum exercere, quod cessat ne dum in Beneficium ad victum sufficiens obtinente, sed & in certè de proximè obtenturo.

Benè verum est, quod hoc non procedit nisi in ordinibus maioribus, & minori-
4 bus. Nam ad primam tonsuram obtinendam ab Episcopo Diœcesano beneficij nihil valet Beneficium, cum hoc absque pri-
5 ma tonsura obtineri non possit, eo quia ex prima tonsura capaces ad Beneficia reddimur, vt obseruat *Barbosa, vbi supra Alleg.* 10. *num.* 8. & prima tonsura tali casu de-
6 beret supponere Beneficium, quo quis fieret subditus tali Episcopo *cap. cum nullus*
7 *de tempor. ordinat. in 6.* quod fieri non potest, vt dicit *Sanchez lib. 7. conf. Moral. cap. 3. dubit.* 23. in hæc verba, vid, *Nota, non sat esse beneficium proximè habendum, vt possit ratione illius quis ordinari ab Episcopo, de cuius Diœcesi non est, V. G. quidam, qui est de Diœcesi Cordubensi, non est prima tonsura initiatus: præsentatur à Patrono ad Cappellaniam quandam Granatæ existētem, & ad eam obtinendam vult prima tonsura initiari ab Archiepiscopo Granatensi; nullatenus posse assero, quia cum ratione beneficij, fiat incola, non est talis, dum beneficium non habet.*

ARGVMENTVM.

IVdex Ecclesiasticus est Iudex competens bonorum Ecclesiasticorum.

SVMMARIVM.

1 *IVdex Ecclesiasticus est Iudex competens bonorum Ecclesiasticorum; sed contra, & non videtur quare, num. seq.*
2 *Ecclesiasticorum bonorum Iudex competens est Iudex laicus; sed contrà num. seq. & anteced.*
3 *Bonorum Ecclesiasticorum lis ad Iudicem laicum spectat, si bona negetur esse Ecclesiastica, & probabilis sit talis negatio.*
4 *Iudicem laicum, & non Ecclesiasticum, esse Iudicem competentem bonorum Ecclesiasticorum contra laicum, est alienum à iure, & à recta conscientia.*

SINGVLARE CCCXLIII.

BOnorum Ecclesiasticorum Iudicem Ecclesiasticum esse Iudicem competentem,
1 latè deducit, & firmat *Bellet. disq. Cleric. parte prima, tit. de fau. Cler. real.* §. 5. *num.* 2. *& seqq.* & cum id præcipue faciat ex *c. si*
2 *Clericus laicum, de foro competen.* miror, quod post alios contrarium, maximè ex eodem *c.* deducat *Ansal. de Iurisdict. Eccles. parte 2. tit. 11. cap. 32. à num. 45. ad finem*; quasi quod, vt registrat ipse, dictus
3 textus sit clarus, & rotundus ad fundandam suam intentionem, cum tamen nil aliud dicatur in eodem textu, quam quod si negetur rem esse Ecclesiæ, lis ad Iudicem laicum spectet; immò habeatur, quod ad hoc non sufficiat simplex negatio, sed requiratur, quod eadem negatiua sit saltem probabilis, vt aliàs ad eundem textum ponderaui supra *sing. 161. num. 6.*
4 Quam autem sit alienum à iure, & à recta conscientia dicere, quod respectu bonorum Ecclesiasticorum, & de quorum Ecclesiastica qualitate non dubitatur, sit Iudex competens contra laicum Iudex laicus, & non Ecclesiasticus, clare patet in Magistrali *decisione Rotæ sub die 28. Maij 1631. in Rauennaten. Emphytensis coram Merlino, & qua in tomo decis. Rubei ab anno 1631. ad annum 1634. est dec. 42.*

ARGVMENTVM.

LEgatum factum pauperibus exequi debet ordine charitatis, quæ incipit à nobis, descendit ad nostros, transit ad vicinos, & postea ad extraneos.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *CHaritas ordinata incipit à se, & suis.*
2 *Charitatis ordo suggerit, vt prius nostris, quam extraneis subueniamus.*
3 *Eleemosyna prius est danda propinquis, quam extraneis.*
4 *Pauperibus concurrentibus ad legatum, præferuntur alijs, ex præsumpta mente testatoris, agnati, & consanguinei, & deinde vicini.*
5 *Pauperibus bona sua distribuere volens suos præferre debet, cum qui suis, & maximè domesticis, non prouidet, fidem neget, & infideli deterior sit.*
6 *Testator illud videtur sensisse, quod prudens homo sentire debuit.*

SINGVLARE CCCXLIV.

1 CHaritas ordinata cum incipiat à se, & suis, *l. Præses C. de seruit. & aqua,*
2 *Menoch. de præsumpt. Præs.* 125. *num.* 13. & ipsius ordo suggerat, vt prius nostris, quā extraneis subueniamus *c. non satis* 86. *distinct. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib.* 8.
3 *tit.* 5. *num.* 17. ita vt eleemosyna prius sit danda propinquis, quam extraneis, per ea quæ notat *Glos. in c.* 1. *de coha. Cleric. & mul.*
4 & tradit *Afflictus decis.* 290. *nu.* 10. meritò fit, quod mens testatoris ad prædicta sit regulanda si testatoris agnati pauperes concurrant cum alijs pauperibus ad aliquod legatum, vt notat *Menoch. vbi suprà*, & de consanguineis tradit *Mantic. loco citato*, vbi & ad vicinos respectu aliorum extendit ex *Imol in l. Illa institutio nu.* 4. *Vers. intelligo*
5 *ff. de hæred. instit.* Vt enim dicit *S. August. in epist. ad Letum; si quis pauperibus bona sua distribuere vult, sui primum apud ipsum locum obtinere debent, cum qui suis, & maximè domesticis, non prouidet, vt ait Apost. fidem negauerit, & infideli deterior sit*; quod
6 non est præsumendum de testatore, qui illud videtur sensisse, quod prouidens homo sentire debuit, *l. Lucius* la seconda, *in fi. ff. de hæred. inst.* cum alijs, quæ deducit *Mant. vbi suprà lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 5.

ARGVMENTVM.

IMmunitas Ecclesiastica violatur per quamcumque extractionem, siue directam, siue indirectam, quæ fiat per vim expulsiuam, siue compulsiuam, aut ex dolo, vel etiam ex blanditijs, & promissionibus fictis, & non subsistentibus.

SVMMARIVM.

1 *EXtrahi non potest regulariter confugiens ad Ecclesiam, nec directè, nec indirectè, vt expulsiua, vel compulsiua.*
2 *Extrahi non potest dolo confugiens ad Ecclesiam.*
3 *Extrahi potest ab Ecclesia blanditijs qui confugit ad illam, & quare num. etiam seq.* 5. *sed intellige vt num. seq.* 6.
4 *Immunitati Ecclesiasticæ verius est non posse renunciari.*
5 *Immunitas Ecclesiastica non violatur, si quis blanditijs, & promissionibus extrahitur, & quare; sed intellige, vt nu. seq.*
6 *Extractus ab Ecclesia blanditijs, & promissionibus fictis, & non subsistentibus, non est benè extractus, & quare etiam nu. seq.*
7 *Dolus ex mendacio resultat.*
8 *Immunitati Ecclesiasticæ est restituendus qui dolo fuit extractus ab Ecclesia.*

SINGVLARE CCCXLV.

COnfugientem ad Ecclesiam nec directè, nec indirectè, neque per vim expulsi-
1 uam, aut compulsiuam extrahi posse tradit latè prò regula *Farinac. in Appendice de*
2 *Immun. Eccles. cap.* 19. *in princ.* & ampliando postea *sub num.* 301. firmat id neque fieri posse dolo; & deinde limitando *num.*
3 *seq.* blanditijs fieri posse subnectit, quasi quod tunc confugiens non possit dici extractus, sed potius sponte egrediens ex ta-
4 cita renunciatione immunitatis; Et quamuis ipse postea subdat *sub num.* 104. verius
5 esse talem renunciationem fieri non posse, tamen quod blanditijs, & promissionibus illectus tanquam spontè egrediens sit benè extractus, & immunitas non violetur, tradit de communi *Layman in Theol. moral. lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 13. *ex Nauar. cap.*
6 25. *num.* 21. Sed hac communi opinione retenta credo ego intelligendam de puris blanditijs, & promissionibus, & quidem veris, & subsistentibus, quæ animo illis obseruandi proferantur, & cum effectu obser-

seruentur, nam in fictis, & falsis vtique in-
7 teruenit mendacium,& ex mendacio resul-
tat dolus, *l. & eleganter §. fin. ff. de dolo, cum*
8 *ibi notatis*; quo dolo posito, sine dubio est vitiosa extractio, & debet fieri restitutio, vt benè explicat *Suarez de Relig. lib. 3. cap. 13. num. 17.* quem ad hoc citat & ipse *Layman vbi suprà*.

ARGVMENTVM.

Clericatus probatio coram Iudice Ecclesiastico fieri debet.

SVMMARIVM.

1 *Clericatus probatio coram Iudice Ecclesiastico fieri debet.*

2 *Clericatus coram Iudice laico dicitur probatus per simplicem tituli, seù litterarum ostensionem, ad hoc, vt debeat Clericus remitti, vel supersederi in eius causa, donec per Iudicem Ecclesiasticum fuerit plenè cognitum de clericatu, nec requiritur Fisci, aut partis citatio, cum talis ostensio non sit probatio, sed instructio.*

3 *Clericatus simplex ostensio facta Iudici laico per tituli, seù litterarum præsentationem, facit quod ipse Iudex sit excommunicatus, si non paret.*

4 *Ritus Magnæ Curiæ Vicariæ Neapolis quàm malè practicetur.*

SINGVLARE CCCXLVI.

1 Clericatus probatio fieri debet coram Iudice Ecclesiastico *cap. Si Iudex laicus de sent. excom. in 6.* & vt Iudex laicus te-
2 neatur prætensum Clericum Iudici Ecclesiastico remittere, vel in causa coram se introducta supersedere donec per Iudicem Ecclesiasticum super Clericatu fuerit pronunciatum, sufficit tituli, seù litterarum ostensio ad instructionem tantum, & ad inducendam scientiam Clericatus, absque eo quod Fiscus, vel pars aduersa citetur, cum talis actus non sit probatio, sed instructio, vt post *Bal* videndum in *l. si qua per calumniam Cod. de Episc. & Cler.* deducit *Franch. in dicto cap. si Iudex Laicus §. non sic, num. 4.* & nouissimè *Sperel. in suis decis. for. Ecclesi. parte 1. decis. 17.* etiam amplian-
3 do à *nu. 23. ad num. 28.* Prædicta enim ostensio sufficit ad faciendum, quod ipse Iudex Laicus sit excommunicatus, si non paret, vt præcipuè notat *Bal. vbi sup. nu. 4.*
4 *Vers. sed pone.* Et sic non video quomodo tuta conscientia possit practicari in Regno *Ritus Magnæ Cur. Vic. Neapolis, quem refert Carauita in suis Commentarijs super ijsdem Ritibus, Ritu 235.* qui, vt in ipsomet *Ritu* legitur, seruatur quamuis iura Canonica videantur aliquatenus refragari. Sufficere enim deberet illud, *aliquatenus*, quod talem *Ritum* practicantes fatentur, si ex prædictis, alijsque quæ passim Doctores deducunt, non conuincuntur. Vltra quod cum ex lectura eiusdemet *Ritus* apparcat, quod raro processus finitur, datur intelligi, quod *Ritus* ad præscriptum Iuris Canonici fuerat introductus, & quod per abusum postea fuerit introductum, quod causa super Clericatu formiter aliquando fieret.

ARGVMENTVM.

Laicus effectus Clericus respectu personæ iudicatur à Iudice Ecclesiastico de delicto commisso tempore, quo erat Laicus.

SVMMARIVM.

1 *Clericus effectus laicus iudicatur ab Episcopo de delicto commisso tempore Clericatus, & vide etiam nu. seq. 3.*

2 *Laicus effectus Clericus de delicto commisso tempore, quo erat laicus, iudicatur respectu personæ à Iudice Ecclesiastico, etiamsi in fraudem Fisci Clericus effectus esset; & quare.*

3 *Fraus est à lege permissa, quando quis suo iure vtitur.*

4 *Iudex Ecclesiasticus iudicat Laicum effectum Clericum quoad personam, etiamsi Clericatus sit assumptus post sententiam, & carcerationem; & quare.*

5 *Iudex Laicus est totaliter incapax iurisdictionis in Clericum, & nullatenus potest tangere personam Clerici.*

6 *Iudex Laicus de delicto Laici effecti Clerici potest cognoscere respectu bonorum, & sic punire in bonis, & pecunialiter.*

SIN-

SINGVLARE CCCXLVII.

1 ETsi Clericus effectus laicus iudicetur ab Episcopo de delicto commisso tempore Clericatus, *Vincen. de Franch. decis.* 417. *Caball. resol. crimin. casu* 147. *nu.* 9. *&* 10. *Clar. in pract. crimin. quæst.* 36. *nu.* 11. *vers. sed pone*, qui ita fuisse iudicatum
2 affirmat ex *Aufr. decis.* 377. Non tamen ita fit è contrario de laico effecto Clerico, qui respectu personæ de delicto commisso tempore, quo erat laicus, iudicatur à Iudice Ecclesiastico, vt post alios latè tradit *San. felic. tom.* 1. *decis. decis.* 2. *per totam*, etiamsi
3 in fraudem Fisci Clericus effectus fuerit, cum talis fraus sit à lege permissa, quando quis suo iure vtitur, vt notat idem *Sanfeli-*
4 *cius vbi suprà sub num.* 19. & etiamsi Clericatum post sententiam assumpsisset, & carceratus iam esset. Quamuis enim in his terminis sit controuersum ad quem Iudicem illum punire spectet, ad ea, quæ latè deducunt idem *de Franch. decis.* 384. *& Sanfeluc. dicta decis.* 2. omninò in tali materia videndi; tamen omnis amaritudo ces-
5 sat, si consideretur, quod Iudex laicus est incapax totaliter iurisdictionis in Clericum, vt notat *Carol. de Grass. de effect. Cleric. effectu* 1. *num.* 6. & nullatenus potest tangere personam Clerici *ex Canon. si quis suadente Diabolo* 17. *quæst.* 4. ad inductionem, quam facit *Barbosa in l. si quis postea-quam, num.* 233. *ff. de inoff. test.* quem ad
6 id citat & *Sanfelicius vbi sup. nu.* 24. quamuis possit de delicto laici effecti Clerici cognoscere respectu bonorum, & sic punire in bonis, & pecunialiter, ad trad. per *Ambr. de Immun. & libert. Eccles. cap.* 19. *num.* 15.

ARGVMENTVM.

CLericus beneficiatus incedens absque habitu, & tonsura gaudet priuilegio fori, non obstante Constitut. Sixti V. qua Clerici taliter incedentes ipso facto beneficijs priuantur, si saltem non adsit declaratio criminis non delationis habitus, vel si facta etiam dicta declaratione talis clericus adhuc beneficium retinet.

SVMMARIVM.

1 *CLericus beneficiatus incedens absque habitu, & tonsura gaudet priuilegio fori, non obstante etiam Const. Sixti V. qua ipso facto beneficio priuatur.*

2 *Constitutio Sixti V. cum Sacrosanctam, de habitu, & tonsura, non videtur vsu recepta.*

3 *Declaratio requiritur ad executionem pœnæ ipso iure inflictæ, non obstante quod casus sit de notorio.*

4 *Clericus beneficiatus incedens absque habitu & tonsura etiam post declarationem amissionis beneficij ob non delationem habitus, adhuc fori priuilegio gaudere videtur, si beneficium retinet; & quare vide num. seq.*

5 *Fori priuilegio gaudet qui beneficium obtinet, quod non potest obtinere, puta quia illegitimus, vel irregularis.*

SINGVLARE CCCXLVIII.

CLericus beneficiatus incedens absque habitu, & tonsura gaudet priuilegio fo-
1 ri, vt latè firmat *Barbosa in Collect. ad Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 6. *nu.* 11. & id procedere, non obstante etiam *Const. Sixti V. Cum Sacrosanctam de habitu, & tonsura*, qua Clerici taliter incedentes ipso facto beneficijs priuantur, censuit *Sacra Congregatio relata per Nouar. in Summa Bullar. in tit. de habitu, & tons.* his verbis: *Sacra Congregatio censuit Clericum beneficiatum gaudere priuilegio fori, non obstante quod per Bullam Sixti V. sit priuatus beneficijs*, quod quam verum sit deducit latè *Capic. latro decis.* 73. & verissimum
2 est censendum, si consideretur, quod dato quod prædicta Constitutio sit in vsu, contra ea, quæ scripsit *Garzia de Benefic. parte*
3 7. *cap.* 1. *de Cler. & ord. num.* 24. tamen adhuc requiritur declaratio criminis non delationis habitus, cum declaratio requiratur ad executionem pœnæ ipso iure inflictæ, vt ad mentem omnium dixit *Rota in vna Notariatus* 14. *Octobris* 1583. *coram Cantuc.* & quæ legitur in *lib.* 1. *cons. crminal. Farin. cons.* 5. *num.* 24. non obstante quod casus esset de notorio, ad ea quæ tradit *Gabr. in suis Concl. de crim. concl.* 12. *nu.*
4 3. *&* 4. & vlterius etiam, dicta declaratione facta fori priuilegio Clericus priuatus non videtur censendus, si adhuc beneficium retinet,

5 tinet, ad instar illius, qui obtinet beneficium, quod non potest obtinere, puta quia illegitimus, vel irregularis, & tamen priuilegio fori gaudet, si in possessione beneficij reperitur, ad tradita per *Barbos. vbi suprà num.* 13. & per *Thom. del Bene, de Immunit. & Iurisd. Eccles. parte* 1. *cap.* 4. *dub.* 6.

ARGVMENTVM.

CLericus etiam in minoribus ordinibus constitutus exercens officium Iudicis, seù Principis laici non perdit beneficium fori, etiamsi in eodem officio delinquat.

SVMMARIVM.

1 *Fori priuilegium non amittit Clericus exercens officium Iudicis, seu Principis laici, etiamsi in eodem officio delinquat.*

2 *Sacerdotes, & Clerici non possunt esse ministri, & procuratores laicorum.*

3 *Fori priuilegio non priuatur Clericus exercens officium Iudicis, seù Principis laici absque trina monitione de desistendo à tali officio, & tali monitione praecedenti, illud non amittit nisi quoad ea, quae respectu officij commisisset.*

4 *Fori priuilegio non potiuntur Clerici in minoribus constituti, si non sunt beneficiati, vel si habitum, & tonsuram non deferunt, & Ecclesiae actualiter, vel de praesenti non inseruiunt.*

SINGVLARE CCCXLIX.

CLericum, etiam in minoribus ordinibus constitutum exercentem officium Iu-
1 dicis, seù Principis laici, non amittere priuilegium fori, etiamsi in eodem officio deliquerit, tradit de communi *Iul. Clar.* §. *fin. Pract. crim. quaest.* 36. *Vers. Quaero pone*, quem disputans articulum secutus est *Carol. de Gras. de effect. Cleric. eff.* 1. *num.* 850. *& seqq.* Quamuis enim ex dispositione *cap. Clericis, tit. ne Clerici, vel Monachi*, id sit prohibitum Sacerdotibus, non inde sequitur, quod sit prohibitum Clericis; si enim id etiam ipsis prohiberi intentum fuisset, nominatim tanquam non tam astrictis Ecclesiae, sicuti Sacerdotes, eis iniunctum ex-
2 titisset, & pròut suprà *eodem tit. cap. Sacerdotibus* factum fuit, quando prohibitum fuit & Sacerdotibus, & Clericis, quod mi-
3 nistri, & procuratores laicorum essent. Vltra quod non sequitur, quod ex quo id facere est prohibitum, ideo amissio priuilegij fori incurratur, cum textus in dicto *cap. Clericis*, procedat ipse ad poenam excommunicationis praecedente monitione, quae trina praecedere deberet, vt Clericus dicto priuilegio priuatus haberi posset, ad ea, quae opiniones conciliando subdit *Carol. de Gras. vbi suprà num.* 853. limitans etiam, vt id intelligeretur solùm circà ea, quae respectu officij commisisset, & non circa alia, circà quae dictum priuilegium sibi saluum esset.

4 Quia tamen tales Clerici Magistratus seculares agentes Ecclesiae seruire non solent, est animaduertendum, quod ex hoc dicto priuilegio possunt dici destituti, cum ex dispositione *S. Conc. Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 6. Clerici in minoribus, si non sunt beneficiati, dicto priuilegio non potiantur, si habitum, & tonsuram non deferunt, & Ecclesiae actualiter, vel de praesenti non inseruiunt, ad ea, quae notat *Barbos. in Collectan. ad dictum locum Sacr. Conc. verbo, Inseruiat.*

ARGVMENTVM.

CLericus coniugatus etiam in merè ciuilibus priuilegio fori gaudere videtur.

SVMMARIVM.

1 *Fori priuilegio gaudere, vel non gaudere Clericum coniugatum in merè ciuilibus, est valde controuersum; sed vide num. seqq.*

2 *Clericus coniugatus etiam in merè ciuilibus priuilegio fori gaudet; sed vide num. anteced. & seqq.*

3 *Clerico coniugato non videtur competere priuilegium fori, nisi prò criminalibus, & prò annexis, & dependentibus ab ipsis; sed tutius videtur, quod competat & prò merè ciuilibus, vt seq. num.* 5.

4 *Clericus coniugatus in causis merè ciuilibus non potest à Iudice laico in carcerem conijci, aut personaliter distringi.*

5 *Fori*

5 *Fori priuilegium competere Clerico coniugato etiam prò merè ciuilibus, quare tutius videtur.*
6 *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
7 *Exceptio debet esse de regula.*
8 *Clerici coniugati de consuetudine gaudent in Regno Neapolitano priuilegio fori etiam in ciuilibus.*

SINGVLARE CCCL.

1 CLericum coniugatum gaudere, vel non gaudere priuilegio fori in ciuilibus pendebat iam ex longa, & confusa altercatione Doctorum, vt dicit *Carol. de Graf. de effect. cler. eff.* 1. *num.* 81. qui talem altercationem postea sublatam subdit ex dispositione *Sacr. Conc. Trid. cap.* 6. *de re-*
2 *form. sess.* 23. vbi supponit S. Concilium loqui indistinctè, & proinde concludi, quod tale priuilegium competat Clerico
3 coniugato etiam in ciuilibus. Verùm cum *textus in dicto cap.* 6. nil aliud dicat de Clericis coniugatis, nisi quod circa ipsos seruetur Constitutio *Bonifacij VIII. in cap. vnico de Cleric. coniugatis in* 6. quæ prædictæ altercationi occasionem dedit ex eo, quod non videtur loqui nisi de priuilegio in criminalibus, & de annexis, & dependentibus à criminalitate, dictum *Caroli de Graf.* non videtur subsistere, & per consequens adhuc Doctorum controuersiam durare suadetur, attento maximè quod *Barbosa in Collectan. ad eundem cap. num.* 42. *& seqq.*
4 illam refert. Quamuis tamen ipse *Barbosa* ex nonnullis etiam resolutionibus Sacrarum Congreg. resideat cum opinione illorum, qui tenent talem Clericum non gaudere in merè ciuilibus, sed solùm illi saluū
5 esse, quod à Iudice laico in talibus causis ciuilibus non possit in carcerem conijci, aut personaliter distringi, ad decisa per *S. Congreg. Episc. & Regul. sub die* 10. *Fe-*
5 *bruarij* 1618. non videtur propterea, quod opinio contraria non sit tutior, cum videatur indubitatum, quod *Summus Pontifex Bonifacius*, qui concessit exprefsè priuilegium prò criminalibus, quæ respiciunt causam publicam, quæ est fortior, tacitè non intellexerit illud concedere & prò ciuilibus, quæ causam priuatam, & sic minus fauorabilem inuoluunt.

Nec valet dicere, quod idem *Bonifacius* expressè dixerit, quod prò excessibus à Clericis coniugatis commissis non possint nec criminaliter, nec ciuiliter ad iudicium seculare trahi, & sic quod excipiendo ca-
6 sum ciuilem à criminali dependentem voluerit firmare regulam in contrarium, ad *l. Quæsitum §. Inde Neratius ff. de fundo instr. cum similibus*, quia id procederet, si
7 exceptus fuisset casus purè ciuilis, cum ex-
8 ceptio debeat esse de terminis eius quod limitat ad notata *in l.* 1. *de Reg. iur.* & sic merito in Regno Neapolitano, vbi tales Clerici vigent, extat consuetudo, quod etiam in ciuilibus gaudeant, vt dixit *Sacra Congr. Immun.* 27. *Febr.* 1630. relata per *Barbosam, vbi suprà.*

ARGVMENTVM.

PRælatus, qui potest excommunicare, censuris vti valet prò defensione suorum bonorum, & iurium, nec non propriæ personæ, & familiarium, tam iudicialiter, quam extraiudicialiter, ac de facto procedendo, vbique, & contra quoscumque; sed videtur intelligendum, quoties auctoritas ordinaria non suppetit.

SVMMARIVM.

1 *VIm vi repellere licet, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt sequenti numero vltimo.*
2 *Prælatus, qui valet excommunicare, potest vti censuris prò defensione suorum bonorum, & iurium, & prò tuitione propria persona, & familiarium, ne dum iudicialiter, sed etiam extraiudicialiter, ac de facto procedendo, vbique, & contra quoscumque; sed videtur intelligendum, vt numeris seqq.*
3 *Iniuria, seù violentia facta Prælato, censetur facta Ecclesiæ.*
4 *Iniuria facta familiari censetur facta Prælato.*
5 *Ius sibi dicere regulariter nemini licet.*
6 *Moderamine solùm inculpatæ tutelæ vim vi repellere licet.*

SINGVLARE CCCLI.

1 DEfensionis gratia ex naturali axiomate, quo fertur vim vi repellere licere, posse Prælatum, qui valet excommunicare, vti censuris prò defensione suorum bonorum,& iurium,tam iudicialiter, quam extraiudicialiter,habetur in *c.Venerabilibus,*
2 *& c.Dilectus de sent. excom. in 6.* & quod ita de facto procedendo vbique id fieri possit, tam iudicialiter, quam extraiudicialiter, & contra quoscumque,ne dum prò defensione bonorum,& iurium,tam Ecclesiæ,quam propriorum, sed fortius prò tuitione propriæ personæ, late tradit *Ricciul. in tract. de Iure Person. extra Eccles. gremium existentium, cap. 61.* vbi & vtilitates, quæ ex tali modo procedendi extraiudicialiter resultant, recenset, & forsan posset materia extendi etiam ad defensionem familiarium ipsius Prælati, cum propria persona ideo
3 taliter possit defendi, vt dicit ipse *Ricciul. sub num. 30.* quia iniuria, vel violentia facta Prælato censetur facta Ecclesiæ, *cap. Nullus, de foro compet. cum similibus,* & iniu-
4 ria facta familiari pariter censetur facta Prælato, cum iniuria facta vni de familia censeatur facta ne dum capiti,sed omnibus de familia, ad *Bart. in l. lex Cornelia ff. de iniur. & alios,* quos citat *Ricc. decis. Cur. Archiep. Neapol. parte 2. decis. 134. num. 7.*

Verùm in tota prædicta materia esset cogitandum, quando Prælatus extraiudicialiter procedens in suo, vel in alieno territorio, maximè contra non subditos posset vti brachio sui Superioris, vel Ordinarij loci,contra violentiam, seù iniuriam iam illatam, quia non posset negari, quod prædictum axioma super quod textus prædicti
5 fundantur, non subsisteret, cum regulariter nemini liceat ius sibi dicere, *l. vnica Cod.*
6 *Ne quis in sua causa,* & vim vi repellere liceat, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad plures, quos citat *Carol. de Graff. de effect. Cleric. effectu 9. num. 239.*

ARGVMENTVM.

DOminij vtilis rei Ecclesiasticæ quæstio, etiam inter laicum,& laicum, coram Iudice Ecclesiastico est tractanda.

SVMMARIVM.

1 *DOminij vtilis rei Ecclesiasticæ quæstio coram Iudice laico videtur tractanda, etiamsi agatur ad solutionem Canonum, vel ad relaxationem rei ex causa caducitatis; sed contra, & quare etiam num. seq.*

2 *Emphytheusis Ecclesiastica quæstio, etiamsi sit de dominio vtili, & inter laicum, & laicum, coram Iudice Ecclesiastico tractari debet, & maximè, si Emphytheuta cum iuramento eidem Iudici se supposuit, foro laico renunciando.*

3 *Iuri suo vnusquisque renunciare valet.*

4 *Clericus foro renunciare non potest, & quare.*

SINGVLARE CCCLII.

1 DOminij vtilis quæstionem tanquam separati à dominio directo Emphytheusis Ecclesiasticæ coram Iudice laico esse tractandam, tradit *Hodierna in addit. ad decis. 1. Surdi, ex Claro in §. Emphytheusis quæst. 48. & ex alijs,* quos citat ad fiunmandum id procedere etiamsi ageretur ad solutionem Canonum, vel ad relaxationem
2 rei ex causa caducitatis; sed quantum hoc dicere sit alienum à iure, & à recta conscientia, tradit post alios *Diana parte 4. resol. moral. tract. 1. de Immun. Eccles. resol. 7. per totam,* & hoc præcipuè ex *Sacra Rota Rom. coram Merlino sub die 28. Maij 1631.* quam decisionem vti magistralem, & menti tenendam registrat & ipse *Diana in fine eiusdem partis 4. fol. penult. & vltimo.*

Et quidem, etsi quoad dominium vtile omnino separatum, & independens à directo aliquid posset dici prò opinione *Hodierna*, per ea quæ ego notaui supra in *Sing. 147.* & quæ restringi debent ad quæstionem, quæ inter laicum, & laicum tractaretur de dominio vtili, seù potius de possessione rei Ecclesiasticæ, vtique non potest trahi ad casum, in quo directus Dominus ageret, vt suprà, ad Canones, vel ad rei vendicationem ex caducitate, cum id sit ad substentationem dominij directi, & non agatur de dominio vtili, nisi quatenus famulari debeat directo, alias sequeretur, quod de re Ecclesiastica in Emphytheusim concessa nunquam agendum esset coram Iudice Ecclesiastico, coram quo semper agi debet tanquam coram Iudice digno-

dignioris saltem partis, scilicet dominij directi, quod trahit ad se vtile, vt obseruatur in dicta *decis. sub vers. Idque procedit, etiamsi tractaretur de dominio vtili inter laicum, & laicum*, & maximè, si Emphytheuta, vt fieri solet, renunciasset foro laico cum iuramento, & Iudici Ecclesiastico se supposuisset, renunciando sic iuri, quod sibi com-
3 petere posset, ex regula, quod iuri suo quisque renunciare valet, *l. si quis in conscribendo Cod. de pact. cap. si diligenti, de foro compet.* quæ iura sunt in terminis renun-
4 ciationis fori; etsi non procedunt respectu Clerici, est quia tale ius, seù beneficium non est ipsius, sed totius Collegij Ecclesiastici, vt legitur in dicto *cap. si diligenti*, & notant communiter Doctores.

ARGVMENTVM.

EXcommunicatio absque citatione non tenet, nisi in casu notorio, & in quo nihil opponi potest.

SVMMARIVM.

1 *EXcommunicatus quis declarari non potest absque citatione, nisi in casu notorij excessus, & in quo certum sit aliquam iustam excusationem non competere.*
2 *Citatio omitti potest in casu, in quo opponi non valet.*
3 *Excommunicationis in causa tutius est citare, immò necessarium, si non sit certum, quod opponi non possit.*

SINGVLARE CCCLIII.

1 EXcommunicatus declarari non potest quis absque citatione nisi in casu notorij excessus, & in quo certum est aliquam iustam excusationem eidem competere non posse, ad tradita per *Genuensem in Praxi Archiep. Neapol. cap. 23. num. 16.* & hæc duo copulatiuè concurrere debent, cum notorietas excessus respiciat actum fisicum, & carentia excusationis actum moralem, seù malitiam operis. Quamuis enim *cap. Peruenit* il primo, *de Appell.* quod deducit ipse *Genuensis* prò fundanda declaratione excommunicationis absque citatione, videatur respicere solùm dictum actum fisicum, cum sit in casu publicæ percussionis Clericorum, & non moralem, cum in tali percussione possit competere aliqua excusatio, puta necessariæ defensionis, & similium; tamen cum sit in gradu appellationis videtur respicere & actum moralem, cum ea, quæ opponi poterant, possint præsumi opposita in prima instantia, in qua appellans supponitur citatus, & auditus. Quotiescumque autem certum non est, quod aliquid excommunicandus oppone-
2 re non possit, quo casu citatio omitti potest, ad tradita per *Gabr. de citat. concl. 1.*
3 *num. 332.* vtique ne dum tutior, vt subdit *Genuen. vbi suprà*, sed necessaria videtur citatio.

ARGVMENTVM.

ABsolutus ab vna excommunicatione, eiusdem absolutionis beneficio non gaudet, nisi fuerit absolutus, & ab alijs.

SVMMARIVM.

1 *EXcommunicatus potest iterum excommunicari.*
2 *Excommunicatus pluries potest absolui ab vna excommunicatione, alijs relictis; sed vide num. seq.*
3 *Absolutio vnius excommunicationis in pluries excommunicato, tunc incipit habere effectum, quando tolluntur aliæ excommunicationes.*

SINGVLARE CCCLIV.

1 ETsi excommunicatus possit iterum excommunicari, vt habetur *ex cap. Engeltrudam 3. quæst. 4. & ex cap. ita quorundam de Iudæis*; non videtur tamen è contra quod pluries excommunicatus possit ab vna excommunicatione absolui relicta
2 alia, quæ obicem absolutionis in illo retinere videtur. Sed contra latè tradit *Glos. in cap. ex parte tua, de off. Iud. Ord.* quod procedit nedum, quando absoluens non habet potestatem absoluendi ab illa excommunicatione quam relinquit, sed etiã, quando non habet voluntatem, vt obseruat *Layman in sua Theol. moral. lib. 1. tract. 5. parte 2. cap. 6. de absol. ab excom. num. 10.*

In effectu tamen est ac si non esset absolu-
3 tus, quia talis absolutio tunc incipit habere effectum, cum sequitur absolutio alterius excommunicationis relictæ, vt ad mentem omnium, citando prædictos textus in *Cap. Engeltrudam, & Ita quorundam*, obseruat *Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. de Mens. & Altern. Glos. 13. Extra Romanam Curiam nu. 82. & 83.*

ARGVMENTVM.

Absolutus in foro interno potest, sed non debet, haberi prò absoluto in foro externo.

SVMMARIVM.

1 *Absolutus ab excommunicatione in foro interno antequam iudicium sit introductum, adhuc debet puniri, & excommunicari in foro externo.*

2 *Absolutus in foro interno ab excommunicatione post sententiam, & ipsius publicationem non debet haberi prò absolutò in foro externo, & quare num. seq.*

3 *Absolutus per Bullam, Iubilaum, aut priuilegium potest dici absolutus & in foro externo, si Iudex, qui excommunicauit, id velit acceptare, sed simpliciter acceptari non debet, & quare.*

4 *Absolutio ab excommunicatione concedi non debet, nisi prius parti læsæ fuerit satisfactũ.*

SINGVLARE CCCLV.

Sicuti absolutus ab excommunicatione in foro interno antequam iudicium sit in-
1 troductum, adhuc debet puniri, & excommunicari in foro externo, vt deduxi suprà
2 *Singul. 158.* ita à fortiori absolutus in foro interno ab excommunicatione post sententiam, & ipsius declarationem, non debet haberi prò absoluto in foro externo.
3 Quamuis enim taliter absolutus per Bullam, Iubilæum, aut priuilegium, possit dici absolutus etiam in foro externo, si Iudex, qui excommunicauit, id velit acceptare, remittendo iniuriam factam Ecclesiæ, seu Clericali statui, quorum ipse est repræsentans, ad tradita per *Layman in Theol. moral. lib. 1. tract. 5. parte 1. cap. 7. de Absol. à cens. num. 7.* Tamen id facere non debet saltem absque aliqua publica humiliatione, ob scandalum, quod saltem apud nescientes factum resultaret ex tolleratione, seù tacita absolutione publici
4 excommunicati, qui absolui non debet nisi prius parti læsæ fuerit satisfactum, vt dicit *Layman vbi suprà in fine.*

ARGVMENTVM.

Filius familias prò absolutione ab excommunicatione incursa ob violentam manuum iniectionem in Clericum, & Summo Pontifici reseruata, tenetur ire Romam, si inde Patri graue damnum non resultat.

SVMMARIVM.

1 *Filius familias prò absolutione ab excommunicatione cap. Si quis suadente Diabolo 17. qu. 4. Papæ reseruata, tenetur ire Romam, non obstante, quod communiter contra, & quare; sed limita, vt num. seq.*

2 *Excommunicati ob violentas manuum iniectiones in Clericos, qui alieni iuris sunt, in casibus, in quibus prò absolutione tenentur ire Romam, debent ire, si inde graue damnum illis, in quorum potestate sunt, non resultat; & quare: & si excessus est enormis, & grauis, nec tale damnum ipsos excusat; & quare numero etiam seq.*

3 *Priuato Publicum præfertur.*

SINGVLARE CCCLVI.

1 Filius familias prò absolutione excommunicationis *cap. Si quis suadente Diabolo 17. qu. 4.* Papæ reseruatæ, tenetur ire Romam, secundum *Glos. in cap. Mulieres, de sent. excom.* Et quamuis Doctores communiter videantur dissentire ab opinione *Glossæ prædictæ*, quasi quod & filij familias videantur absolutè comprehensi in dicto *cap. Mulieres*, sub illis verbis: *vel aliæ per-*
2 *sonæ, quæ sui iuris non sunt*; tamen cum illi, qui alieni iuris sunt, accedere ad Vrbem non teneantur nisi ob præiudicium illorum, in quorum sunt potestate, vt in terminis seruorum apertè legitur in *cap. Relatum, citato tit. de senten. excom.* vtique da-

mnum

mnum graue in Patre adesse debet, per ea, quæ expressè pariter leguntur in *dicto cap. Relatum*, de seruo, & per ea, quæ de filio familias præcipuè ex *S. Anton.* tradit *Carol. de Grass. de effect. Cleric. eff. 9. num. 167.* Si enim sufficeret simplex resistentia Dominorum, & Patrum, vt serui, & filij non tenerentur accedere, vt dicit inter alios *Layman in Theol. moral. lib. 1. tract. 5. parte 2. cap. 6. nu. 3.* eluderentur prædicta omnia, & præcipuè dispositain *prædicto cap. Relatum*, vbi disponitur etiam, quod si excessus sit enormis, & grauis, non obstante præiudicio Dominorum, serui accedere debeant prò absolutione ad Seruum seruo-
3 rum Dei; & meritò cum publicum, quod respicit scandalum, præferri debeat priuato, quod respicit præiudicium Dominorum, *l. 3. Cod. de Primipil.*

ARGVMENTVM.

Habitum potest reassumere Clericus sine licentia Episcopi, non obstante prohibitione, quæ fieri quidem potest, sed non sub pœna denegatæ defensionis priuilegiorum Clericalium.

SVMMARIVM.

1 *Habitum reassumere potest Clericus sine licentia Episcopi, etiamsi id fuerit prohibitum in Synodo.*
2 *Habitus Clericalis reassumptio prohiberi quidem potest, sed non sub pœna priuationis priuilegiorum Clericalium, vel denegata defensionis eorundem.*
3 *Priuilegio fori Clericus renunciare non potest; & quare.*
4 *Priuilegia Clericalia defendenda sunt per Episcopum etiam Clerico, qui contra suam prohibitionem habitum reassumpsit; & quare.*
5 *Ius suum cuique est tribuendum.*

SINGVLARE CCCLVII.

1 Habitum reassumere potest Clericus sine licentia Episcopi, etiamsi id fuerit prohibitum in Synodo vt tradit *Riccius parte 2. decis. decis. 167.* vbi excitat motiua in contrarium, & ex pluribus ita postea firmat, & sequitur *Diana parte 4. resol. moral. tract. 1. de Immun. Eccles. resol. 18. vers.*
2 *Notandum est.* Quia tamen passim hoc in Synodis prohibetur, & vt prohibitum Neapoli refert & ipse *Ricc. vbi suprà*, dicendum est posse quidem prohiberi, & pœna inobedientes mulctari, sed non inde euenire, quod si de facto Clericus habitum dimissum reassumat, priuilegijs Clericalibus non fruatur, frui enim tali casu subdit ipse *Riccius loco citato*, & proinde malè meo iudicio cautum vidi in aliqua Synodo cum comminatione, quod si aliquis habitum dimissum reassumpserit, vti Clericus non defendetur, debet enim comminari alia pœna exequibilis, & non ista, quæ exequi
3 non potest. Si enim Clericus fori priuilegio renunciare non potest *cap. Significasti, & cap. Si diligenti, de foro compet.* ex eo, quia tale priuilegium toto ordini Clericali cen-
4 setur concessum, vt legitur in dicto *cap. Si diligenti*, vtique & Episcopus non potest omittere defensionem priuilegij talis Clerici inobedientis, cum totius etiam ordinis Clericalis priuilegium non defenderet. Vltra quod, si est verum dicere, quod eidem, non obstante supradicta prohibitione, tale priuilegium competit; erit etiam verum dicere, quod Ordinarius est obligatus fa-
5 cere, quod eidem obseruetur, per iuris etiam naturalis axioma, quod ius suum cuique est tribuendum *§. Iuris præcepta, Instit. de Iust. & iu.*

ARGVMENTVM.

Spatia circum circa Ecclesias, quæ ad ipsarum Ecclesiarum vsum sunt, adhuc sunt immunia, & illis consuetudo contraria non refragatur.

SVMMARIVM.

1 *Immunitate Ecclesiastica gaudent loca circum circa Ecclesias adiacentia; sed vide numeris seqq.*
2 *Spatia immunia circum circa Ecclesias adiacentia non sunt in vsu; sed intellige vt in num. seqq.*
3 *Loca, quæ circum circa Ecclesias sunt ad ipsarum vsum, immunitate Ecclesiastica gaudent, etiam si non sint muris, aut aliter circundata.*

4 Im-

4 *Immunibus locis debetur reuerentia non ex recintu, sed ex vsu Ecclesiarum.*
5 *Lex, Pateant, Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, extollitur.*

SINGVLARE CCCLVIII.

1 Immunitate Ecclesiastica gaudere loca Ecclesiastica circum circa Ecclesiæ adiacentia, habetur ex *l. Pateant Cod. de his, qui ad Eccl. confug. & ex l. Quæ Religiosis ff. de rei vendic.* ibi *Quæ Religiosis adhærent religiosa censentur.* Et quamuis posset dici,
2 quod hoc non seruetur, cum spatia immunia circum circa Ecclesias amplius non sint in vsu, vt ex pluribus tradit *Gambacurta de Immun. Eccles. lib. 4. cap. 1. num. 15.* tamen experientia docet, quod spatia, quæ amplius non sunt immunia, sunt illa triginta, vel quadraginta passuum per loca profa-
3 na. Certum est enim, quod etiam nunc gaudent illa spatia, quæ sunt ad vsum ipsius Ecclesiæ, & quæ enumerantur in dicta *l. Pateant*, videlicet cellulæ, domus, hortu-
4 li, balnea, areæ, porticus, & alia; & hoc inspecto parum referre videtur, an sint muro circundata, nec ne, cum vis non sit in recintu, sed quod ab vsu profano sint segregata, & vsui eiusdem Ecclesiæ destinata, ex quo insurgit reuerentia erga talia loca, ad ea, quæ dicit *Suarez de Religios. tit. de Reuer. deb. loc. Sacr. cap. 8. num. 8.* & ad
5 ea, quæ habentur in dicta *l. Pateant*, quæ est vndequaque mirabilis, & prò immunitate tuenda, sola sufficiens.

ARGVMENTVM.

Episcopus, ratione causarum piarum, & dependentium ab eis, iurisdictionem in laicos habet.

SVMMARIVM.

1 *Piarum causarum ratione, & dependentium ab eis, Episcopus iurisdictionem habet in laicos.*
2 *Merces ab Ecclesia debita solui debet etiam cum distractione rerum ipsius Ecclesiæ.*
3 *Pia relicta dicuntur, quæ sunt relicta prò redemptione animæ, quamuis commodum Sacerdotum respicere videantur.*

SINGVLARE CCCLIX.

1 Iurisdictionem in laicos habere Episcopum ratione causarum piarum est indubitatum, per plures *Decretales sub tit. de testam.* & per alia, quæ cumulat *Barbos. de pot. Episc. parte 3. alleg. 82. nu. 23. & 24.* inter quæ deducit & claram dispositionem *Conc. Trid. sess. 22. de Reform. cap. 8.* Vnde sequitur idem dicendum & de dependentibus ab ipsis causis pijs, puta si celebratis Missis à testatore relictis competētem mercedem hæres soluere recuset, vel negligat. Quamuis enim tali casu causa pia adimpleta videatur, tamen negari non potest, quod eleemosyna prò Missis celebrandis relicta, non sit eleemosyna etiam post illarum celebrationem, immò magis pia, cum tali casu & causam mercedis anne-
2 xam habeat, quæ pariter videtur tam pia, quod si debeatur ab Ecclesia, prò ipsa reddenda, & res Ecclesiæ distrahi possunt, vt summatur *cap. Quicumque*, il secondo *12. qu. 2.* & quatenus etiam dici posset, quod esset simplex creditum Sacerdotis, tamen,
3 quia relictum fuit prò redemptione animę, non vti creditum Sacerdotis, sed vti relictum pium est censendum, cum tali casu non ad commodum Sacerdotis, sed ad redemptionem animæ, respectus habeatur, ad ea, quæ expresse leguntur in *cap. Pontifices 12. qu. 3.* ibi *Quia hoc ille.*

ARGVMENTVM.

Matrimonium per verba de præsenti etiam quoad copulam permitti potest ab Episcopo ex causa inter impuberes.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium per verba de præsenti non possunt regulariter contrahere impuberes; sed vide ad limitationes numeros sequentes.*
2 *Impuberes possunt contrahere matrimonium per verba de præsenti in casu vrgentissima necessitatis cum dispensatione Episcopi, qui non ita rigorosè videtur obligari circa talem dispensationem.*

3 Exem-

3 *Exempla declarant, & non restringunt.*
4 *Impuberes, cum quibus dispensatur ad matrimonium per verba de præsenti, debent esse habiles ad matrimonium subeundum, & in ipsis malitia debet supplere ætatem.*
5 *Matrimonium etiam quoad copulam inter impuberes permitti potest, si iudicio Episcopi probabile sit, malitiam supplere ætatem, etiamsi de potentia ad copulam sit aliquod dubium.*

SINGVLARE CCCLX.

1 MAtrimonium non posse per verba de præsenti contrahere impuberes, expressè cauetur in *cap. 2. de despons.*
2 *impub.* vbi casus vrgentissimæ necessitatis excipitur, circà quem potest dispensare Episcopus, ad tradita per *Dianam resol. moral. parte 3. resol. 276. in fine*, & sufficit secundum ipsum, quod iusta interueniat causa. Quamuis enim verba textus *dicti cap. 2.* se restringant ad vrgentissimam necessitatem; tamen non ita rigorosè esse intelligenda declarant alia verba subsequentia, quibus exemplificando dicit id permitti debere prò bono pacis. Videtur itaque sufficere, quod aliquod bonum inde resul-
3 tet, cum exempla declarent, & non restringant, *l. 1. §. quod vulgo ff. de vi, & vi arm. cum simil.* Quia tamen non sunt facienda
4 mala, vt eueniant bona, cauendum est in talibus dispensationibus, quod impuberes, cum quibus dispensatur, sint aliàs habiles ad matrimonium subeundum, & quod in ipsis malitia suppleat ætatem, vt habetur ex relatis per *Dianam vbi suprà ex Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 1. disputat. 17. nu. 6.*
5 qui expressè dicit, quod etiam quoad copulam matrimonium permitti potest, si iudicio Episcopi probabile sit, malitiam præuenire ætatem, etiamsi de potentia ad copulam sit aliquod dubium.

ARGVMENTVM.

CLericus petens beneficium Capituli Odoardus non retardat executionem contra se paratam.

SVMMARIVM.

1 *CLericus petens beneficium cap. Odoardus de solut. si est carceratus, debet detineri, donec talis articulus discutiatur.*
2 *Beneficium cap. Odoardus petitum, sed adhuc non obtentum, executionem paratam, & non obtentam non retardat; & quare.*
3 *Cap. Odoardus beneficium petens, non videtur, quod in carceribus se constituere debeat.*

SINGVLARE CCCLXI.

1 QVod Clericus iam carceratus prò debito petens beneficium *cap. Odoardus, de solut.* debeat manere carceratus vsque dum talis articulus discutitur, videtur clarum per ea, quæ deducit *Genuen. in Praxi Curiæ Archiep. Neapol. cap.*
2 *3. num. 17.* Si enim ad ea, quæ deducit ipse secundum veriorem opinionem, pendente tali articulo, potest Clericus carcerari, si habet contra se executionem paratam, vtiq; poterit retineri ex executione iã consumata; aliter enim dicere, esset velle præualeri facere incertum certo, quod quam sit absurdum, aures ipsæ iudicant; & meritò secundum *Paul.* quem citat *Genuen. vbi suprà*
3 *Bal.* contrarium tenens, irridetur. Benè verum est, quod non inde sequitur, quod petens tale beneficium debeat se in carceribus constituere, vt pluries prætendi, sed nunquam probari vidi, nec auctoritate, nec ratione.

ARGVMENTVM.

ORdinatus in sacris absque titulo, censetur ipso iure ab ordine suspensus.

SVMMARIVM.

1 *ORdinatus in sacris absque titulo, an sit ipso iure suspensus, tres extant opiniones.*
2 *Ordinatus in sacris absque titula non potest ad altiores odines promoueri absque eo, quod de patrimonio, vel beneficio sit prouisus.*
3 *Dedecus mendicandi est causa, qua prohibita fuit promotio absque titulo ad ordines sacros.*
4 *Ordinatus in sacris absque titulo, ipso iure suadetur suspensus.*

SINGVLARE CCCLXII.

1 ORdinatus in sacris absque titulo, an sit ipso iure suspensus, referendo tres

seruentur, nam in fictis, & falsis vtique in-
7 teruenit mendacium, & ex mendacio resultat dolus, *l. & eleganter* §. *fin. ff. de dolo, cum*
8 *ibi notatis*; quo dolo posito, sine dubio est vitiosa extractio, & debet fieri restitutio, vt benè explicat *Suarez de Relig. lib. 3. cap. 13. num. 17.* quem ad hoc citat & ipse *Layman vbi suprà*.

ARGVMENTVM.

Clericatus probatio coram Iudice Ecclesiastico fieri debet.

SVMMARIVM.

1 *Clericatus probatio coram Iudice Ecclesiastico fieri debet.*
2 *Clericatus coram Iudice laico dicitur probatus per simplicem tituli, seù litterarum ostēsionem, ad hoc, vt debeat Clericus remitti, vel supersederi in eius causa, donec per Iudicem Ecclesiasticum fuerit plenè cognitum de clericatu, nec requiritur Fisci, aut partis citatio, cum talis ostensio non sit probatio, sed instructio.*
3 *Clericatus simplex ostensio facta Iudici laico per tituli, seù litterarum præsentationem, facit quod ipse Iudex sit excommunicatus, si non paret.*
4 *Ritus Magnæ Curiæ Vicariæ Neapolis quam malè practicetur.*

SINGVLARE CCCXLVI.

1 Clericatus probatio fieri debet coram Iudice Ecclesiastico *cap. Si Iudex laicus de sent. excom. in 6.* & vt Iudex laicus te-
2 neatur prætensum Clericum Iudici Ecclesiastico remittere, vel in causa coram se introducta supersedere donec per Iudicem Ecclesiasticum super Clericatu fuerit pronunciatum, sufficit tituli, seù litterarum ostensio ad instructionem tantum, & ad inducendam scientiam Clericatus, absque eo quod Fiscus, vel pars aduersa citetur, cum talis actus non sit probatio, sed instructio, vt post *Bal* videndum in *l. si qua per calumniam Cod. de Epis. & Cler.* deducit *Franch. in dicto cap. si Iudex Laicus* §. *non sic, num. 4.* & nouissimè *Sperel. in suis decis. for. Eccles. parte 1. decis. 17.* etiam amplian-
3 do à *nu. 23. ad num. 28.* Prædicta enim ostensio sufficit ad faciendum, quod ipse Iudex Laicus sit excommunicatus, si non paret, vt præcipuè notat *Bal. vbi sup. nu. 4.*
4 *Vers. sed pone.* Et sic non video quomodo tuta conscientia possit practicari in Regno *Ritus Magnæ Cur. Vic. Neapolis, quem refert Carauita in suis Commentarys super ijsdem Ritibus, Ritu 235.* qui, vt in ipsomet *Ritu* legitur, seruatur quamuis iura Canonica videantur aliquatenus refragari. Sufficere enim deberet illud, *aliquatenus*, quod talem *Ritum* practicantes fatentur, si ex prædictis, alijsque quæ passim Doctores deducunt, non couincuntur. Vltra quod cum ex lectura eiusdemet *Ritus* appareat, quod rarò processus finitur, datur intelligi, quod *Ritus* ad præscriptum Iuris Canonici fuerat introductus, & quod per abusum postea fuerit introductum, quod causa super Clericatu formiter aliquando fieret.

ARGVMENTVM.

Laicus effectus Clericus respectu personæ iudicatur à Iudice Ecclesiastico de delicto commisso tempore, quo erat Laicus.

SVMMARIVM.

1 *Clericus effectus laicus iudicatur ab Episcopo de delicto commisso tempore Clericatus, & vide etiam nu. seq. 3.*
2 *Laicus effectus Clericus de delicto commisso tempore, quo erat laicus, iudicatur respectu personæ à Iudice Ecclesiastico, etiamsi in fraudem Fisci Clericus effectus esset; & quare.*
3 *Fraus est à lege permissa, quando quis suo iure vtitur.*
4 *Iudex Ecclesiasticus iudicat Laicum effectum Clericum quoad personam, etiamsi Clericatus sit assumptus post sententiam, & carcerationem; & quare.*
5 *Iudex Laicus est totaliter incapax iurisdictionis in Clericum, & nullatenus potest tangere personam Clerici.*
6 *Iudex Laicus de delicto Laici effecti Clerici potest cognoscere respectu bonorum, & sic punire in bonis, & pecunialiter.*

SIN-

SINGVLARE CCCXLVII.

1 ETsi Clericus effectus laicus iudicetur ab Episcopo de delicto commisso tempore Clericatus, *Vincen. de Franch. decis.* 417. *Caball. resol. crimin. casu* 147. *nu.* 9. *&* 10. *Clar. in pract. crimin. quæst.* 36. *nu.* 11. *vers. sed pone*, qui ita fuisse iudicatum
2 affirmat ex *Aufr. decis.* 377. Non tamen ita fit è contrario de laico effecto Clerico, qui respectu personæ de delicto commisso tempore, quo erat laicus, iudicatur à Iudice Ecclesiastico, vt post alios latè tradit *Sanfelic. tom.* 1. *decis. decis.* 2. *per totam*, etiamsi
3 in fraudem Fisci Clericus effectus fuerit, cum talis fraus sit à lege permissa, quando quis suo iure vtitur, vt notat idem *Sanfeli-*
4 *cius vbi suprà sub num.* 19. & etiamsi Clericatum post sententiam assumpsisset, & carceratus iam esset. Quamuis enim in his terminis sit controuersum ad quem Iudicem illum punire spectet, ad ea, quæ latè deducunt idem *de Franch. decis.* 384. *& Sanfelic. dicta decis.* 2. omninò in tali materia videndi; tamen omnis amaritudo ces-
5 sat, si consideretur, quod Iudex laicus est incapax totaliter iurisdictionis in Clericum, vt notat *Carol. de Grass. de effect. Cleric. effectu* 1. *num.* 6. & nullatenus potest tangere personam Clerici *ex Canon. si quis suadente Diabolo* 17. *quæst.* 4. ad inductionem, quam facit *Barbosa in l. si quis postea quam, num.* 233. *ff. de inoff. test.* quem ad
6 id citat & *Sanfelicius vbi sup. nu.* 24. quamuis possit de delicto laici effecti Clerici cognoscere respectu bonorum, & sic punire in bonis, & pecunialiter, ad trad. per *Ambr. de Immun. & libert. Eccles. cap.* 19. *num.* 15.

ARGVMENTVM.

CLericus beneficiatus incedens absque habitu, & tonsura gaudet priuilegio fori, non obstante Constitut. Sixti V. qua Clerici taliter incedentes ipso facto beneficijs priuantur, si saltem non adsit declaratio criminis non delationis habitus, vel si facta etiam dicta declaratione talis clericus adhuc beneficium retinet.

SVMMARIVM.

1 *CLericus beneficiatus incedens absque habitu, & tonsura gaudet priuilegio fori, non obstante etiam Const. Sixti V. qua ipso facto beneficio priuatur.*

2 *Constitutio Sixti V. cum Sacrosanctam, de habitu, & tonsura, non videtur vsu recepta.*

3 *Declaratio requiritur ad executionem pœnæ ipso iure inflictæ, non obstante quod casus sit de notorio.*

4 *Clericus beneficiatus incedens absque habitu & tonsura etiam post declarationem amissionis beneficij ob non delationem habitus, adhuc fori priuilegio gaudere videtur, si beneficium retinet; & quare vide num. seq.*

5 *Fori priuilegio gaudet qui beneficium obtinet, quod non potest obtinere, puta quia illegitimus, vel irregularis.*

SINGVLARE CCCXLVIII.

CLericus beneficiatus incedens absque habitu, & tonsura gaudet priuilegio fo-
1 ri, vt latè firmat *Barbosa in Collect. ad Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 6. *nu.* 11. & id procedere, non obstante etiam *Const. Sixti V. Cum Sacrosanctam de habitu, & tonsura*, qua Clerici taliter incedentes ipso facto beneficijs priuantur, censuit *Sacra Congregatio relata per Nouar. in Summa Bullar. in tit. de habitu, & tons.* his verbis: *Sacra Congregatio censuit Clericum beneficiatum gaudere priuilegio fori, non obstante quod per Bullam Sixti V. sit priuatus beneficijs*, quod quam verum sit deducit latè *Capic. latro decis.* 73. & verissimum
2 est censendum, si consideretur, quod dato quod prædicta Constitutio sit in vsu, contra ea, quæ scripsit *Garzia de Benefic. parte*
3 7. *cap.* 1. *de Cler. & ord. num.* 24. tamen adhuc requiritur declaratio criminis non delationis habitus, cum declaratio requiratur ad executionem pœnæ ipso iure inflictæ, vt ad mentem omnium dixit *Rota in vna Notariatus* 14. *Octobris* 1583. *coram Cantuc.* & quæ legitur in *lib.* 1. *cons. criminal. Farin. cons.* 5. *num.* 24. non obstante quod casus esset de notorio, ad ea quæ tradit *Gabr. in suis Concl. de crim. concl.* 12. *nu.*
4 3. *&* 4. & vlterius etiam, dicta declaratione facta fori priuilegio Clericus priuatus non videtur censendus, si adhuc beneficium retinet,

5 tinet, ad instar illius, qui obtinet beneficium, quod non potest obtinere, puta quia illegitimus, vel irregularis, & tamen priuilegio fori gaudet, si in possessione beneficij reperitur, ad tradita per *Barbos. vbi suprà num.* 13. & per *Thom. del Bene, de Immunit. & Iurisd. Eccles. parte* 1. *cap.* 4. *dub.* 6.

ARGVMENTVM.

CLericus etiam in minoribus ordinibus constitutus exercens officium Iudicis, seù Principis laici non perdit beneficium fori, etiamsi in eodem officio delinquat.

SVMMARIVM.

1 *Fori priuilegium non amittit Clericus exercens officium Iudicis, seu Principis laici, etiamsi in eodem officio delinquat.*

2 *Sacerdotes, & Clerici non possunt esse ministri, & procuratores laicorum.*

3 *Fori priuilegio non priuatur Clericus exercens officium Iudicis, seù Principis laici absque trina monitione de desistendo à tali officio, & tali monitione praecedenti, illud non amittit nisi quoad ea, quae respectu officij commisisset.*

4 *Fori priuilegio non potiuntur Clerici in minoribus constituti, si non sunt beneficiati, vel si habitum, & tonsuram non deferunt, & Ecclesiae actualiter, vel de praesenti non inseruiunt.*

SINGVLARE CCCXLIX.

CLericum, etiam in minoribus ordinibus constitutum exercentem officium Iu-
1 dicis, seù Principis laici, non amittere priuilegium fori, etiamsi in eodem officio deliquerit, tradit de communi *Iul. Clar.* §. *fin. Pract. crim. quaest.* 36. *Vers. Quaero pone*, quem disputans articulum secutus est *Carol. de Graf. de effect. Cleric. eff.* 1. *num.* 850. *& seqq.* Quamuis enim ex dispositione *cap. Clericis, tit. ne Clerici, vel Monachi*, id sit prohibitum Sacerdotibus, non inde sequitur, quod sit prohibitum Clericis; si enim id etiam ipsis prohiberi intentum fuisset, nominatim tanquam non tam astrictis Ecclesiae, sicuti Sacerdotes, eis iniunctum ex-
2 titisset, & pròut suprà *eodem tit. cap. Sacerdotibus* factum fuit, quando prohibitum fuit & Sacerdotibus, & Clericis, quod mi-
3 nistri, & procuratores laicorum essent. Vltra quod non sequitur, quod ex quo id facere est prohibitum, ideo amissio priuilegij fori incurratur, cum textus in dicto *cap. Clericis*, procedat ipse ad poenam excommunicationis praecedente monitione, quae trina praecedere deberet, vt Clericus dicto priuilegio priuatus haberi posset, ad ea, quae opiniones conciliando subdit *Carol. de Graf. vbi suprà num.* 853. limitans etiam, vt id intelligeretur solùm circà ea, quae respectu officij commisisset, & non circa alia, circà quae dictum priuilegium sibi saluum esset.

4 Quia tamen tales Clerici Magistratus seculares agentes Ecclesiae seruire non solent, est animaduertendum, quod ex hoc dicto priuilegio possunt dici destituti, cum ex dispositione *S. Conc. Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 6. Clerici in minoribus, si non sunt beneficiati, dicto priuilegio non potiantur, si habitum, & tonsuram non deferunt, & Ecclesiae actualiter, vel de praesenti non inseruiunt, ad ea, quae notat *Barbos. in Collectan. ad dictum locum Sacr. Conc. verbo, Inseruiat.*

ARGVMENTVM.

CLericus coniugatus etiam in merè ciuilibus priuilegio fori gaudere videtur.

SVMMARIVM.

1 *Fori priuilegio gaudere, vel non gaudere Clericum coniugatum in merè ciuilibus, est valde controuersum; sed vide num. seqq.*

2 *Clericus coniugatus etiam in merè ciuilibus priuilegio fori gaudet; sed vide num. anteced. & seqq.*

3 *Clerico coniugato non videtur competere priuilegium fori, nisi prò criminalibus, & prò annexis, & dependentibus ab ipsis; sed tutius videtur, quod competat & prò merè ciuilibus, vt seq. num.* 5.

4 *Clericus coniugatus in causis merè ciuilibus non potest à Iudice laico in carcerem conijci, aut personaliter distringi.*

5 *Fori*

5 *Fori priuilegium competere Clerico coniugato etiam prò merè ciuilibus, quare tutius videtur.*
6 *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
7 *Exceptio debet esse de regula.*
8 *Clerici coniugati de consuetudine gaudent in Regno Neapolitano priuilegio fori etiam in ciuilibus.*

SINGVLARE CCCL.

1 Clericum coniugatum gaudere, vel non gaudere priuilegio fori in ciuilibus pendebat iam ex longa, & confusa altercatione Doctorum, vt dicit *Carol. de Graf. de effect. cler. eff. 1. num.* 81. qui talem altercationem postea sublatam subdit ex dispositione *Sacr. Conc. Trid. cap. 6. de re-*
2 *form. sess.* 23. vbi supponit S. Concilium loqui indistinctè, & proinde concludi, quod tale priuilegium competat Clerico
3 coniugato etiam in ciuilibus. Verùm cum *textus in dicto cap. 6.* nil aliud dicat de Clericis coniugatis, nisi quod circa ipsos seruetur Constitutio *Bonifacij VIII. in cap. vnico de Cleric. coniugatis in 6.* quæ prædictæ altercationi occasionem dedit ex eo, quod non videtur loqui nisi de priuilegio in criminalibus, & de annexis, & dependentibus à criminalitate, dictum *Caroli de Graf.* non videtur subsistere, & per consequens adhuc Doctorum controuersiam durare suadetur, attento maximè quod *Barbosa in Collectan. ad eundem cap. num.* 42. *& seqq.*
4 illam refert. Quamuis tamen ipse *Barbosa* ex nonnullis etiam resolutionibus Sacrarum Congreg. resideat eum opinione illorum, qui tenent talem Clericum non gaudere in merè ciuilibus, sed solùm illi saluū
5 esse, quod à Iudice laico in talibus causis ciuilibus non possit in carcerem conijci, aut personaliter distringi, ad decisa per *S. Congreg. Episc. & Regul. sub die 10. Fe-*
5 *bruarij* 1618. non videtur propterea, quod opinio contraria non sit tutior, cum videatur indubitatum, quod *Summus Pontifex Bonifacius*, qui concessit exprefsè priuilegium prò criminalibus, quæ respiciunt causam publicam, quæ est fortior, tacitè non intellexerit illud concedere & prò ciuilibus, quæ causam priuatam, & sic minus fauorabilem inuoluunt.

Nec valet dicere, quod idem *Bonifacius* exprefsè dixerit, quod prò excessibus à Clericis coniugatis commissis non possint nec criminaliter, nec ciuiliter ad iudicium seculare trahi, & sic quod excipiendo ca-
6 sum ciuilem à criminali dependentem voluerit firmare regulam in contrarium, ad *l. Quæsitum §. Inde Neratius ff. de fundo instr. cum similibus*, quia id procederet, si
7 exceptus fuisset casus purè ciuilis, cum ex-
8 ceptio debeat esse de terminis eius quod limitat ad notata *in l. 1. de Reg. iur.* & sic merito in Regno Neapolitano, vbi tales Clerici vigent, extat consuetudo, quod etiam in ciuilibus gaudeant, vt dixit *Sacra Congr. Immun. 27. Febr.* 1630. relata per *Barbosam, vbi suprà*.

ARGVMENTVM.

Prælatus, qui potest excommunicare, censuris vti valet prò defensione suorum bonorum, & iurium, nec non propriæ personæ, & familiarium, tam iudicialiter, quam extraiudicialiter, ac de facto procedendo, vbique, & contra quoscumque; sed videtur intelligendum, quoties auctoritas ordinaria non suppetit.

SVMMARIVM.

1 *Vim vi repellere licet, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt sequenti numero vltimo.*
2 *Prælatus, qui valet excommunicare, potest vti censuris prò defensione suorum bonorum, & iurium, & prò tuitione propriæ personæ, & familiarium, ne dum iudicialiter, sed etiam extraiudicialiter, ac de facto procedendo, vbique, & contra quoscumque; sed videtur intelligendum, vt numeris seqq.*
3 *Iniuria, seù violentia facta Prælato, censetur facta Ecclesiæ.*
4 *Iniuria facta familiari censetur facta Prælato.*
5 *Ius sibi dicere regulariter nemini licet.*
6 *Moderamine solum inculpatæ tutelæ vim vi repellere licet.*

SINGVLARE CCCLI.

1 Defensionis gratia ex naturali axiomate, quo fertur vim vi repellere licere, posse Prælatum, qui valet excommunicare, vti censuris prò defensione suorum bonorum, & iurium, tam iudicialiter, quam extraiudicialiter, habetur in *c. Venerabilibus,*
2 *& c. Dilectus de sent. excom. in 6.* & quod ita de facto procedendo vbique id fieri possit, tam iudicialiter, quam extraiudicialiter, & contra quoscumque, ne dum prò defensione bonorum, & iurium, tam Ecclesiæ, quam propriorum, sed fortius prò tuitione propriæ personæ, late tradit *Ricciul. in tract. de Iure Person. extra Eccles. gremium existentium, cap. 61.* vbi & vtilitates, quæ ex tali modo procedendi extraiudicialiter resultant, recenset, & forsan posset materia extendi etiam ad defensionem familiarium ipsius Prælati, cum propria persona ideo
3 taliter possit defendi, vt dicit ipse *Ricciul. sub num. 30.* quia iniuria, vel violentia facta Prælato censetur facta Ecclesiæ, *cap. Nullus, de foro compet. cum similibus,* & iniu-
4 ria facta familiari pariter censetur facta Prælato, cum iniuria facta vni de familia censeatur facta ne dum capiti, sed omnibus de familia, ad *Bart. in l. lex Cornelia ff. de iniur. & alios,* quos citat *Rice. decis. Cur. Archiep. Neapol. parte 2. decis. 134. num. 7.*

Verùm in tota prædicta materia esset cogitandum, quando Prælatus extraiudicialiter procedens in suo, vel in alieno territorio, maximè contra non subditos posset vti brachio sui Superioris, vel Ordinarij loci, contra violentiam, seù iniuriam iam illatam, quia non posset negari, quod prædictum axioma super quod textus prædicti
5 fundantur, non subsisteret, cum regulariter nemini liceat ius sibi dicere, *l. vnica Cod.*
6 *Ne quis in sua causa,* & vim vi repellere liceat, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad plures, quos citat *Carol. de Graff. de effect. Cleric. effectu 9. num. 239.*

ARGVMENTVM.

Dominij vtilis rei Ecclesiasticæ quæstio, etiam inter laicum, & laicum, coram Iudice Ecclesiastico est tractanda.

SVMMARIVM.

1 *Dominij vtilis rei Ecclesiasticæ quæstio coram Iudice laico videtur tractanda, etiamsi agatur ad solutionem Canonum, vel ad relaxationem rei ex causa caducitatis; sed contra, & quare etiam num. seq.*
2 *Emphytheusis Ecclesiastica quæstio, etiamsi sit de dominio vtili, & inter laicum, & laicum, coram Iudice Ecclesiastico tractari debet, & maximè, si Emphytheuta cum iuramento eidem Iudici se supposuit, foro laico renunciando.*
3 *Iuri suo vnusquisque renunciare valet.*
4 *Clericus foro renunciare non potest, & quare.*

SINGVLARE CCCLII.

1 Dominij vtilis quæstionem tanquam separati à dominio directo Emphytheusis Ecclesiasticæ coram Iudice laico esse tractandam, tradit *Hodierna in addit. ad decis. 1. Surdi, ex Claro in §. Emphytheusis quæst. 48. & ex alijs,* quos citat ad fii mandum id procedere etiamsi ageretur ad solutionem Canonum, vel ad relaxationem
2 rei ex causa caducitatis; sed quantum hoc dicere sit alienum à iure, & à recta conscientia, tradit post alios *Diana parte 4. resol. moral. tract. 1. de Immun. Eccles. resol. 7. per totam,* & hoc præcipuè ex *Sacra Rota Rom. coram Merlino sub die 28. May 1631.* quam decisionem vti magistralem, & menti tenendam registrat & ipse *Diana in fine eiusdem partis 4. fol. penult. & vltimo.*

Et quidem, etsi quoad dominium vtile omnino separatum, & independens à directo aliquid posset dici prò opinione *Hodierna*, per ea quæ ego notaui supra in *Sing. 147.* & quæ restringi debent ad quæstionem, quæ inter laicum, & laicum tractaretur de dominio vtili, seù potius de possessione rei Ecclesiasticæ, vtique non potest trahi ad casum, in quo directus Dominus ageret, vt suprà, ad Canones, vel ad rei vendicationem ex caducitate, cum id fit ad substentationem dominij directi, & non agatur de dominio vtili, nisi quatenus famulari debeat directo, alias sequeretur, quod de re Ecclesiastica in Emphytheusim concessa nunquam agendum esset coram Iudice Ecclesiastico, coram quo semper agi debet tanquam coram Iudice dignio-

dignioris saltem partis, scilicet dominij directi, quod trahit ad se vtile, vt obseruatur in dicta *decis. sub vers. Idque procedit, etiamsi tractaretur de dominio vtili inter laicum, & laicum*, & maximè, si Emphytheuta, vt fieri solet, renunciasset foro laico cum iuramento, & Iudici Ecclesiastico se supposuisset, renunciando sic iuri, quod sibi com-
3 petere posset, ex regula, quod iuri suo quisque renunciare valet, *l. si quis in conscribendo Cod. de pact. cap. si diligenti, de foro compet.* quæ iura sunt in terminis renun-
4 ciationis fori; etsi non procedunt respectu Clerici, est quia tale ius, seù beneficium non est ipsius, sed totius Collegij Ecclesiastici, vt legitur in dicto *cap. si diligenti*, & notant communiter Doctores.

ARGVMENTVM.

Excommunicatio absque citatione non tenet, nisi in casu notorio, & in quo nihil opponi potest.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus quis declarari non potest absque citatione, nisi in casu notorij excessus, & in quo certum sit aliquam iustam excusationem non competere.*
2 *Citatio omitti potest in casu, in quo opponi non valet.*
3 *Excommunicationis in causa tutius est citare, immò necessarium, si non sit certum, quod opponi non possit.*

SINGVLARE CCCLIII.

1 Excommunicatus declarari non potest quis absque citatione nisi in casu notorij excessus, & in quo certum est aliquam iustam excusationem eidem competere non posse, ad tradita per *Genuensem in Praxi Archiep. Neapol. cap. 23. num. 16.* & hæc duo copulatiuè concurrere debent, cum notorietas excessus respiciat actum fisicum, & carentia excusationis actum moralem, seù malitiam operis. Quamuis enim *cap. Peruenit* il primo, *de Appell.* quod deducit ipse *Genuensis* prò fundanda declaratione excommunicationis absque citatione, videatur respicere solùm dictum actum fisicum, cum sit in casu publicæ percussionis Clericorum, & non moralem, cum in tali percussione possit competere aliqua excusatio, puta necessariæ defensionis, & similium; tamen cum sit in gradu appellationis videtur respicere & actum moralem, cum ea, quæ opponi poterant, possint præsumi opposita in prima instantia, in qua appellans supponitur citatus, & auditus. Quotiescumque autem certum non est, quod aliquid excommunicandus oppone-
2 re non possit, quo casu citatio omitti po-
3 test, ad tradita per *Gabr. de citat. concl. 1. num. 332.* vtique nedum tutior, vt subdit *Genuen. vbi suprà*, sed necessaria videtur citatio.

ARGVMENTVM.

Absolutus ab vna excommunicatione, eiusdem absolutionis beneficio non gaudet, nisi fuerit absolutus, & ab alijs.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus potest iterum excommunicari.*
2 *Excommunicatus pluries potest absolui ab vna excommunicatione, alijs relictis; sed vide num. seq.*
3 *Absolutio vnius excommunicationis in pluries excommunicato, tunc incipit habere effectum, quando tolluntur aliæ excommunicationes.*

SINGVLARE CCCLIV.

1 Etsi excommunicatus possit iterum excommunicari, vt habetur *ex cap. Engeltrudam 3. quæst. 4. & ex cap. ita quorundam de Iudæis*; non videtur tamen è contra, quod pluries excommunicatus possit ab vna excommunicatione absolui relicta
2 alia, quæ obicem absolutionis in illo retinere videtur. Sed contra latè tradit *Glos. in cap. ex parte tua, de off. Iud. Ord.* quod procedit nedum, quando absoluens non habet potestatem absoluendi ab illa excommunicatione quam relinquit, sed etiã, quando non habet voluntatem, vt obseruat *Layman in sua Theol. moral. lib. 1. tract. 5. parte 2. cap. 6. de absol. ab excom. num. 10.*

In effectu tamen est ac si non esset absolu-
3 tus, quia talis absolutio tunc incipit habere effectum, cum sequitur absolutio alterius excommunicationis relictæ, vt ad mentem omnium, citando prædictos textus in *Cap. Engeltrudam, & Ita quorundam*, obseruat *Gonzalez ad Reg.* 8. *Cancell. de Mens. & Altern. Glos.* 13. *Extra Romanam Curiam nu.* 82. & 83.

ARGVMENTVM.

ABsolutus in foro interno potest, sed non debet, haberi prò absoluto in foro externo.

SVMMARIVM.

1 *ABsolutus ab excommunicatione in foro interno antequam iudicium sit introductum, adhuc debet puniri, & excommunicari in foro externo.*

2 *Absolutus in foro interno ab excommunicatione post sententiam, & ipsius publicationem non debet haberi prò absolutò in foro externo, & quare num. seq.*

3 *Absolutus per Bullam, Iubilaeum, aut priuilegium potest dici absolutus & in foro externo, si Iudex, qui excommunicauit, id velit acceptare, sed simpliciter acceptari non debet, & quare.*

4 *Absolutio ab excommunicatione concedi non debet, nisi prius parti læsa fuerit satisfactũ.*

SINGVLARE CCCLV.

SIcuti absolutus ab excommunicatione in foro interno antequam iudicium sit in-
1 troductum, adhuc debet puniri, & excommunicari in foro externo, vt deduxi suprà
2 *Singul.* 158. ita à fortiori absolutus in foro interno ab excommunicatione post sententiam, & ipsius declarationem, non debet haberi prò absoluto in foro externo.
3 Quamuis enim taliter absolutus per Bullam, Iubilæum, aut priuilegium, possit dici absolutus etiam in foro externo, si Iudex, qui excommunicauit, id velit acceptare, remittendo iniuriam factam Ecclesiæ, seu Clericali statui, quorum ipse est representans, ad tradita per *Layman in Theol. moral. lib.* 1. *tract.* 5. *parte* 1. *cap.* 7. *de Absol. à cens. num.* 7. Tamen id facere non debet saltem absque aliqua publica humiliatione, ob scandalum, quod saltem apud nescientes factum resultaret ex tolleratione, seù tacita absolutione publici
4 excommunicati, qui absolui non debet nisi prius parti læsæ fuerit satisfactum, vt dicit *Layman vbi suprà in fine*.

ARGVMENTVM.

FIlius familias prò absolutione ab excommunicatione incursa ob violentam manuum iniectionem in Clericum, & Summo Pontifici reseruata, tenetur ire Romam, si inde Patri graue damnum non resultat.

SVMMARIVM.

1 *FIlius familias prò absolutione ab excommunicatione cap. Si quis suadente Diabolo* 17. *qu.* 4. *Papæ reseruata, tenetur ire Romam, non obstante, quod communiter contra, & quare; sed limita, vt num. seq.*

2 *Excommunicati ob violentas manuum iniectiones in Clericos, qui alieni iuris sunt, in casibus, in quibus prò absolutione tenentur ire Romam, debent ire, si inde graue damnum illis, in quorum potestate sunt, non resultat; & quare: & si excessus est enormis, & grauis, nec tale damnum ipsos excusat; & quare numero etiam seq.*

3 *Priuato Publicum præfertur.*

SINGVLARE CCCLVI.

1 FIlius familias prò absolutione excommunicationis *cap. Si quis suadente Diabolo* 17. *qu.* 4. Papæ reseruatæ, tenetur ire Romam, secundum *Glos. in cap. Mulieres, de sent. excom.* Et quamuis Doctores communiter videantur dissentire ab opinione *Glossæ prædicta*, quasi quod & filij familias videantur absolutè comprehensi in dicto *cap. Mulieres*, sub illis verbis: *vel alia per-*
2 *sona, quæ sui iuris non sunt*; tamen cum illi, qui alieni iuris sunt, accedere ad Vrbem non teneantur nisi ob præiudicium illorum, in quorum sunt potestate, vt in terminis seruorum apertè legitur in *cap. Relatum, citato tit. de senten. excom.* vtique da-

mnum

minum graue in Patre adesse debet, per ea, quæ expressè pariter leguntur in *dicto cap. Relatum*, de seruo, & per ea, quæ de filio familias præcipuè ex *S. Anton.* tradit *Carol. de Grass. de effect. Cleric. eff. 9. num.* 167. Si enim sufficeret simplex resistentia Dominorum, & Patrum, vt serui, & filij non tenerentur accedere, vt dicit inter alios *Layman in Theol. moral. lib. 1. tract. 5. parte 2. cap. 6. nu. 3.* eluderentur prædicta omnia, & præcipuè disposita in *prædicto cap. Relatum*, vbi disponitur etiam, quod si excessus sit enormis, & grauis, non obstante præiudicio Dominorum, serui accedere debeant prò absolutione ad Seruum seruo-
3 rum Dei; & meritò cum publicum, quod respicit scandalum, præferri debeat priuato, quod respicit præiudicium Dominorum, *l. 3. Cod. de Primipil.*

ARGVMENTVM.

HAbitum potest reassumere Clericus sine licentia Episcopi, non obstante prohibitione, quæ fieri quidem potest, sed non sub pœna denegatæ defensionis priuilegiorum Clericalium.

SVMMARIVM.

1 *Habitum reassumere potest Clericus sine licentia Episcopi, etiamsi id fuerit prohibitum in Synodo.*

2 *Habitus Clericalis reassumptio prohiberi quidem potest, sed non sub pœna priuationis priuilegiorum Clericalium, vel denegata defensionis eorundem.*

3 *Priuilegio fori Clericus renunciare non potest; & quare.*

4 *Priuilegia Clericalia defendenda sunt per Episcopum etiam Clerico, qui contra suam prohibitionem habitum reassumpsit; & quare.*

5 *Ius suum cuique est tribuendum.*

SINGVLARE CCCLVII.

1 HAbitum reassumere potest Clericus sine licentia Episcopi, etiamsi id fuerit prohibitum in Synodo vt tradit *Riccius parte 2. decis. decis.* 167. vbi excitat motiua in contrarium, & ex pluribus ita postea firmat, & sequitur *Diana parte 4. resol. moral. tract. 1. de Immun. Eccles. resol. 18. vers.*
2 *Notandum est.* Quia tamen passim hoc in Synodis prohibetur, & vt prohibitum Neapoli refert & ipse *Ricc. vbi suprà*, dicendum est posse quidem prohiberi, & pœna inobedientes mulctari, sed non inde euenire, quod si de facto Clericus habitum dimissum reassumat, priuilegijs Clericalibus non fruatur, frui enim tali casu subdit ipse *Riccius loco citato*, & proinde malè meo iudicio cautum vidi in aliqua Synodo cum comminatione, quod si aliquis habitum dimissum reassumpserit, vti Clericus non defendetur, debet enim comminari alia pœna exequibilis, & non ista, quæ exequi
3 non potest. Si enim Clericus fori priuilegio renunciare non potest *cap. Significasti, & cap. Si diligenti, de foro compet.* ex eo, quia tale priuilegium toto ordini Clericali cen-
4 setur concessum, vt legitur in dicto *cap. Si diligenti*, vtique & Episcopus non potest omittere defensionem priuilegij talis Clerici inobedientis, cum totius etiam ordinis Clericalis priuilegium non defenderet. Vltra quod, si est verum dicere, quod eidem, non obstante supradicta prohibitione, tale priuilegium competit; erit etiam verum dicere, quod Ordinarius est obligatus fa-
5 cere, quod eidem obseruetur, per iuris etiam naturalis axioma, quod ius suum cuique est tribuendum §. *Iuris præcepta, Instit. de Iust. & iu.*

ARGVMENTVM.

SPatia circum circa Ecclesias, quæ ad ipsarum Ecclesiarum vsum sunt, adhuc sunt immunia, & illis consuetudo contraria non refragatur.

SVMMARIVM.

1 *IMmunitate Ecclesiastica gaudent loca circum circa Ecclesias adiacentia; sed vide numeris seqq.*

2 *Spatia immunia circum circa Ecclesias adiacentia non sunt in vsu; sed intellige vt in num. seqq.*

3 *Loca, quæ circum circa Ecclesias sunt ad ipsarum vsum, immunitate Ecclesiastica gaudent, etiam si non sint muris, aut aliter circundata.*

4 *Im-*

4 *Immunibus locis debetur reuerentia non ex re-*
cintu, sed ex vsu Ecclesiarum.
5 *Lex, Pateant, Cod. de his, qui ad Ecclesiam*
confugiunt, extollitur.

SINGVLARE CCCLVIII.

1 IMmunitate Ecclesiastica gaudere loca
Ecclesiastica circum circa Ecclesiæ a-
diacentia, habetur ex *l. Pateant Cod. de his,*
qui ad Eccl. confug. & ex l. Quæ Religiosis ff.
de rei vendic. ibi *Quæ Religiosis adhærent re-*
ligiosa censentur. Et quamuis posset dici,
2 quod hoc non seruetur, cum spatia immu-
nia circum circa Ecclesias amplius non sint
in vsu, vt ex pluribus tradit *Gambacurta de*
Immun. Eccles. lib. 4. cap. 1. num. 15. tamen
experientia docet, quod spatia, quæ am-
plius non sunt immunia, sunt illa triginta,
vel quadraginta passuum per loca profa-
3 na. Certum est enim, quod etiam nunc
gaudent illa spatia, quæ sunt ad vsum ipsius
Ecclesiæ, & quæ enumerantur in dicta *l.*
Pateant, videlicet cellulæ, domus, hortu-
4 li, balnea, areæ, porticus, & alia; & hoc
inspecto parum referre videtur, an sint mu-
ro circundata, nec ne, cum vis non sit in
recintu, sed quod ab vsu profano sint se-
gregata, & vsui eiusdem Ecclesiæ destina-
ta, ex quo insurgit reuerentia erga talia lo-
ca, ad ea, quæ dicit *Suarez de Religios. tit.*
de Reuer. deb. loc. Sacr. cap. 8. num. 8. & ad
5 ea, quæ habentur in dicta *l. Pateant*, quæ
est vndequaque mirabilis, & prò immuni-
tate tuenda, sola sufficiens.

ARGVMENTVM.

EPiscopus, ratione causarum pia-
rum, & dependentium ab eis,
iurisdictionem in laicos habet.

SVMMARIVM.

1 *PIarum causarum ratione, & dependen-*
tium ab eis, Episcopus iurisdictionem
habet in laicos.
2 *Merces ab Ecclesia debita solui debet etiam*
cum distractione rerum ipsius Ecclesiæ.
3 *Pia relicta dicuntur, quæ sunt relicta prò re-*
demptione animæ, quamuis commodum Sacer-
dotum respicere videantur.

SINGVLARE CCCLIX.

1 IVrisdictionem in laicos habere Episco-
pum ratione causarum piarum est in-
dubitatum, per plures *Decretales sub tit.*
de testam. & per alia, quæ cumulat *Barbos.*
de pot. Episc. parte 3. alleg. 82. nu. 23. & 24.
inter quæ deducit & claram dispositionem
Conc. Trid. sess. 22. de Reform. cap. 8. Vnde
sequitur idem dicendum & de dependenti-
bus ab ipsis causis pijs, puta si celebratis
Missis à testatore relictis competētem mer-
cedem hæres soluere recuset, vel negligat.
Quamuis enim tali casu causa pia adimple-
ta videatur, tamen negari non potest,
quod eleemosyna prò Missis celebrandis
relicta, non sit eleemosyna etiam post il-
larum celebrationem, immò magis pia,
cum tali casu & causam mercedis anne-
2 xam habeat, quæ pariter videtur tam pia,
quod si debeatur ab Ecclesia, prò ipsa red-
denda, & res Ecclesiæ distrahi possunt, vt
summatur *cap. Quicumque*, il secondo 12.
qu. 2. & quatenus etiam dici posset, quod
esset simplex creditum Sacerdotis, tamen,
3 quia relictum fuit prò redemptione animę,
non vti creditum Sacerdotis, sed vti reli-
ctum pium est censendum, cum tali casu
non ad commodum Sacerdotis, sed ad re-
demptionem animæ, respectus habeatur,
ad ea, quæ expressè leguntur in *cap. Ponti-*
fices 12. qu. 3. ibi *Quia hoc ille.*

ARGVMENTVM.

MAtrimonium per verba de præ-
senti etiam quoad copulam per-
mitti potest ab Episcopo ex causa inter
impuberes.

SVMMARIVM.

1 *MAtrimonium per verba de præsenti*
non possunt regulariter contrahere
impuberes; sed vide ad limitationes numeros
sequentes.
2 *Impuberes possunt contrahere matrimonium*
per verba de præsenti in casu vrgentissimæ ne-
cessitatis cum dispensatione Episcopi, qui non
ita rigorosè videtur obligari circa talem dis-
pensationem.

3 *Exem-*

3 *Exempla declarant, & non restringunt.*
4 *Impuberes, cum quibus dispensatur ad matrimonium per verba de præsenti, debent esse habiles ad matrimonium subeundum, & in ipsis malitia debet supplere ætatem.*
5 *Matrimonium etiam quoad copulam inter impuberes permitti potest, si iudicio Episcopi probabile sit malitiam supplere ætatem, etiamsi de potentia ad copulam sit aliquod dubium.*

SINGVLARE CCCLX.

1 MAtrimonium non posse per verba de præsenti contrahere impuberes, expresse cauetur in *cap. 2. de despons.*
2 *impub.* vbi casus vrgentissimæ necessitatis excipitur, circa quem potest dispensare Episcopus, ad tradita per *Dianam resol. moral. parte 3. resol. 276. in fine*, & sufficit secundum ipsum, quod iusta interueniat causa. Quamuis enim verba textus *dicti cap. 2.* se restringant ad vrgentissimam necessitatem; tamen non ita rigorosè esse intelligenda declarant alia verba subsequentia, quibus exemplificando dicit id permitti debere prò bono pacis. Videtur itaque sufficere, quod aliquod bonum inde resul-
3 tet, cum exempla declarent, & non restringant, *l. 1. §. quod vulgo ff. de vi, & vi arm. cum simil.* Quia tamen non sunt facienda
4 mala, vt eueniant bona, cauendum est in talibus dispensationibus, quod impuberes, cum quibus dispensatur, sint aliàs habiles ad matrimonium subeundum, & quod in ipsis malitia suppleat ætatem, vt habetur ex relatis per *Dianam vbi suprà ex Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 1. disputat. 17. nu. 6.*
5 qui expresse dicit, quod etiam quoad copulam matrimonium permitti potest, si iudicio Episcopi probabile sit, malitiam præuenire ætatem, etiamsi de potentia ad copulam sit aliquod dubium.

ARGVMENTVM.

CLericus petens beneficium Capituli Odoardus non retardat executionem contra se paratam.

SVMMARIVM.

1 *CLericus petens beneficium cap. Odoardus de solut. si est carceratus, debet detineri, donec talis articulus discutiatur.*
2 *Beneficium cap. Odoardus petitum, sed adhuc non obtentum, executionem paratam, & non obtentam non retardat; & quare.*
3 *Cap. Odoardus beneficium petens, non videtur, quod in carceribus se constituere debeat.*

SINGVLARE CCCLXI.

1 QVod Clericus iam carceratus prò debito petens beneficium *cap. Odoardus, de solut.* debeat manere carceratus vsque dum talis articulus discutitur, videtur clarum per ea, quæ deducit *Genuen. in Praxi Curiæ Archiep. Neapol. cap.*
2 *3. num. 17.* Si enim ad ea, quæ deducit ipse secundum veriorem opinionem, pendente tali articulo, potest Clericus carcerari, si habet contra se executionem paratam, vtiq; poterit retineri ex executione iā consumata; aliter enim dicere, esset velle præualeri facere incertum certo, quod quam sit absurdum, aures ipsæ iudicant; & meritò secundum *Paul.* quem citat *Genuen. vbi suprà*
3 *Bal.* contrarium tenens, irridetur. Bene verum est, quod non inde sequitur, quod petens tale beneficium debeat se in carceribus constituere, vt pluries prætendi, sed nunquam probari vidi, nec auctoritate, nec ratione.

ARGVMENTVM.

ORdinatus in sacris absque titulo, censetur ipso iure ab ordine suspensus.

SVMMARIVM.

1 *ORdinatus in sacris absque titulo, an sit ipso iure suspensus, tres extant opiniones.*
2 *Ordinatus in sacris absque titulo non potest ad altiores odines promoueri absque eo, quod de patrimonio, vel beneficio sit prouisus.*
3 *Dedecus mendicandi est causa, qua prohibita fuit promotio absque titulo ad ordines sacros.*
4 *Ordinatus in sacris absque titulo, ipso iure suadetur suspensus.*

SINGVLARE CCCLXII.

1 ORdinatus in sacris absque titulo, an sit ipso iure suspensus, referendo

tres

tres opiniones, latè tradit *Barbos. de Potest. Episc. parte 2. Alleg. 20. num. 24. & seqq. & in Collect. ad Conc. Trid. sess. 21. de reform. cap. 2. num. 65. & seqq. Vers. Antiquorum Canonum.* Verùm cum videatur certum, quod non possit ad altiores ordines promoueri absque eo, quod de patrimonio, vel beneficio sit prouisus, per ea, quæ considerat & tradit idem *Barbosa dicta Alleg. 20. num. 22.* & etiam, quia quò altior est ordo, eò maius dedecus mendicandi
3 consideratur, quæ causa fuit expressa in *di-*
4 *cto cap. à Sacro Conc. Trident.* ideo & ipso iure ab ordine iam suscepto suspensus suadetur, cum absque dubio minoris dedecoris sit mendicare absque actuali ministerio ordinis, quam cum ministerio, ex quo insurgit maior aduertentia, & causa scandali in illis saltem, qui ordinatum esse non scirent, si in Altare ministrantem non viderent.

ARGVMENTVM.

TEstamentum factum coram Parocho, & duobus testibus valere videtur in vtroque foro, & vbique, sed indubitatè valet ita, si sit ad pias causas ex duobus testibus tantùm.

SVMMARIVM.

1 *TEstamentum factum coram Parocho, & duobus testibus valere videtur nedum in foro Ecclesiastico, sed & in seculari, & vbique, & ad ita seruandum Iudices seculares compelli posse, & quomodo.*

2 *Piarum causarum relicta sunt mixti fori.*

3 *Piarum causarum relicta duobus tantùm testibus vbique probantur.*

4 *Piarum causarum testamenta probantur ex scriptura manu solius testatoris scripta, & à duobus testibus recognita.*

SINGVLARE CCCLXIII.

1 TEstamentum factum coram Parocho, & duobus testibus valere nedū in foro Ecclesiastico, & in terris Ecclesiæ, sed & in foro seculari, & vbique latè defendit *Abbas in cap. Cum esses de testam. vbi sub num. 10. in fine* dicit, quod Iudices seculares possunt compelli ad ita seruādum, & Papæ auctoritatem in hoc inducit, ex quo mandat seruari ius Diuinum, quo habetur, quod in ore duorum, vel trium stat omne verbum, vt legitur expressè in dicto *cap. Cum esses*, & cui iuri Diuino lex humana ciuilis repugnare non potest. Data enim auctoritate Papæ; certum est, quod obediri debet. Sed quicquid sit etiam de modo quo Papæ auctoritas tali casu præualere debet, & de quo videndus est *Abbas vbi suprà*; certum est, quod indistinctè talis auctoritas in relictis ad pias causas ab om-
2 nibus admittitur, ex quo omnes fatentur, quod relicta ad pias causas sint mixti fori, vt dicit *Tiraquel. tract. de priuileg. piæ causæ, Priuileg. 149. in fine*, & sic meritò omnes
3 etiam conueniunt, quòd in relictis ad pias causas vbiq; sufficiant duo testes iuxtà *cap. Relatum* il primo *de testam.* vt pariter dicit *Tiraquel. in fine proemij ad prædictum tracta-*
4 *tum*, & secundum magis communem opinionem, de qua testatur *Grat. discept. foren. cap. 235. num. 26. & 27.* Nec requiritur quod interfuerint tali testamento, si sit scriptum manu testatoris, sed sufficit, quod illius manum recognoscant, quicquid dicat in contrarium *Clar. §. Testamentum, qu. 7.* vbi & ipse in conscientia ad id consentit.

ARGVMENTVM.

TEstamentum ad pias causas valet etiamsi coram Parocho non fuerit factum, si saltem duo testes interfuerint.

SVMMARIVM.

1 *TEstamentum ad pias causas valet etiamsi non fuerit factum coram Parocho, dummodo in eo duo, vel tres testes interfuerint, & quare.*

2 *Piarum causarum fauore valent legata testamenti coram duobus testibus tantùm facti, absq; præsentia Parochi, secus verò quoad alia relicta.*

3 *Piæ causæ relictum vt teneat requiritur secundum aliquos, quod ipsa pia causa hæres instituta fuerit.*

SIN-

SINGVLARE CCCLXIV.

1 TEstamentum ad pias causas valere etiamsi non fuerit factum coram Parocho, dummodo in eo duo, vel tres testes interfuerint, habetur ex *cap. Relatum* il primo *de testam.* Quamuis enim tale capitulum videatur loqui de relictis ad pias causas, & non de testamentis, & maximè ex quo de testamentis legitur actum in *cap. antecedenti Cum esses, eodem tit.* Tamen cum in *dicto cap. Cum esses*, agatur de testamentis in genere, & etiam ad non pias causas factis, & verba *Capituli Relatum* conueniant & testamentis, cum verbum Relictum verificetur & in institutione hæredis, cui hæreditas relinquitur, vtique & de testamentis ad pias causas factis in *eodem cap. Relatum* dispositum fuisse est censendum. Non enim vigere videtur maior ratio in legatis ad pias causas, quam
2 in institutione hæredis ad easdem, & Doctoribus communiter placere videtur opinio *Speculatoris*, vt dicit *Abbas in dicto cap. cum esses nu.* 12. scilicet quod quantum ad legata ad pias causas valeat testamentum factum coram duobus testibus tantùm, ex *dicto cap. Relatum*; sed in alijs relictis non ad pias causas, quod requiratur
3 Præsbiter cum duobos test bus, vt in *dicto cap. Cum esses*. Immo secundum aliquos, quos refert *Tiraq. de priuil. piæ causæ Priuil.* 2. *vers. intellige*, vt relictum ad pias causas teneat, requiritur, quod ipsa pia causa sit instituta hæres.

ARGVMENTVM.

TEstes non rogati sufficiunt in testamento ad pias causas, si ex coniecturis constat de voluntate testandi.

SVMMARIVM.

1 *TEstes non rogatos sufficere, vel non sufficere in testamento ad pias causas magna est controuersia; sed communiter obseruatur, quod sufficiant, & vide num. seq.*

2 *Piarum causarum fauore valent testamenta probata ex testibus non rogatis, si ex coniecturis appáret, quod interfuerit voluntas testádi.*

3 *Piarum causarum testamenta valent absque eo, quod constet ex coniecturis de voluntate testandi, si testes in eisdem testamentis sint rogati.*

4 *Testamentum non est aliud, quam voluntatis nostræ iusta sententia de eo; quod quis post mortem suam fieri vult.*

5 *Voluntas testandi non colligitur ex verbis, ego te hæredem facio: bona mea tibi relinquo, & similibus.*

6 *Adesse non dicitur, quod abesse contingere potest.*

7 *Velle facere non est facere.*

SINGVLARE CCCLXV.

1 TEstes non rogatos sufficere, vel non sufficere in testamento ad pias causas magna est inter Doctores controuersia. Talem tamen rogitum non esse necessarium censuit *Sacrum Cons. Neapol.* articulo latè, & ad partes discusso, *sub die* 8. *Octobris* 1603. vt est videre in *decis.* 46. *Nicolai Antonij Gizzarelli per totam.* Et quidem cum hæc opinio, quæ de stricto iure non transit sine difficultate, communiter obseruetur ad tradita per *Clarum in §. Testamentum quæ. 6. Vers. secundo infertur*, meritò tam in consulendo, quam in iudicando est sequenda, ad ea, quæ notat *Farinac. de oppos. con-*
2 *tra pers. test. quæst.* 62. *num.* 152. dummodo ex coniecturis appareat, quod interfuerit voluntas testandi; tales enim coniecturę
3 non videntur desiderari, quando testes sunt rogati, cum talis rogitus de per se ostendat talem voluntatem, quæ de neces-
4 sitate requiritur in testamento, quod non est aliud, quam voluntatis nostræ iusta sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit, vt habetur in *l.* 1. *ff. de testam.* Sed tali rogitu testium cessante, vtique
5 coniecturæ prædictæ sunt necessariæ, & non sufficiunt illa verba dispositiua, ego te hæredem facio: bona mea tibi relinquo, & similia, ad pulchrè tradita per *Cancer. var. resol. parte* 1. *cap.* 4. *de testam. num.* 76. & 77. *in impress. apud Iuntas Venetys* 1642. Talia enim verba, te hæredem facio, possent intelligi prolata animo complacendi; vel te hæredem facio in testamento, quod
6 facere volo. Et sic, vel non posset dici adesse, quod posset contingere abesse *cap.*

7 *Inter corporalia de Translat. Episc.* vel velle facere non esset facere, arg. *l. si repetendi Cod. de cond. ob caus.*

ARGVMENTVM.

Renunciatio, seù donatio bonorum facta intuitu professionis emittendæ in aliqua Religione est inualida, si sit facta ante ingressum in Religionem.

SVMMARIVM.

1 *Renunciatio, seù donatio facta intuitu professionis emittenda in Religione est nulla, si est facta ante ingressum in Religionem; sed contra num. 3.*

2 *Renunciatio, seù donatio facienda ab emissuro professionem in aliqua Religione est facienda intra duos menses ante ipsam professionem, & de licentia Episcopi, vel Vicarij.*

3 *Renunciatio, seù donatio facta intuitu professionis emittenda in Religione non est nulla, si est facta ante ingressum in Religionem; sed contra num. antecedenti primo, & seq. 4.*

4 *Renunciatio facta intuitu professionis non est tuta, si sit facta absque licentia Ordinarij, & ante ingressum in Religionem; & quare num. etiam seqq.*

5 *Renunciatio, seù donatio bonorum facta intuitu professionis omittenda in Religione est facienda intra duos menses ante professionem ad formam Conc. Trid. ne renunciantes retrahantur ab egressu à Religione propter timorem non recuperandi bona donata.*

6 *Exceptio firmat Regulam in contrarium in omnibus casibus non exceptis.*

SINGVLARE CCCLXVI.

1 Renunciationem, seù donationem factam intuitu professionis emittendæ in Religione, & quatenus talis professio sequatur, non valere, si facta fuit ante ingressum in Religionem vti contra formam *S. Conc. Trid. Sess. 25. cap. 16. de Regul. &*
2 *Mon.* vbi statuitur, quod fiat intra duos menses ante professionem de licentia Episcopi, seu Vicarij, non valere, inquam, dixit *Rota in Romana donationis de Mongellinis 14. Ianuarij 1636. coram Carillo nu. 17. & seqq. ex Nauar. & alijs*, qui ibi citantur, & tradit etiam *Barbosa in Collectan. ad dictum cap. Concilij*, post relationem tenen-
3 tium in contrarium. Verùm recessisse Rotam à dicta opinione latè notat *Rubeus sub num. 22. in annot. ad dictam decis. quæ inter suas est decisio 586. partis 5. recent. seù partis 2. sui primi tomi*, & contrariam secutam fuisse dicit, quam & à Sacra eiusdem Concilij Congregat. canonizatam tradit, & quam plurimis auctoritatibus firmat, adducendo etiam principalem rationem restrictionis, scilicet, Iuris communis, qua fit quod Concilium non possit extendi extra casum existentis in Monasterio, vt in eisdem verbis Concilij supponitur.

4 Sed ego, tot, tantisque per Rubeum congestis non obstantibus, tutè absque licentia Ordinarij, & ante ingressum in Religionem renunciari, non credo, quia
5 cum Concilium ita dispofuerit, vt quò magis fieri posset libertas egrediendi Nouitijs saluaretur, & ne ipsi ab egressu à Religione retraherentur propter timorem non recuperandi bona donata, vt obseruat *Rota in dicta decis. coram Carillo sub num. 18. & 19.* vtique magis nulla ex hoc iudicanda erit renunciatio facta ante ingressum in Religionem, quam facta post ingressum, & intra dictos duos menses, cum hæc sit sperands magis subsistens, tanquam facta ab experto iam in Religione. Ideò enim Concilium reduxit dictum actum intra duos menses ante professionem, & illum supposuit arbitrio, & licentiæ Ordinarij, vt non fieret absque morali certitudine secuturæ professionis, seù voluntatis ad professionem, & quæ voluntas colligi potest & ex continuatione in Religione per decem menses, & ex aperitione eiusdem voluntatis Ordinario ad effectum obtinendi dictam licentiam.

Nec videtur facere, quod Concilium loquatur solùm respectu iam ingressi in Religionem, quia duo dicit ibi Concilium, Alterum, quod ingressus in Religionem nulliter renunciabit, si absque licentia, & intra dictos duos menses hoc non facit, & hoc videtur restrictum. Alterum autem est, quod aliter facta renuntiatio sit irrita, & hoc est generale, & omnia tempora com-

6 comprehendit, cum exceptio firmet regulam in contrarium in omnibus alijs casibus non exceptis, vt dixit *Rota coram Ludouis. decis.* 257. *nu.* 4.

ARGVMENTVM.

VXor non est cogenda ad habitandum cum viro, nec etiam sub fideiussione, immò est ab ipso remouenda, si est tanta viri sæuitia, vt mulieri trepidanti non possit de sufficienti securitate prouideri.

SVMMARIVM.

1 *Vxor cogi potest ad cohabitandum cum viro, non obstante eius sæuitia, si vir cautionem cum fideiussoribus offert; sed limitatur num. seq.*

2 *Vxor non est cogenda ad cohabitandum cum viro, si sit tanta eius sæuitia, quod ipsi trepidanti non possit de sufficienti securitate prouideri, immò tali casu ab ipso viro est remouenda etiamsi ipsius metus insurgeret ex aliqua culpa ipsius, dummodo esset metus iustus, & aptus mouere prudentem, & discretum.*

SINGVLARE CCCLXVII.

1 VXorem cogi posse ad cohabitandum cum viro, non obstante eius sæuitia, videtur dicendum ex ijs, quæ tradit *Ricc. in decis. Cur. Archiepiscopalis Neapolitanæ parte* 2. *decis.* 68. *per totam*, vbi reuocatum fuit in dubio, qua cautione viri id fieri possit, & resolutum minimè standum esse cautioni iuratoriæ, quasi quod esset de indubitabili, si vir cautionem cum fideiussoribus offerret, quæ dicitur sufficiens cautio ad ea, quæ in *eadem decisione* habentur.

2 Verùm dictam decisionem intelligendam esse supposito casu, in quo cautioni sit standum apertè conuincitur ex textibus in *Cap. ex transmissa, & in cap. litteras de Restit. Spol.* in quibus apertè legitur, quod quando est tanta viri sæuitia, vt mulieri trepidanti non possit de sufficienti securitate prouideri non solùm non est cogenda ad redeundum, sed est à viro remouenda, quod procedit etiam si metus insurgeret ex aliqua culpa ipsiusmet vxoris, dummodo sit metus iustus, & aptus mouere prudentem, & discretum, ad ea; quæ notat *Layman in sua Theol. mor. lib.* 5. *tract.* 10. *parte* 3. *cap.* 7. *de Imped. matrim. num.* 16. *Vers. Tertia causa.* Ad quid enim valeret fideiussio in casu, in quo vel ob vindicandum honorem, vel ob aliam vrgentissimam causam posset timeri de nece vxoris.

ARGVMENTVM.

TEstes repetiti vt probent iuxta depositionem nulliter factam, nedum se debent referre in omnibus, & per omnia ad eandem depositionem; sed ipsa depositione prius eisdem lecta, eandem expresse confirmare debent.

SVMMARIVM.

1 *TEstes repetiti probant iuxta iam deposita, si se in omnibus, & per omnia referunt ad primam depositionem, etiam nulliter factam, vel saltem id remanet in arbitrio Iudicis; sed intellige, vt num. seq.*

2 *Testes repetiti, vt iuxta iam deposita probent, non solùm debent in omnibus, & per omnia ad depositionem iam factam se referre; sed ipsa eisdem lecta, eandem expressè confirmare, & approbare debent.*

3 *Testium dictis credere debet Iudex ex arbitrio, regulando ex verbis, & ex modo, quo illa proferuntur.*

SINGVLARE CCCLXVIII.

1 TEstes repetitos probare iuxta iam deposita, si se in omnibus, & per omnia retulerint ad primam depositionem etiam nulliter factam ex magis communi, & veriori opinione decisum tradit à *Rota Rom. Verall. decis.* 287. *parte* 3. & ad minus hoc esse repositum in arbitrio Iudicis, habetur præcipuè ex traditis per *Menoch. de Arbitr. cas.* 109. *num.* 3. & *ex Sanfel. decis.* 97. *in princ. parte* 1. vbi de communi testatur ex *Farin. de oppos. contra test. quæst.* 66.

2 *num.* 49. *vers. limita primo*. Non tamen simpliciter id est intelligendum, sed si lecta prius prima depositione ad interrogata respon-

spondeant, quod illam agnoscunt prò sua, illamque in omnibus, & per omnia confirmant, & quatenus opus sit denuo faciunt, & similia, vt ex eisdem, & alijs DD. habetur, & præcipue ex *Honded. cons.* 101. *nu.* 31. vbi prò, & contrà materiam ponit. Et quidem, si consideretur, quod simpliciter
3 se referre, non est confirmare, & quod ex verbis prolatis per testes, immò ex modo, quo illa proferuntur, Iudicis arbitrium regulari debet circa fidem adhibendam eorum attestationibus, ad ea quæ habentur in *l.* 3. *de test.* §. 1. vtique & prædicta concurrere debent, cum possit etiam esse, quod de iam depositis non recordentur, vt notat *Honded. vbi suprà, nu. seq.*

ARGVMENTVM.

Captura in delicto graui statim, constito de delicto in genere, committi debet, si timetur de fuga.

SVMMARIVM.

1 *Captura in materia variè sentitur, & practicatur, & Iudici arbitraria videtur.*

2 *Captura in delicto graui absque alia informatione, quam delicti in genere, committi debet, si timetur de fuga; & quare.*

3 *Excommunicatio non incurritur nec per Iudicem Ecclesiasticum mandantem, nec per laicos exequentes capturam Clerici, intuitu, ne ipse Clericus fugeret, & de intelligentia textus ad id citati.*

4 *Capturam committere debet Iudex, si legitima precedunt indicia, vt cautè agat, & suspectum non se reddat cum periculo in syndicatu; casu quo Reus fugeret.*

5 *Leges Sacros Canones imitari non dedignantur.*

SINGVLARE CCCLXIX.

1 Capturæ in materia quàm variè sentiant Doctores, & quam variè practicetur, est videre apud *Clarum, & Addentes ad ipsum in pract. crim. lib.* 5. §. *fin. quæst.* 28. *num.* 1. & 2. At suadetur tenendam esse opinionem asserentium ipsam esse reposi-
2 tam in arbitrio Iudicis; & quidem, si in delicto graui timetur de fuga, vtique absque alia informatione, quam de ipso delicto in genere, captura committi debet: minus enim malum est carcerare aliquem in dubio, quam non consulere iustitiæ, & quod
3 ita fieri debeat, sancitum videtur expressè in *cap. si Clericus de sent. excom. in* 6. vbi legitur, quod ex carceratione Clericorum etiam mediantibus laicis facta, intuitu, ne ipsi Clerici fugerent, non incurritur excommunicatio nec per Iudicem mandantem, nec per laicos exequentes, & quod dictus textus loquatur in casu, in quo legitimis indicijs non præcedentibus, captura commissa sit, dubitari non potest, quia si legitima indicia præcederent, casus fuisset indubitabilis, & declaratione Summi Pontificis *Bonifacij VIII*, qui *d. cap.* ita respondit,
4 nô indiguisset, cum præcedentibus indicijs Iudex capturam committere debeat, vt saltem cautè respectu sui ipsius agat, & suspectum non se reddat cum periculo in syndicatu, casu quo Reus aufugeret, vt obseruat *Baiard. ad clar. dicta quæst.* 28. *vers.*
5 *scias autem*, & sic idem seruandum videtur de Iure ciuili, cum leges non dedignentur sacros Canones imitari, vt legitur, & notatur *in cap.* 1. *de noui operis nunc.*

ARGVMENTVM.

Exilium in contractum deduci non potest.

SVMMARIVM.

1 *Exilium non potest imponi nisi per habentes merum imperium, cum sit pæna capitalis, vel saltem corporalis.*

2 *Exilium à partibus in contractum deduci non potest, & quare etiam num. seq.* 4.

3 *Principali vitiato, vitiatur accessorium; sed non è contra.*

4 *Exilium ad tempus in pace, seù remissione prò conditione apponi potest; sed contra.*

SINGVLARE CCCLXX.

1 Exilium non potest imponi nisi per habentes merum imperium, cum sit pœna capitalis, secundum *Bal. in l. Imperium num.* 10. *ff. de iurisd. omn. Iud. & alios, quos refert*

refert *Farin. de delict. & pœn. quæst. 19. nu.* 17. & saltem sit corporalis, ad *Boss. in tit.*
2 *de carcer. fideiuss. commit. num.* 7. & hinc fit, quod deducta talis pœna à partibus in contractum non teneat, cum sit extra eorum potestatem, ex quo exiliandus non est Dominus membrorum suorum, & multò minus ille, qui secum contrahit, quod in tantum est verum, secundum *Rouitum in Comment. ad Pragm. Regni, Pragm. 7. de Compos. &c. cons. incip. Liuius Musitanus*, quod si per modum conditionis fuerit apposita talis pœna in remissione, seù pace, adhuc reijcienda erit firma manente remissione,
3 quæ principaliter fuit considerata; cum vitiato principali, vitietur accessorium, non autem è contra, *l. Stychum, aut Pamphilum*
4 *in fine, & ibi Glos. ff. de fideiuss.* & quamuis loquatur ibi de exilio perpetuo, & supra *eod. tit. Nelli anni passati, &c. sub num.* 17. dicat quod exilium ad tempus potest in remissione apponi; tamen rationes, quas deducit ad excludendum exilium perpetuum videntur proportionabiliter militare, & in exilio ad tempus.

ARGVMENTVM.

EXul à Ciuitate est censendus exul, & à suburbijs.

SVMMARIVM.

1 *EXul à Ciuitate videtur censendus talis, & à suburbijs, in quibus Ciues congregari solent; & quare num. seqq.*
2 *Exilio damnatus dicitur quasi extra auxilium Ciuitatis constitutus.*
3 *Exilium non consideratur respectu priuationis soli patriæ, sed respectu priuationis fori, Curiæ, aliorumque publicorum locorum.*
4 *Exilium secundum Ciceronem verificabatur & in eo, qui se domi continebat.*
5 *Interpretatio stricta in pœnalibus est facienda.*
6 *Pœnatia non sunt strictè interpretanda, sed largè quando alias sententia eluderetur.*
7 *Ciuitate interdicta censentur interdicta & suburbia.*
8 *Exilium potius ab hominibus, quam à solo arcere debet.*

SINGVLARE CCCLXXI.

1 EXul à Ciuitate videtur censendus talis & à suburbijs, in quibus Ciues con-
2 gregari, & publicè conuersari solent. Cum enim secundum *Alber. in l. 2. de publ. Iud.* in exilium damnatus dicatur quasi extra
3 auxilium Ciuitatis constitutus, & exilium non consideretur respectu priuationis soli Patriæ, sed respectu priuationis fori, Curiæ, aliorumque publicorum locorum, ad ea, quæ refert *Rouit. super Pragm. Regni, Pragm. 2. de iurisd. inuicem non turban. in Alleg. Cæsaris Petriconi num. 86. præcipuè ex Cicerone prò sexto*, vtique non locum, sed publicas actiones Patriæ vitare tenetur ta-
4 liter exul effectus, vnde secundum *Cicer. loco citato*, etiam in eo, qui domi se conti-
5 nebat, exilium verificabatur. Quamuis enim in pœnalibus stricta interpretatio sit
6 facienda *cap. Pœna, de Pœnit. dist.* 1, tamen id cessat, quando eluderetur inde sententia, vt est textus notabilis in *cap. si Ciuitas,*
7 *de sent. excom. in sexto*, vbi disponitur, quod interdicta Ciuitate censeantur interdicta & suburbia, & continentia ædificia, ne vilipendi valeat sententia interdicti, & prout ex conuersatione cum Ciuibus in suburbijs
8 vilipenderetur sententia exilij, quæ ex prædictis potius ab hominibus, quam à solo arcere debet.

ARGVMENTVM.

GRatia in dubio præsumitur valida, si illam non proponat gratiatus, sed Fiscus, aut pars aduersa.

SVMMARIVM.

1 *GRatiam validam esse tenetur Reus probare in carceribus; sed id intelligi debet solùm in casu, in quo illam ipse Reus proponit, vt & num. seq. 4.*
2 *Onus probandi incumbit ei, qui dicit.*
3 *Validitas actus præsumi debet.*
4 *Fiscus, vel pars dicentes gratiam inualidam, id probare debent, & interim gratiatus, saltem ex abrupto, carcerandus non est.*

SIN-

SINGVLARE CCCLXXII.

1 GRatiam validam esse tenetur Reus probare in carceribus, ad ea, quæ notat *Laurent. in fine decis.* 47. *Auenionensis.* Verùm hoc intelligendum esse solùm in
2 casu, in quo Reus illam proponit, cum ei, qui dicit incumbat onus probandi, ex regula, de qua *Mascard. de probat. Concl.* 78. *num.* 1. suadetur, quia aliàs præsumi debet
3 prò validitate actus, *l. Quoties* la seconda
4 *ff. de reb. dub.* & quia si contrà proponerent fiscus, vel pars aduersa, ipsi id probare deberent, per regulam prædictam, quod ei, qui dicit incumbit onus probandi, & interim Reus contra regulam iuris non esset carcerandus, cum bonam præsumptionem, & fidem publicam, saltem apparentem in gratia obtenta haberet, quæ absque eo, quod prius saltem moneatur, eidem violari cum carceratione non debet.

ARGVMENTVM.

GRatia parte non concordata absque iusta causa, & quæ solùm ob bonum publicum iusta videtur, fieri non debet.

SVMMARIVM.

1 *GRatiam validam, vel non validam esse, parte non concordata, dubitatur; sed vide num. seqq.*
2 *Gratia est valida etiam parte non concordata, si ex iustis causis facta sit; & quæ iusta causa videtur.*
3 *Publicum præfertur priuato.*
4 *Gratia parte non concordata fieri non debet regulariter.*
5 *Ius alienum exhauriri non potest.*
6 *Indultus, parte reclamante non tenet; si ex iusta causa, quæ publica solùm talis videtur, concessus non sit.*

SINGVLARE CCCLXXIII.

1 GRatiam validam, vel non validam esse parte non concordata, habetur in *decis. Auenionens. collectis à Laurentio, sub*
2 *decis.* 47. ex qua elicitur validam esse, si ex iustis causis facta fuerit, & decisionis factum consistit in causis bonum publicum respicientibus, quæ solùm in similibus at-
3 tendi debere videntur, cum publicum præferatur priuato, *Authen. Res quæ Cod. com.*
4 *de leg.* & regula sit, quod gratia parte non
5 concordata minimè fiat ex eo, quod ius alienum exhauriri non potest, ad ea, quæ in theorica, & practica notat ad propositum *Vincent. de Anna in Repet. ad tex. c.* 1. *de vasal. decrep. ætat. n.* 251. *& seqq.* vbi *sub n.*
6 254. & de quodam qui fuit suspensus non obstante indultu, parte reclamante, mentionem facit, forsan quia absque iusta causa, saltem publica, quæ vt dictum fuit, sola attendenda videtur, indultus concessus fuerat.

ARGVMENTVM.

MAndans inquiri non potest, si non constat de mandatario.

SVMMARIVM.

1 *MAndans inquiri non potest, si non constat de mandatario, & quare num. seqq.*
2 *Auxiliator ad delictum molestari non potest, si prius non constet de delicto, & de principali delinquente verè, & realiter, & non per contumaciam.*
3 *Mandans non molestatur nisi prius constet plenè de delicto, & de mandatario delinquente, qui respectu mandantis stat loco corporis delicti.*

SINGVLARE CCCLXXIV.

1 MAndans inquiri non potest, si non constat de mandatario, secundum *Marsil. in cons.* 49. *&* 50. *primi libri*, relatum per *Foller. in pract. crim. Rubr. Capiat informat. num.* 70. Et quidem plenè de ip-
2 so mandatario constare debet, vt dicitur de auxiliatore ad delictum, contra quem procedi non potest, si prius non constet de ipso delicto, & de principali offendente, seù delinquente verè, & realiter, & non per fictam confessionem habitam ex contumacia, ad ea, quæ ex pluribus tradit *idem Foller. vbi suprà num. anteced.* 69. & præcipuè ex eodem *Marsil. in praxi crimin.*

num. §. Constante, num. 40. *& 53. & in l. Si*
3 *in rixa ff. de Sicar.* Mandatarius enim stat loco corporis delicti respectu mandantis, qui non solùm inquiritur, quod committi fecerit tale delictum, sed quod illud committi fecerit per talem mandatarium, & sic de toto ipso corpore delicti, de delicto scilicet, & de delinquente principali, vt dicit *ipse Foller. dicto num. 69.* in primis, & ante omnia plenè constare debet, ad latè tradita per *Farinac. de Inquisit. qu. 2. num. 6.*

ARGVMENTVM.

LOcum Datij pertransiens absque solutione non perdit bona Datio obnoxia, sed tantum tenetur ad Datium duplicatum, si non adsunt præsumptiones, quod id animo fraudandi fecerit.

SVMMARIVM.

1 *DAtio non soluto, dans terga publicis capsis perdit bona, quæ portat, quæ incidunt in commissum; sed limita vt num. seq.*
2 *Datium non soluens per errorem, & non per fraudem, tenetur solùm ad datium duplicatum, & in dubio error, & non fraus tali casu præsumitur.*
3 *Delictum non præsumitur.*
4 *Bonus quilibet existimari debet, & neminem lædens.*

SINGVLARE CCCLXXV.

ETsi clara videatur dispositio iuris, quod qui publicis capsis terga dat non sol-
1 uendo datium de bonis, quæ portat, illa perdat, & incidat in commissum, vt habetur ex *l. Interdum §. Diui*, il primo, *ff. de publ. & vectig. vbi ita notant omnes*, & de forensi, ac eo, qui nec etiam fuit monitus, & requisitus ad soluendum, ex clara dispositione eiusdem textus, latè tradit *Farinac. de furt. qu. 172. de fraud. Gabel. parte 1. nu.*
2 *12. 13. 17. & 18.* Tamen id intelligendum esse quotiescunque adsunt præsumptiones bonam fidem excludentes, conuincitur ex *§. Diui* il secondo, *eiusdem l. interdum*, quo taliter non per fraudem, sed per errorem pertranseuntes, solùm ad soluendum datium duplicatum obligantur in pœnam forsan negligentiæ in non inuestigando ea, quæ sunt de generali consuetudine, & communiter obseruantur. Dato enim dubio, an per errorem, vel per fraudem id factum fuerit, si præsumptiones, vel indicia fraudem non persuadent, vtique per errorem
3 id factum fuisse est censendum, cum delictum non præsumatur, *l. Merito ff. pro socio,*
4 & quilibet existimetur bonus, & neminem lædens, *cap. vlt. de præsumpt.*

ARGVMENTVM.

PRobationes ad defensam, iuris assistentia validiores fiunt.

SVMMARIVM.

1 *PRobationes Rei præualent in pari gradu, etiamsi pleniores sint probationes Fisci, & videtur verum, etiamsi inuicem aduersentur.*
2 *Innocentia habet præsumptionem prò se.*
3 *Defensio probata per vnum testem præualet accusationi probatæ plenè, itaut inquisitus liberari, & absolui debeat à pœna, & quare.*

SINGVLARE CCCLXXVI.

1 PRobationes Rei præualere in pari gradu, etiamsi pleniores sint probationes Actoris, tradit *Alex. cons. 30. nu. 12. lib. 7.* Et videtur verum in criminalibus, in quibus terminis loquitur ipse, etiamsi probationes Rei aduersarentur probationibus Fisci, cum ius ipsum assistendo innocentiæ,
2 prò qua præsumi debet *l. merito ff. prò socio cap. vlt. de præsumpt.* augeat Rei probationes, & sic, quamuis debiliores videantur ex se ipsis, tales in effectu non sunt, inspecta assistentia iuris, quæ est tam fortis, vt suppleat probationis dimidium, ad ea, quæ
3 tradit *Surd. conf. 173. num. 67.* vbi ait secundum aliquos veram esse opinionem, quod etiamsi accusator plenè delictum probauerit, inquisitus absolui, & liberari debet à pœna, si vnicum testem prò se habeat ad defensam, quæ non ob aliud probari posse videtur dicto vnius testis, nisi quia iuris præsumptio prò alio teste facit.

AR-

ARGVMENTVM.

PRæsumptio iuris, & de iure reddit confessum, & conuictum, & non nisi defensionem à lege approbatam admittit.

SVMMARIVM.

1 *PRæsumptio iuris, & de iure est adeo fortis, quod Iudicis partes nullæ sunt, nisi in condemnando, cum sit clarissima, & apertissima probatio, quæ confessum, & conuictum reddit.*

2 *Præsumptio iuris, & de iure nullam excusationem admittere videtur, quæ à lege non sit approbata, & quare numeris seqq.*

3 *Viam rectam declinans in commissum cadit.*

4 *Via recta ex vrgenti necessitate declinari potest.*

SINGVLARE CCCLXXVII.

1 DAta aliqua præsumptione iuris, & de iure est adeo fortis, quod Iudicis partes nullæ sunt, nisi in condemnando illum, contra quem talis præsumptio militat, cum sit apud legem talis præsumptio clarissima, & apertissima probatio, qua inquisitus confessus, & conuictus iudicatur, ad ea quæ etiam exemplificando deducit *Menoch. de præsumpt. lib. 1. qu. 97. num. 1.*
2 *2. & 3.* Et hoc est adeo certum, quod nulla excusatio à lege non approbata nec etiã vrgentissima admitti posse videtur, si con-
3 sideretur, quod ex præsumptione incidit in commissum qui à via recta declinat, ad *l. qui fiscales*, vbi *Bart. de Nauic.* & ad latè tradita per *Ripam, tract. de Peste, vers. deuenio nunc, num. 19. & seqq.* & per *Farin. qu. 172. parte 1. de furt. num. 19.* & vt pos-
4 sit excusari à necessitate vrgenti declinandi, fuit opus, quod id exprimeretur in *l. 2. §. si quid: ibi, nisi angustiæ ff. si quis autem.*

ARGVMENTVM.

PRò pœna extraordinaria etiam pœna corporis afflictiua irrogari potest.

SVMMARIVM.

1 *POena mortis, vel corporis afflictiua, quando ex aliqua causa est minoranda, non in aliam corporalem, sed in pœnam pecuniariam est reducenda; sed contra num. seq. 3.*

2 *Pœna extraordinaria ex indicijs, & præsumptionibus vltra pœnam pecuniariam, nunquam irroganda videtur; sed contra num. seq.*

3 *Pœna extraordinaria etiam corporis afflictiua, secundum aliquorum practicam, irrogatur, & ita de iure fieri potest, vt num. seqq.*

4 *Probationes omnes sunt in arbitrio Iudicis.*

5 *Pœna etiam ordinaria punire potest Iudex ex indicijs, & præsumptionibus, & quarè.*

SINGVLARE CCCLXXVIII.

1 POena mortis, vel corporis afflictiua, quando ex aliqua causa est minoranda, non in aliam corporalem, sed in pœnam pecuniariam est reducenda, ad tradita per *Gram. cons. 39. num. 4. & 12. ac alibi*, vt ipsum sequendo obseruat *Franc. Cicero in responso impresso in cons. 60. Farinac. sub num. 25.* & secundum hæc, pœna extraordinaria ex indicijs, & præsumptionibus, vltra pœnam pecuniariam, nunquam irrogari posset, vt faciunt etiam ea, quæ deducit *Clar. in pract. quæst. 20. nu. 6.* præcipuè ex *Bossio in tit. de conuict. num. 34.* vbi testatur de communi.
2 Verum contrarium seruari in practica subdit idem *Clar. vbi suprà*, nedum in statu Mediol. sed & in Sacro Conf. Neapol. ex traditis per eundem *Gram. sæpè*, & præ-
3 cipuè *decis. 42.* Condemnantur enim quotidie, vt dicit ipse *Clarus* Rei à Senatu in pœnas extraordinarias triremium fustigationis, ictuum funis, & huiusmodi, & hoc
4 ex indicijs, & præsumptionibus. Et quidem, si probationes omnes sunt in arbitrio Iudicis, vt latè tradit *Menoch. de Arbitr.*
5 *cas. 90. præcipuè sub num. 2.* vtique ex præsumptionibus, nedum pœnam extraordinariam, sed & ordinariam ipse Iudex irrogare posset, vt secundum aliquos expresse dicit *Clar. vbi suprà, vers. Alij dicunt totum contrarium:* præsumptiones enim possunt esse ita vrgentes, quod illis, plus quam testibus, qui falsi esse possunt, sit fidendum, & sic practica prędicta *Clari* nedum suprema

ma Tribunalia, sed & Iudices ordinarij vti possent, contra ea, quæ post latè materiam discussam, concludit *Farinac. de Reo confess. & conuicto, quæst.* 86. *in fine*, vbi arbitrium Iudicis ordinarij tali casu solùm extendit ad pœnam exilij, vel ictuum funis.

ARGVMENTVM.

SOcius criminis in testem ad defensam admittendus non videtur.

SVMMARIVM.

1 *Socius criminis in testem prò socio ad defensam admittendus videtur; sicut admittitur prò fisco, sed contra num. seq.* 3.

2 *Rei causa fauorabilior, quam causa Actoris à Iure reputatur.*

3 *Socius criminis non videtur admittendus prò socio ad defensam, & quare.*

4 *Testificari nemo potest in causa propria.*

5 *Testis qui pluribus exceptionibus laborat nullo modo attendi debet.*

SINGVLARE CCCLXXIX.

1 SOcium criminis admittendum esse in testem prò socio ad defensam, videtur suaderi ex eo, quod admittitur contra socium prò Fisco, ad ea, quæ notat *Clar. in pract. quæst.* 21. *nu.* 4. & facit contra ipsum indicium, iuxta ea, quæ ipse *Clar. subdit num. seqq.* vltra quod passim examinantur Rei vti principales in se, & testes quoad alios. Si enim ad Fisci fauorem, & ad offensam inhabiles admittuntur, cur non de-
2 bent admitti contra Fiscum, & ad defensam prò Reo, cuius causa fauorabilior à Iure reputatur? Sunt verba *Farinac. de oppos. contra pers. test. quæst.* 62. *limit.* 5. *num.* 97. vbi subdit, quod non videt congruam rationem.

3 Verùm quicquid sit de alijs testibus inhabilibus, non ita absolutè dicendum est de socio criminis; sed solùm quando deponeret de ijs, quæ nullo modo sibi iuuare possent in causa communi cum ipso socio, quod forsan contingere non potest, si consideretur, quod excusando socium minuit saltem ipsum delictum, & sic quodammo-
4 do in causa propria testificatur, contra *l. Nullus ff. de test. cum simil.* quod non est quando deponit prò Fisco contra socium, contra quem etiam, vt saltem aliqualiter probet, non debet deponere ad sui exone-
5 rationem, quia cum tali casu pluribus exceptionibus laboraret, nullo modo attendendus esset, ad *Farinac. de oppos. con. dict. test. quæst.* 62. *num.* 381. & 382.

ARGVMENTVM.

TEstes consanguinei etiam in causa criminali Iudicis arbitrio admittuntur.

SVMMARIVM.

1 *TEstibus consanguineis etiam in causa criminali Iudicis arbitrio creditur, & quare num.* 3. *in fine.*

2 *Probationes omnes sunt Iudici arbitrariæ.*

3 *Testium fides in Iudicis arbitrio est posita.*

SINGVLARE CCCLXXX.

1 TEstibus consanguineis etiam in causa criminali Iudicis arbitrio credi sublimitando tradit *Ant. Gabr. concl.* 13. *de Test. num.* 26. & limitando principaliter *num.*
2 31. Et quidem rectè, cum probationes omnes sint Iudici arbitrariæ, vt latè scripsit *Neuiz. lib.* 5. *Syluæ nupt. in fine*, quem re-
3 fert *Menoch. de arbitr. cas.* 90. *nu.* 2. postquam *num. antecedenti* præmisit testium fidem in Iudicis arbitrio positam esse. Si enim testibus consanguineis non creditur ex eo, quod possit præsumi ex affectione falsum deponere, quare ex alia præsumptione probitatis vitæ, vel similis eisdem credi non debet?

ARGVMENTVM.

TEstibus submnistrandæ sunt expensæ, sed in criminalibus à Reo tantum.

SVMMARIVM.

1 *TEstibus subministrandæ sunt expensæ prò veniendo stando, & redeundo; sed limita in criminalibus, vt num. seq.*

2 *Testibus inductis à Reo in criminalibus subministrantur expensæ, secundum practicam Regni Neapol. secus inductis ab Accusatore, quibus etiam subministrandæ viderentur; sed contra, & quare.*

3 *Delicta puniri publicè interest.*

4 *Inquisitio, & quærela hodie cumulantur.*

SINGVLARE CCCLXXXI.

1 TEstibus subministrandas esse expensas habetur ex *l. Quoniam Cod de test.* idq; procedere prò veniendo, stando, & redeundo, legitur in *C. Statutum §. Prò ferendo de rescript. in 6.* & ita quoad testes inductos 2 prò Reo practicari in Regno tradit *Foller. in pract. crim. parte 2. rubr. Capiat informationem num. 65.* subdens quod ita practicari etiam deberet respectu testium ab Accusatore inductorum, cum, vt dicit ipse, eadem sit ratio; Sed non est ita si consideretur, quod isti deponunt prò causa publi- 3 ca cum publicè intersit delicta puniri, vt ad mentem omnium dicit *Farinac. de delict. & pæn. qu. 17. num. 2.* idque faciant ad instantiam, ne dum fisci, sed etiam ipsiusmet 4 Iudicis, cum hodie quærela, & inquisitio cumulentur, ex quo in omnibus delictis inquiri potest, ad tradita per *Farinac. de inquisit. quæst. 1. num. 10.*

ARGVMENTVM.

COmmodatarius, vti diligens Pater familias re commodata vti debet.

SVMMARIVM.

1 *COmmodatarius re sibi locata, vti diligens Pater familias, vti debet.*

2 *Equo commodato ad equitandum non potest imponi valisia, vel aliud pondus.*

3 *Culpa vltima attenditur, & nocet, cum culpa proxima, & immediata, non autem remotæ damnum attribuatur.*

4 *Consuetudo est probanda in terminis casus controuersi.*

SINGVLARE CCCLXXXII.

1 COmmodatarium re sibi commodata vti diligentem patrem familias vti debere tradunt *Glossa, & DD. in l. Videamus ff. loc.* & sic ipse non videtur excusandus à culpa, si res periret ex facto, quod 2 ipse Pater familias non fecisset; puta ex delatione famuli in clunibus equi còducti ad equitandum, vel vt dicit *Bart. in l. Qui Insulam §. Qui Mulas ff. loc.* ex impositione valisiæ super eundem equum; tali enim facto absque consideratione alterius causæ 3 anterioris mors equi attribui posset, cum culpa vltima semper attendatur, & noceat, ex quo culpæ proximæ, & immediatæ non autem remotæ damnum attribuitur, ad tradita per *Monach. decis. Bonon. 53. nu. 12. & decis. 65. num. 15. Crauet. cons. 8. nu. 24. & Caroc. loc. & cond. lib. 4. tit. quæ excusant à culpa nu. 25.* & prædicta procedere viderentur non obstante etiam consuetudine talia faciendi in contrarium, videntibus, & patientibus ipsis locantibus, si ta- 4 lis consuetudo, ad *Rotam coram Ludouis. decis. 45. num. 6. & alibi latè, vt in addit. ad eandem decis. num. 8.* non probaretur in terminis casus controuersi, scilicet cum patientia locantium, etiam in euentum, quod res periret, & non alias &c.

ARGVMENTVM.

SEntentiæ contumaciales capitales, si cum fundamento impugnari possunt, non sunt simpliciter, sed citrà mortem exequendæ.

SVMMARIVM.

1 *SEntentiæ contumaciales capitales, si impugnari possunt, sunt moderandæ, & citra mortem exequendæ, & prout sic exequuntur quando excedunt in pœna.*

2 *Sententiæ contumaciales capitales, si in parte non subsistunt, omnino nullæ reputari debent; sed videtur contrà.*

3 *Sententia habet præsumptionem prò se, donec contrarium comprobetur.*

SINGVLARE CCCLXXXIII.

QVicquid sit de executione aliarum sententiarum in contumacia latarum, vti- 1 que Iudices abstinere debent à totali executione capitalium, quando Rei aliquid releuans contra ipsarum firmitatem opponere possunt, cum per ipsarum exe-

cu-

cutionem deueniatur ad actum irretractabilem, & sic per mortem præcludatur omnino Reis via, qua ex detectione eorum veræ innocentiæ possint facere cessare in totum, vel in parte pœnas eorum fictæ confessionis ex contumacia, & sic non immeritò tales sententias, quæ de excessu in pœna redargui possunt, moderandas, & præter mortem exequendas dicit *Plot. inter caus. diuers. cons. 72. vol. 2. in magnis*, & ita sæpius obtinuisse tradit *Farinac. de Inquis.*
2 *quæst. 11. num. 62.* addendo quod in totum, secundum communem opinionem tali casu prò nullis dictæ sententiæ habendæ essent, quod forsan non procedit, si consideretur, quod vtile per inutile vitiari non debet *l. Pecuniæ ff. de Vsur.* & quod Reus si puniatur citra mortem, semper potest fa-
3 cere rescindere sententiam, prò qua semper est præsumendum, donec in contrarium comprobetur *cap. In præsentia de Renunciat.*

ARGVMENTVM.

Allegatio absentiæ non prodest nisi postquam fuerit saltem iuramento probata.

SVMMARIVM.

1 *Allegans absentiam Rei tenetur illam probare saltem suo iuramento.*
2 *Absentia saltem iuramento illam allegantis non probata nullatenus supersedere facere debet, & quare num. seq.*
3 *Absentia, maximè quando allegatur, non præsumitur, & neque ad illam probandam supersessoriam inducere valet.*

SINGVLARE CCCLXXXIV.

1 Allegans absentiam Rei tenetur illam probare saltem suo iuramento, ad tradita per *Foller. in pract. crim. in rubrica*
2 *Audiantur excusatores nu. 15.* & anteaquam saltem taliter probetur nullatenuus in cau-
3 sa est supersedendum, cum absentia, maximè quando allegatur, non præsumatur, ad magis consentaneam iuris opinionem, ex rationibus adductis per *Mascard. de probat. conclus. 5. num. 2. 3. & 4.* Aliter enim dicendo supersessoriam, quam allegans absentiam directè obtinere non posset, ipsa non probata, indirectè illam reportaret ex termino sibi ad illam probandam assignato, & quem terminum audacter quisque ad protrahendum peteret, si saltem tali iuramento non præmisso ipsius pœnas in casu contrarij non timeret.

ARGVMENTVM.

Arma auferenda à confugientibus ad Ecclesiam mandato Iudicis Ecclesiastici auferri debent.

SVMMARIVM.

1 *Res propria vbicumque accipi posse videtur, etiam clam, & furtim; sed limita vt numeris seqq.*
2 *Iurisdictionem exercere in Ecclesia nullatenus licet Iudici laico.*
3 *Iurisdictionem exercere in alieno territorio non licet.*
4 *Ecclesia est in territorio Principis secularis, sed non est de territorio eiusdem, saltem in ijs, quæ eius fauorem non respiciunt.*
5 *Rem suam propria auctoritate accipiens peccat, faciendo iniuriam Magistratui constituto ad reddendum vnicuique ius suum.*
6 *Res propria ritè accipitur propria auctoritate, si illa alia ratione recuperari non potest absque notabili molestia, vel expensis; & si fiat absque scandalo.*

SINGVLARE CCCLXXXV.

1 Rationes, iura, & auctoritates, quæ suadent posse auferri arma confugientibus ad Eccesiam, non inferunt, quod id Iudex, vel executor laicus facere possit, nisi in quantum videtur, quod arma tanquam prohibita sint Principis secularis, & cuique liceat rem suam vbicunque accipere, etiam clam, & furtim, ad tradita inter alios per *Lesium de Iust. & iur. lib. 2. cap. 12. dubit. 10. num. 57.* Sed nec ex hoc prædicta
2 opinio substineri valet ex quo non licet Iudici seculari aliquam iurisdictionem in Ecclesia exercere, vt in puncto huius casus obseruat *Farinac. in Appendice de Immun. Eccles. cap. 16. num. 248. ex cap. 1. extra de* Im-

Immun. Eccles. & ex cap. 2. eodem tit. in 6. vbi id firmant omnes, vt dicit *Genuen. in*
3 *praxi Archiep. Neapol. cap. 34. num.* 10. Iudicaret enim in alieno territorio, contra *l.*
4 *Extra territoriū ff. de iurisd. omn. iud.* Quamuis enim Ecclesia possit dici in territorio Principis secularis, non potest tamen dici de territorio eiusdem, saltem in ijs, quæ eius fauorem non respiciunt, vt tradit idem *Farinac. vbi suprà cap. 22. num. 357. Vers.*
5 *& prò hac secunda limitatione*; Et si diceretur quod procedit, vt priuatus, non vt iurisdictionem exerceat, sed vt tantum rem suam accipiat, adhuc responderi potest, quod etsi rectè illam acciperet, tamen id non faceret ritè, immò peccaret faciendo iniuriam Iudici Ecclesiastico, qui tali casu est constitutus ad reddendum cuique ius suum in territorio sibi commisso, per ea, quæ obseruat *Lessius, vbi suprà, ex D. Tho-*
6 *ma 2. 2. quæst. 66. art. 5. ad 3.* Requiritur enim ad euitandum peccatum, quod qui accipit propria auctoritate rem suam, non possit illam alia ratione redipisci, absque notabili molestia, vel expensis, vt subdit idem *Lessius num. seq. 59.* & sic ad summum posset executor laicus sistere arma prædicta, ne dum Iudicem Ecclesiasticum adit prò illis capiendis subducerentur, non autem illa ab Ecclesia extrahere, & ex se sibi illa vindicare, stante etiam scandalo, quod ex tali actu oriri solet, cum res propria solùm secluso scandalo de facto reaccipi valeat, ad ea, quæ obseruat idem *Lessius, vbi suprà, vers. Quarta vt absit.*

ARGVMENTVM.

Violantes immunitatem Ecclesiasticam nō possunt allegare ignorantiam Bullæ Gregorij XIV. super id emanatam, & maximè si sint Iudices, & ministri laici.

S V M M A R I V M.

1 *Ignorantia allegari non potest aduersus incursum pœnarum contentarum in Constit. Greg. XIV. super immunitatem.*

2 *Immunitatis Ecclesiasticæ violatæ pœnas non effugiunt Iudices, & Ministri laici ex capite ignorantia, & quare num. seq.*

3 *Scire quilibet debet ea, quæ ad suum officium spectant, & in ijs prò sciente habetur.*

4 *Exceptio firmat regulam in contrarium.*

SINGVLARE CCCLXXXVI.

1 Ignorantiam allegari non posse aduersus incursus pœnarum impositarum in Const. Greg. XIV. contra indebitè extrahentes, qui ad Ecclesias confugiunt, clarè tradit *Farinac. in Appendice de Immunit. Eccles. cap. 20. num. 326.* vbi respondet & ad ea, quæ in contrarium scripsit *Mar. Ital. de Immun. Eccl. lib. 1. cap. 6. §. 2. num. 88.*
2 *& seqq.* Sed absque vllo dubio id procedere debet respectu Iudicum, & Ministrorum laicorum, qui ex eorum officio extrahi
3 mandant, vel extrahunt, cum ipsi ea, quæ ad ipsorum officium spectant, scire teneantur, & in ipsis prò scientibus habeantur, ad ea, quæ latè congerit ipse *Farinac. parte 2. fragm. crimin. sub littera I. n. 162. & seqq.* Si enim quæ ad eorum officium spectant, sciunt, vel scire præsumuntur, vtique sciunt, & scire præsumuntur quæ extra eorum officium sunt, cum excepto eorum munere reliquum totum sit alienum, per
4 vulgatum axioma, quod exceptio firmat regulam in contrarium *l. Quæsitum §. Inde Neratius ff. de fundo instr.*

ARGVMENTVM.

Opinio probabilis sequi non potest, si altera minus etiam probabilis à superiore seruanda præcipiatur.

S V M M A R I V M.

1 *Opinionum duarum probabilitate data, si altera ipsarum à Superiore præcipiatur, subditus illam sequi tenetur, etiamsi magis probabilem alteram iudicet; & quare.*

2 *Obediendum est inspecto solùm, quod id, quod præcipitur, præcipitur, vel proponitur ab eo, qui locum Dei tenet, & quod non est illicitum.*

3 *Ignorantia iuris dubij ad excusationem admittitur.*

4 *Facta plus valent, quam verba.*

5 *Obseruantia ius dubium decidit.*

SIN-

SINGVLARE CCCLXXXVII.

1 DAta duarum opinionum probabilitate, si altera ipsarum à Superiore præcipiatur, subditus illam sequi tenetur, etiamsi magis probabilem alteram iudicet, cum Superior habeat ius præcipiendi bonum, & bona sit opinio probabilis, vt omnia obseruat *Sayrus in sua Claui Regia lib. 1. cap. 12.* & faciunt ea, quæ de obedientia tradit *Lessius de iust. & iur. lib. 2. cap. 46. du-*
2 *bit. 4. & 5.* vbi *sub num. 29.* loquendo de cæcitate obedientiæ cumulat multa ad ostendendum, quod satis est, si id quod præcipitur, præcipiatur, vel proponatur ab eo, qui locum Dei tenet, & non constet per se
3 esse illicitum, & hinc infertur, quod in casu iuris dubij ex varijs, & contrarijs Doctorum opinionibus, in quo ignorantiam ad excusationem pœnarum allegari posse tradit latè *Farinac. in fragm. crimin. parte 2. littera I. num. 166. & seqq.* non procederet excusatio, si Superiores soliti essent puni-
4 re, cum sic factis, quæ plus valent, quam verba, *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 1. nu. 83.* declararent, & præciperent di-
5 ctum ius controuersum, & per talem obseruantiam tale ius dubium remaneret decisum, ad tradita per *Rotam coram Seraph. decis. 1410. num. 16.*

ARGVMENTVM.

INteresse alterius interesse probatis requisitis absque vsuraria labe peti potest, & debetur, & solùm interesse lucri cessantis ab initio pacisci non valet.

SVMMARIVM.

1 *Interesse alterius interesse non debetur, & maximè si tractetur de interesse, etiam remoto anatocismo, & superfœtatione; sed vide num. seqq.*
2 *Interesse alterius interesse ab initio in pactum deduci non potest, stante Bulla Pij V. super cens. secus autem de Iure Communi; sed vide num. seqq.*
3 *Bulla Pij V. super censibus prohibet solùm deduci in pactum ab initio interesse lucri cessantis.*
4 *Damnum emergens etiam mediatum multiplicatum, & quoquomodo calculatum semper debetur.*
5 *Lucrum cessans peti semper potest, si liquidetur cum requisitis Pauli de Castro in l. 3. ff. de eo, qui certo loco; & quare Bulla solùm prohibeat, vt supra.*

SINGVLARE CCCLXXXVIII.

1 INteresse alterius interesse non deberi, & maximè si tractetur de interesse, etiam remoto anatocismo, & superfœtatione, latè tradit *Scaccia de commerc. & camb. §. 7. Gloss. 2. num. 39. & 40.* & ad hoc sunt textus clari in *l. Vt nullo modo Cod. de vsur. cum*
2 *simil.* quod quidem intelligendum venit, si ab initio in pactum id non sit deductum, cum de iure communi tale pactum sit licitum, ad ea, quæ tradit *Cencius de cens. parte 2. cap. 1. quæst. 3. art. 5. num. 12.* & solùm prohibeatur ex *Bulla Pij V. de cens.* quæ vt
3 præmittit idem *Cenc. vbi suprà* non prohibet pacisci de damno emergente, sed tan-
4 tùm de lucro cessãte; damnum enim emergens etiam mediatum multiplicatum, & quomodocumque calculatum semper debetur, vt dixit sine vlla difficultate *Rota Ge-*
5 *nuen. decis. 87. in fine*, nec pariter dicta *Bulla* tollit, quod etiam lucrum cessans peti semper valeat postea, si liquidetur cum requisitis *Pauli de Castro in l. 3. ff. de eo, qui certo loco*, per ea, quæ ibidem obseruat idem *Cencius*. Et non est mirum, quod solum lucrum cessans vigore dictæ *Bullæ* in pactum deduci ab initio non possit, quia solùm in eo vsura palliari posse videtur, cum damnum emergens sit quid positiuum, & semper possit cognosci, an emerserit, nec ne; quod fieri non potest in lucro cessante, cum ille, cui cessaturum fore prætenderetur, posset pacisci etiam absque eo, quod haberet animum mercandi, & lucrandi, & sic palliatio detegi non valeret.

ARGVMENTVM.

REus ab Ecclesia, contra immunitatem, Summo Pontifice permittente, extractus, & aliqua graui pœna punitus, mitiori tamen illa, qua ob delictum commissum puniendus erat, vlterius puniri, aut molestari non debet.

SVMMARIVM.

1 *Confugientes ad Ecclesiam pœna saltem graui puniri non valent.*
2 *Confugientibus ad Ecclesiam pœnitentia aliqua publica indici potest solùm si postea liberè ab Ecclesia eisdem exire sit permissum, absque eo, quod vlterius non puniantur, neque molestentur.*
3 *Immunitate non obstante, extracti, & puniti Summo Pontifice permittente aliqua pœna graui, mitiori tamen, quam debita, quare vlterius puniri, & molestari non debent.*

SINGVLARE CCCLXXXIX.

SOlet aliquando Summus Pontifex ob malam qualitatem personarum ad Ecclesiam confugientium permittere, quod contra immunitatem ex ipsis Ecclesijs extrahantur, & aliqua graui pœna, etiam triremium, ad tempus puniantur, sed tali casu vlterius puniri non posse est tenendum,
1 quia confugientes ad Ecclesiam pœna sal-
2 tem graui puniri non valent, & publica aliqua pœnitentia indici potest solùm si postea liberè ab Ecclesia eisdem exire sit permissum, ac ita & taliter, quod propter delictum, cuius causa ad Ecclesiam confugerunt, vlterius non puniantur, neque molestentur, vt articulum disputando tradit *Gambacurta de Immun. Eccles. lib. 4. cap. 31. sub num. 7. & Farinac. in Appendice de Immun. Eccles. cap. 21. num.* 340. absque du-
3 bio enim præsumi debet, quod Summus etiam Pontifex talia permittendo, ita intelligat, cum aliàs ipse pœnam pœnæ adderet, & sic vltra condignum puniri permitteret, nec est inconueniens, quod puniendus pœna mortis naturalis tali pœna triremium liber euaderet, quia plus forsan expedit dicta certa pœna mitiori triremium illum ab alijs flagitijs coercendo punire, quam incertæ capitali incumbere, & interim, quod non capitur, finere quod in alia crimina possit ruere.

ARGVMENTVM.

PArochus ob non residentiam priuari potest Beneficio, etiam non præmissis alijs pœnis, dummodo tamen sit citatus vel personaliter semel, vel trina citatione in Ecclesia, & expectato lapsu sex mensium à die vltimæ citationis.

SVMMARIVM.

1 *Parochus, etiam ex dispositione S. Conc. Trid. non potest Beneficio priuari ob non residentiam, non præmissis alijs pœnis eiusdem Conc. sed contra num. seq.*
2 *Beneficio priuari potest Parochus de directo ob non residentiam alijs pœnis non præmissis, & num. seq. quare.*
3 *Priuari Beneficio non potest Parochus nisi præmissa vnica citatione personali, vel tribus in Ecclesia, & expectato per sex menses à die vltima citationis.*
4 *Censura est remedium subsidiarium, & solùm in subsidium illa est vtendum.*
5 *Censura nulla maior pœna in Ecclesia datur.*
6 *Beneficiatus obligatus ad residentiam non videtur ita rigorosè compellendus, sicut Parochus.*

SINGVLARE CCCXC.

1 PArochum etiã ex dispositione *S. Conc. Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 1. non posse Beneficio priuari nisi præmissis censuris, ac sequestrationibus, & subtractionibus fructuum, apertè tenuit *Rota in Salmatina del Poderoso* 5. *Decembris* 1567. *coram Seraph. inter cuius decis. est* 27. Sed
2 quod vigore *eiusdem Concilij, vbi supra*, licitum sit Episcopis quoquomodo procedere, & sic omissis censuris, & sequestrationibus, ac subtractionibus prædictis de
3 directo deuenire ad priuationem præmissa vel vnica citatione personali, vel tribus in Ecclesia, ac expectato à die vltimæ citationis per menses sex, vt dicit *Rota in Posthum. Farinac. parte* 1. *decis.* 137. tradit *Garg. de Benef. in addit. ad num.* 139. *cap.* 2. *partis* 3. *ex decis. S. Congreg.* Et quidem; vltra id, quod considerat ipse *Garg. etiam in dicto num.* 139. & refert *Barbos. in Collect. ad dictum cap. Conc. num.* 74. & 75. ex illis verbis *eiusdem Conc. Liberum sit Episcopis, &c.* id patet ex ordine præpostero eorundem verborum *Conc.* cum si ordinem seruari voluisset non censuras sequestrationi, & subtractioni fructuum præmisisset,

4 cum

4 cum censura sit remedium subsidiarium, & non nisi in subsidium illa vtendum, vt inter
5 alios tradit *Ric. in Praxi rerum quotid. resol.* 20. Censura enim nulla maior pœna in Ecclesia datur *cap. Corripiamur* 24. *qu.* 3.
6 Idem videtur dicendum de alijs Beneficiatis obligatis ad residentiam, sed fortassis in Parocho subest maior ratio ipsum compellendi, & ideo rigoroso remedio priuationis de directo contra illum vtendum.

ARGVMENTVM.

INsultato non videtur licere insultantem impunè occidere, si tutè, & absque ignominia id euitari potest.

SVMMARIVM.

1 *INsultato licet insultantem impunè interficere, etiamsi aufugiendo periculum mortis euitare potest, & fugere sibi dedecus non est; sed vide num. seqq.*
2 *Fugere ab aggressore, de Iure Canonico, etiam cum ignominia tenetur aggressus, & etiam de Iure Ciuili, si dedecus sit paruum, & quare etiam num. seqq.*
3 *Quod tibi non nocet, & alteri prodest, est faciendum.*
4 *Furenti non se opponere est prudentia, & furor est furiosum non euitare.*

SINGVLARE CCCXCI.

1 INsultato licere insultantem impunè interficere, etiamsi aufugiendo periculum mortis euitare posset, & fugere sibi dedecus non esset, tradit de communi *Clar. in* §. *Homicidium vers.* Atque adeo, & alios cumulando sequitur *Honded. cons.* 99. *num.* 12. *vol.* 1. quicquid in contrarium dicat *Bart.* cuius sententia non ita de facili, vt
2 ipse supponit, reprobanda est in re tam graui, & in qua de Iure Canonico quis tenetur fugere, etiamsi sit ei fuga ignominiosa, ad *Mascard. de probat. conclus.* 1126. *num.* 23. *ex Baldo, & alijs* ibi per eum citatis, & etiam de Iure Ciuili, si tantùm paruum dedecus resultaret, ad notata per *Tiraquel. de nobil. cap.* 20. *num.* 64. & re vera, si quis absque vllo dedecore, & periculo se subtrahere posset, terga dando homini nimis pingui, etiam in modum illum spernendi, non videtur quare hoc fieri non de-
3 beret, saltem per regulam, quod tibi non nocet, & alteri prodest est faciendum, ad *l.* 2. §. *Item Varus ff. de aqua pluuia*, & de qua ad propositum meminit *Mascard. vbi suprà num.* 19. *versus finem subdens nu. seq.*
4 21. quod sicuti prudentia est furenti non se opponere, ita furor esset, si quis furiosum euitare posset, & nollet.

ARGVMENTVM.

PAx iuuat, si sit obtenta à maiori parte hæredum, & proximiorum occisi.

SVMMARIVM.

1 *PAx non est apta iuuare, si sit obtenta ab vno tantum ex hæredibus, & proximioribus occisi, non requiritur tamen, quod obtineatur ab omnibus, sed sufficit, quod sit habita à maiori parte, & quare.*
2 *Pacis materia respectu illorum, qui pacem faciunt, regulatur ad instar creditorum volentium minuere debitum debitori, & sic maior illorum pars consideratur nedum respectu quota hæreditatis, sed & numeri personarum, & dignitatis earum.*
3 *Pacis in materia arbitrium esse debet prò illo, qui pace se iuuare intendit, & quare.*

SINGVLARE CCCXCII.

1 QVi pace se iuuare vult, an opus habeat illam obtinere ab omnibus hæredibus, & proximioribus occisi, vel sufficiat illam obtinuisse ab vno, vel à maiori parte, tradit inter alios *Clar. in pract. Crim.* §. *fin. quæst.* 58. *nu.* 33. *vers. frequenter solet*, & latè *Farin. de Accusat. quæst.* 14. *per totam*, qui in substantia tenet, quod sufficiat, si sit obtenta à maiori parte, reiectis opinionibus, quod sufficiat si fecerit pacem vnus, vel quod ad id requirantur omnes, prima vti non rationabili, nec communi, & secunda vti minus communi, & minus æqua, quam sit tertia, quæ rationabilior etiam iudicari debet, si consideretur, quod cuique placere debet, quod maiori parti placet, cum regulariter plus
2 videant oculi, quam oculus; & si daretur casus,

casus, quod partes essent æquales tam respectu quotæ hæreditatis, quam numeri personarum, adhuc maior pars illa iudicari deberet, quæ dignior esset, per ea, quæ disponit *l. Maiorem ff. de pactis*, in terminis creditorum volentium debitori minuere debitum, iuxta quos terminos, & materiam pacis regulandam dicit *Farinac. vbi*
3 *suprà num. 17. & 18.* cum & tali casu militet ratio prò oculo vegetiori, & in casu omnino pari arbitrium esse debebit prò illo, qui pace se iuuare vult, sicuti in terminis dictæ *l. maiorem*, esse debet prò debitore, ad notata ibidem per *Glos. in verbo Humanior*.

ARGVMENTVM.

IN crimine adulterij non licet ex officio procedere, si id non sit notorium.

SVMMARIVM.

1 *Adulterij in crimine ex officio procedere non licet, nec de Iure nec de consuetudine, si non sit notorium, & idem dicendum videtur etiam attenta dispositione S. Conc. Tridentini.*

SINGVLARE CCCXCIII.

1 EX officio in adulterio procedi non posse dicit *Foller. in pract. crim. sub rubr. Pœnis debit. ferian. parte 6. de forma capitul. in plur. delict. nu. 1.* ex ijs, quæ plenè tradit *Afflict. in Const. legum asperitate*, qui limitat in *decis. 176.* respectu adulterij notorij. Et quamuis *Farinac. in praxi, & Theor. crim. par. 4. de delict. carnis quæst. 141. num. 41.* videatur firmare, quod absolutè in tali delicto possit procedi ex officio, saltem de generali consuetudine, subdit tamen *numero sequenti* contrarium ex *Cabal. resol. crim. cas. 110.* & conciliando postea *sub numero 44.* dicit, quod prima opinio procedat in adulterio notorio, secunda autem in occulto, & quamuis sub *numero seq. 45.* sequendo *Addentes ad Clar. in §. Adulterium sub num. 4.* dicat, quod procedere liceat ex officio in tali crimine ex decreto *S. Conc. Trid. sess. 24. cap. 8. de reform. matrim.* tamen & *Concilium* intellexisse de adulterio notorio suadetur ex eo, quod loquitur in casu adulterij publici, vel concubinatus, qui regulariter ex habitu fit publicus, & ex eo, quod valde periculosum est inquirere de adulterijs occultis, vt late obseruat *Diaz. in pract. crim. Canon. cap. Adulteri 88. num. 8.* Et ratio ipsa loquitur, si consideretur zelotypia Coniugum, & quam ægrè ferant etiam Consanguinei, & Affines, quod honor suarum mulierum, etiam extraiudicialiter reuocetur in dubium.

ARGVMENTVM.

LAica Potestas nec occulte & animo præsentandi processum Iudici Ecclesiastico potest processare personam Ecclesiasticam.

SVMMARIVM.

1 *Laicam Potestatem posse, vel non posse occulte processare personam Ecclesiasticã etiam cum animo præsentandi processum Iudici Ecclesiastico controuertitur, sed quod non possit exceptis casibus necessitatis videtur indubitatum, & quare.*
2 *Processus incipit à citatione.*
3 *Citatio in criminalibus præsupponit indicia.*

SINGVLARE CCCXCIV.

1 LAicam Potestatem absque incursu excommunicationis contentæ in *Bulla Cœnæ Domini* posse vel non posse occulte processare personam Ecclesiasticam, etiam cum animo præsentandi processum Iudici Ecclesiastico controuertunt Doctores, affirmante inter alios *Duardo in tract. ad eandem Bullam Can. 15. nu. 2.* & negante *Bonaci. in eandem Bullam tom. 3. disput. 1. quæst. 20. puncto 1. num. 7.*

Exceptis tamen casibus necessitatis de quibus nouissime scripsit *Thom. del Bene in Tract. de Immun. et iurisd. Ecclsiast. parte 2. cap. 9. dubit. 31.* non posse videtur indubitatum, tum ex rationibus & autoritatibus, quæ pro hac parte præualent, tum ex responsione clara, quæ dari potest fundamento

mento *Duardi, & sequacium*, asserentium
2 quod assumere informationes non sit processare, cum processus incipiat à citatione, omisso enim quod hoc non videtur proce-
3 dere in criminalibus iudicijs, in quibus citatio per necesse præsupponit indicia, & sic processum informatiuum, vt habetur præcipue per *Ambros. de modo formandi processum inform. lib. 5. cap. 1. per totum*, non potest negari quod etiam assumere tales informationes non sit aliquo modo processare, quod est id quod prohibetur specifice in dicta *Bulla sub* §. 19. *quomodolibet se interponentes, &c. processando, &c.* si enim *Bulla* tali loco intelligi deberet de processantibus cum citatione, esset superflua, cum supra *sub* §. 15. expressè disponat contra laicos trahentes, & sic citantes personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia: *ibi Quiue ex eorum pratenso officio, &c. personas Ecclesiasticas ad suum tribunal trahentes, &c.*

ARGVMENTVM.

TEstes ad instantiam Rei semper sunt repetendi, & non probant si super suis interrogatorijs respondere recusant.

SVMMARIVM.

1 *TEstes etiam habiti pro rite & recte examinatis Reo instante sunt repetendi, aliter si super suis interrogatorijs non deponant non probant, & quare.*

2 *Defensio Rei valde dependet ex repetitione testium, & accusantium.*

SINGVLARE CCCXCV.

1 TEstes repetendos esse super interrogatorijs Rei etiam si ipse Reus declarasset absque vlla reseruatione illos habere pro rite & recte receptis & examinatis tradit late *Honded. cons.* 101. *lib.* 1. *per totum, & signanter sub num.* 36. *ex Siman. in tract. de fide cath. instit. tit.* 64. *de testi. num.* 25. rationem reddente, ne scilicet Rei defensio pereat, quæ est tanti ponderis, quod si testis recusaret deponere super dictis interrogatorijs, eidem ex præsumptione quod supprimeret veritatem credendum non esset vt dicit *Dec. in l. is apud quem num.* 43. *Cod. de edendo*, quamuis enim ad tradita per *Honded. vbi suprà* valida esset depositio testis habiti pro rite & recte recepto, tamen si nollet postea respondere super interrogatorijs Rei redderetur suspectus, & eidem non crederetur in eo super quo deposuit, vt firmat *Guaz. ad defensam defens.* 25. *cap.* 1. *num.* 12. *in fine* sequendo *Decium in dicta*
2 *l.* 15. *apud quem*, & patet ad sensum si consideretur quam valida defensio resultet ex ore ne dum testium, sed & eorundem accusantium vt euenit in facto Susannæ de quo in *Daniele cap.* 13.

ARGVMENTVM.

EPiscopi raro, & quando veritas aliter haberi non potest licentiam concedere debent Clericis perhibendi testimonium coram Iudicibus laicis, & tunc cum clausulis salutaribus, & cum conditione quod iurent in manibus personæ Ecclesiasticæ.

SVMMARIVM.

1 *CLericis raro, & quando veritas aliter haberi non potest debet permitti quod perhibeant testimonium coram Iudicibus laicis, et quomodo.*

2 *Clerici perhibentes testimonium coram Iudicibus laicis debent iurare in manibus personæ Ecclesiasticæ, et quare.*

3 *Examinis extensio est quid facti, et ius non respicit.*

SINGVLARE CCCXCVI.

1 QVam raro concedere debeant Episcopi licentiam Clericis perhibendi testimonium coram Iudicibus laicis patet ex *cap. Testimonium* 11. *quæst.* 1. *cap. Quanquam* 14. *quæst.* 2. *et cap. nullus* 22. *quæst.* 5. *cum similibus*, quibus præcipuè firmatur id solum permitti debere quando veritas aliter haberi non potest, & tunc cum clausulis excludentibus præcipuè criminalitatem, de quibus per *Belectum*

disquis.

disquis. cleric. parte 1. de clerico teste §. 2. nu.
2 5. Vbi dicit etiam quod tunc iurare non debent in manibus Iudicis laici, sed Episcopi, vel Vicarij, aut alterius personæ ecclesiasticæ, sicut vt plurimum practicatur, & omnino practicari deberet per claram dispositionem dicti *cap. Quanquam* ibi: *vt aut cõram se et competentibus Iudicibus* (id est Ecclesiasticis iuxta Glossam ibi) *aut aliter honorifice veritatem attollant*. Quamuis enim hæc vltima verba: *aut aliter*, videantur importare quod possint deponere etiam coram laicis, tamen non sequitur quod coram ipsis possint iurare, cum id excludatur per illud verbum *honorifice*, cum enim iurisdictio consistat in delatione iuramenti, honorifice non deferretur a laico Iudice ordinis inferioris testi Clerico ordinis superioris, quod postea non fit in extentione exa-
3 minis, quæ est quid facti, & ius non respicit ad ea, quæ plurius dixit *Rota*, & præcipuè *decis. 3. de testibus in nouis.*

ARGVMENTVM.

SPolio non subiacent ea quæ parce viuendo Beneficiarij, seù Pensionarij faciunt reliqua ex redditibus Beneficiorum, seu Pensionum.

SVMMARIVM.

1 *BEneficiati seù Pensionarij qui non habent redditus vltra summam ducatorum 30. auri de camera non subiacent spolio si ab illicita negociatione abstinent, & procedit etiam respectu illius maioris summæ, qua pro congrua substentatione opus habent.*

2 *Congrua Beneficiatorum est non solum ad necessitatem sed & ad commoditatem.*

3 *Beneficiatus facit sibi patrimonialia ea quæ ex redditibus Ecclesiasticis cumulat parce viuendo.*

SINGVLARE CCCXCVII.

QVamuis *Pius Quintus in suo motu proprio super spolijs sub datum Romæ tertio Kal. Septembris* 1567. declarauerit spo-
1 lio non subiacere hereditates Beneficiatorum seu Pensionariorum, quorum Beneficiorum seu Pensionum fructus, & redditus annui valorem triginta ducatorum auri de camera non excesserunt, dummodo ab il-
2 licitis negociationibus abstinuerint, tamen non sequitur quod id procedere non debeat etiam respectu maioris summæ, qua Beneficiati seu Pensionarij pro sua congrua substentatione opus habuerint, non quidem ad puram necessitatem, sed etiam ad commoditatem; habito respectu ad qualitatem personæ, & ad situm Ecclesiæ vt late considerat *Redoan. de spolijs Eccles. quæst. 9.*
3 *§. fict ergo per totum*. Absque enim tali motu proprio adhuc in iure subsistit quod ea quæ Beneficiarius facit reliqua ex redditibus Ecclesiasticis sibi pro congrua debitis, parce viuendo sunt sibi patrimonialia, & non subiacent spolio per ea, quæ deducit *Nauar. de spolijs Cler. §. 8. num. 7.* & latius in *tract. de redit. Ecclesiæ quæst. 1. mon. 43. 44. & 45. & in Apolog. quæst. 1. mon. 31.* non potest enim negari quod talis portio non sit Beneficiario omnino debita, & quod ipse non bene operetur subtrahendo voluptati, vt eroget in beneficentiam, & *Pius Quintus* dictam summam exprimendo voluit declarare quod illa ad minus Clericis cuiuscunque qualitatis competit, vt colligitur ex eodem *Nauarro dicto mon. 43. in fine.*

ARGVMENTVM.

IVramento in supplementum est locus etiam in criminalibus ad pœnam extraordinariam, si fuerit plus quam semiplene probatum.

SVMMARIVM.

1 *IVramentum in supplementum defertur etiam in causis magnis, si fuerit plus quam semiplene probatum.*

2 *Iuramentum in supplementum non defertur in criminalibus, etiamsi sit plusquam semiplene probatum, sed contrà si tractetur de irroganda pœna extraordinaria, quæ ex præsumptionibus etiam per afflictiuam corporis irrogari potest.*

SIN-

SINGVLARE CCCXCVIII.

1 CVm in causis etiam magnis sit locus iuramento in supplementum, quando est plusquam semiplene probatum, vt limitando late tradit *Mascard. de probat. concl.* 955. *num.* 33. inferunt aliqui etiam secundum communem, quod id procedat etiam in criminalibus, sed his in practica
2 contradicit *Clar.* §. *fin. quaest.* 63. *vers. scias autem*, & merito si id intelligat de pœna ordinaria, cum hæc nullatenus ex præsumptionibus inferri valeat ad tradita per *Farinac. de fals. & simul. quaest.* 152. *num.* 18. & 21. & præsumptio sit quod tali casu credatur parti ex probitate, cum requiratur quod sit honestæ conditionis, ad ea quæ in puncto notat *Boer. decis.* 36. *num.* 3. secus autem si de pœna extraordinaria, quæ ex præsumptionibus irrogari potest ad tradita per *Foller. in pract. crim. Rubr. Pœnis debitis feriantur numero* 59. etiamsi corporis afflictiua irrogari vellet per ea quæ notaui suprà *sing.* 378. *per totum*.

ARGVMENTVM.

SVspectus de fuga de mandato cuiuslibet Iudicis, etiam incompetentis carcerari potest.

SVMMARIVM.

1 *IVdex incompetens fit competens ex periculo moræ.*
2 *Suspectus de fuga carcerari potest de mandato cuiuscumque Iudicis, etiam incompetentis.*
3 *Fugæ sola suspicio sufficit pro committenda captura.*

SINGVLARE CCCXCIX.

1 EX periculo moræ quem subijci posse Iudici non suo habetur ex *Glos. in Cap. Sacro* §. *Caueat in verbo periculo moræ*
2 *de sent. excom.* & sic quemlibet exemptum suspectum de fuga cuilibet Iudici subiacere debere videtur indubitatum, ne fugiat ipse dum Iudex competens pro mandato
3 carcerationis aditur. Nec ad id requiritur quod carcerandus actualiter fugiat, quia tunc etiam à priuato sine commissione Iudicis capi valeret per textum in *l. Ait Prætor* §. *debitorem ff. quæ in fraud. cred.* qui loquitur in terminis debitoris fugientis; nec minus quod debeant præcedere indicia ad capturam necessaria, quia ipsa sola fugæ suspicio sufficit cum tali casu Iudex incompetens suppleat vices Iudicis competentis, qui etiam absque indicijs cum sola fugæ suspicione saltem in delicto graui ad capturam procedere debet per ea quæ deduxi supra *Singul.* 369.

ARGVMENTVM.

COntrauentiones non intrinsece malæ causa recreationis factę non sunt punibiles, si non sint expresse prohibitæ, & sine scandalo fiant.

SVMMARIVM.

1 *REcreationis gratia licet facere ea, quæ generaliter sunt prohibita, si non sint intrinsece mala, & si sine scandalo fiant.*
2 *Laruas induere possunt clerici causa recreationis, & sine scandalo.*
3 *Leges humanæ non obligant cum magno rigore, & cum magna incomoditate.*
4 *Delictum supponitur à pœna.*
5 *Restrictio fit ad vnum casum in correctorijs.*

SINGVLARE CCCC.

1 IN malis non intrinsece malis, sed malis tantum, quia prohibitis, non esse procedendum ad pœnas ex transgressionibus factis causa recreationis suadetur ex deductis per *Bellet. disq. cleric. parte prima* §. 23. *num.* 7. & 8. vbi contrà iura prohi-
2 bentia Clericis laruas induere dicit apertè, firmatque, quod recreationis gratia & absque scandalo id facere licet. Idem de Ioculatoribus firmat glossa *in cap. vnico de vita, & honest. cleric. in sexto*, & etiam eisdem dicta de causa licitum esse aleis ludere, venatumque ire, similiaque facere conuincitur, si consideretur, quod ta-
3 lium prohibitiones sunt leges humanæ, quæ

quæ ex maxima Theologiæ moralis non obligant nec eum magno rigore, nec cum magna incomoditate vt inter alios in terminis obseruationis Festorum tradit *Bertald. in director. Confess. super 3. praeceptum*
4 *puncto primo*; pœna enim supponit delictum *Farinac. de delict. & pœn. quæst.* 18. *numero 6.* & delictum non facit qui ex recreatione consulit suæ saluti absque scandalo, & contemptu Superioris, qui non præsumitur velle vtilia, & quodamodo necessaria prohibere, si ex aliqua rationabili causa id non exprimat, cum enim tales prohibitiones sapiant correctionem Iuris communis sufficit, quod verificentur in casu simplicis transgressionis, & non extendantur ad transgressionem ex causa re-
5 creationis, cum in correctorijs sufficiat verificatio vnius casus, & ipso verificato vlterius ad alios casus non sit procedendum per ea, quæ dixit *Rota in Recentior. parte prima decis. 563. numero primo*.

LAVS HONOR, ET GLORIA DEO TRINO, ET VNI, AC BEATÆ MARIÆ VIRGINI, ET MATRI.





INDEX RERVM, ET VERBORVM,

Quæ in hoc Volumine continentur.



Primus numerus indicat Singulare; Secundus autem Singularis numerum.

A

Aequi-

B

Bel-

Bona

Ci-

Cle-

Con-

Da-

adhuc

Epi-

cum

G

Immu-

Iu-

Iura-

L

non

Linea

N

O

P

Pe-

Pœna

Præ-

fu-

S

Tor-

V

FINIS.

REGI-

Typographus Lectori beneuolo.

ORthographica huius operis vel vti problematica admitte, vel vti non benè accurata vna cum alijs erroribus excuſa, Auctor enim vt plurimum abfuit, & Reuiſores nimis docti ex vehementi apprehenſione eius quod eſſe debebat, quod erat non animaduerterunt. Quæ autem magis emendanda videntur corrige vt infra, ſupplendo in reliquis ſcientia, prudentiaque qua polles, & vale.

Pagina	Colum.	Verſus	Error	Correctio
14	1	12	deſcritione	deſertione
15	1	37	ſuperiores	ſuperioris
17	1	21	habito	habitu
17	1	45	capta	cœpta
22	2	36	habere	haberi
23	1	41	dicto	delicto
33	2	20	eſt	erat
37	1	32	cognouerunt	cognouerant
82	1	4	conaſtret	conſtaret
123	2	47	voluptuaria	voluptaria
130	1	13	publicani	vt publicani
165	2	19	ſecundum	ſecundam
184	2	29	debeat	debet
192	1	32	præualeret	prçualere debet
194	2	47	delicto	delicto ſit
197	2	41	non poſſe	poſſe
200	2	7	CCXVII	CCXVIII
208	2	22	dilationis	delationis
325	1	26	quem	quam
344	1	40	260. 3.	260. 2.
346	1	45	datæ	data
346	2	22	hoſtium	oſtium
347	1	33	dicit	dici
348	2	11	publicus	publicis
349	2	18	in corporalibus	in incorporalib us
349	2	52	conceſſam	conceſſum
351	1	33	poſſint	poſſit
353	1	21	habitu	habito
353	1	36	faceret	facere
358	2	51	ſubordinationis	ſubornationis
360	2	42	297. 4.	297. 3.
361	1	25	ſola	ſolam

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vv Xx Yy Zz.

Omnes ſunt Duerniones præter Pp Tern. & Zz Fol.



BONONIÆ MDCLVII.

Typis HH. Euangeliſtæ Ducciæ. Super. permiſſu.

